UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

urn:nbn:de:hbz:466:1-68709

Visual Library

x. XI. 3. Th. 5783.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ETHICA SYMBOLICA
E
FABULARUM UMBRIS
IN
VERITATIS LUCEM
VARIA ERVDITIONE,
Noviter evoluta.

Collegii Soliæ à Jesu Paderborna.

à
P. MICHAELE PEXENFELDER,
SOCIETATIS IESV
SACERDOTE.

Opus non minùs ad fructum, quàm ad oblectationem pro doctrina Politica & Sacra accommodatum.

Cum facultate Superiorum, Privilegio S. Cæsareæ Majestatis, & Electoris Bavariæ.

MONACHII,

Sumptibus IOANNIS WAGNERI, & IOANNIS HERMANNI à GELDER, Bibliopolarum Monacensium.
Typis SEBASTIANI RAUCH.

Anno M. DC. LXXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRAENOBILI AC GRATIOSO DOMINO

CASPARO SCHMID

DOMINO IN HASLACH, PÜRNBACH, NEUDAU, PRUNDOBL, ET SCHÖNBRVNN,

Sereniſsimi Bavariæ Principis Electoris

CONSILII INTIMI CANCELLARIO, SVPREMO FEVDORVM PRÆPOSITO, AC PRÆFECTO IN AYBLING

felicitatem!

QVem poſt Sereniſſimos Patriæ noſtræ Principes, quibus prima lucubrationum mearum obſequia ſubmiſſiſſimè debebantur, huic tertio meo *Partui* ſuſceptorem & Patronum deligerem, haud operoſum fuit inquirere, Prænobilis, & Gratioſe Domine; adſtitit ante oculos, claráque in luce refulſit Nominis & Sapientiæ Tuæ Imago, cuius ſplendore hæ *Symbolicæ* Fabularum *Vmbræ*, ceu Sole tenebræ, illuſtrarentur.

Neque est, quòd quisquam miretur, me Gratiosæ Dominationi Tuæ, summis & assiduis negotiis occupatæ, audere Poëtarum *figmenta*, hoc est, puerorum ut imperiti loquuntur, *nuces & nugas* dedicare. Quid enim? Eóne demittas ac deflectas curas tuas gravissimas, ut oculos ad hæc scholarum crepundia advertas? An non hoc sit Catonem aliquem, aut Arpinatem Tullium, Senatûs Oracula, Curiæ Lumina, ad venandas muscas evocare? Ego verò nihil moratus hanc indocti vulgi oggannitionem, in hac *Nuce Iliadem* Tibi offero, hoc est, *Nucleum* Doctrinæ Moralis, Corticì Poëtico incluſum: in quo dum per dogmata & exempla commonstro, quid *vitium* exoso, *virtutis* amanti sit fugiendum, quid sequendum, *Ipsum Te* Tibi ostendo, Te Tibi dedico, in quo, tanquam in terssissimo speculo, Ethicæ Sapientiæ vivum quoddam simulacrum clarissimè relucet.

Liceat hîc mihi ingenioſa Poëtarum (quos Socrates in Lysîde Platonis, *Patres* atque *Duces Sapientiæ* appellat) commenta, seu, ut propiùs ad Instituti mei rationem loquar, *Ethicæ disciplinæ velamenta* comparare cum caprarum pilis, de quibus SS. litteræ mentionem faciunt. Exod. 25. 35. Num. 31. qui quidem primo aspectu horrida, hirsuta, & vilia animalis rejectamenta videntur; siquis tamen attendat, quod pretium sub his pilorum involucris lateat, facilè, credo, ignoscet mihi, *Symbola* hæc *Poëtica* ad manus & oculos tuos gratioſos demissè adferenti.

Et mirum sanè est, in Historia Sacra, tot inter pretioſa ex auro, argento, gemmis donaria, *Tabernaculo*, (magnifico Arcæ Fœderis Repositorio) à summis infimísque Hebræorum illata, etiam *pilos caprinos* fuisse. Nimirum res magis ex usu, quàm usus è re æstimandus est. Texebantur è pilis illis stragula seu tegumenta, quibus contra injurias cæli *Divini Sedes Oraculi* defendebatur. Eiuscemodi cilicina operimenta, si Poëtarum ego *Fabulas* (quarum vel ipsum nomen inter cognitionum inutilium rejactanea abjicitur) interpretor, haud sanè longiùs à vero abluisse videri debeo. Tegit enim Fabuloſa Poëtarum Inventio Magnum Arcanum, Moralis,

inquam,

inquam, Sapientiæ *Mysterium* & *Oraculum*, quod plebeijs mentibus absconditum & inaccessum est ; quibus illud meritò occinitur : *Procul este profani.* Sapienter Seneca epist. 108. Multum interest, quo proposito ad quam rem accedas. Qui Grammaticus futurus, Virgilium scrutatur, & cùm legit illud :

------- *Fugit irreparabile tempus.*

Observat verbum istud FUGIT ; non dicit *irè*, sed *fugere*, quod est concitatius. En corticem. Longè aliter *Ethicus*, qui colligit inde : vigilandum esse, properandum ; quoniam agit nos, auértque velox dies ; inscii rapimur. En *nucleum.*

Tibi verò, Prænobilis & Gratiose Domine, sublimioris Sapientiæ Antistiti, Vivæque cuidam ARCÆ, in qua geminæ JURIS PUBLICI & PROVINCIALIS *Tabulæ* sanctè conservantur, tantò confidentiùs hæc Poëticæ Philosophiæ *velaria* consecro, quòd sciam, te *Arcana* Politicæ Sapientiæ profundè rimari, & secreti ac Intimi Consilii ELECTORALIS non modò participem, sed insuper *Cancellarium*, seu *Custodem Sigilli* (quô quid sacratius & occultius ?) esse.

Quod si, ut Aristoteles asserit *in Rhet. ad Alexand.* τὸ βϰλεύεσθαι, τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων, θειότατόν ἐϛι. *consiliari, eorum quæ inter homines, divinissimum est.* Meritò profectò hæc tibi Secretioris & Sacratioris Sapientiæ velamina dedicantur. Nam consilia, nisi silentio premantur, hoc est, velo involvantur, non sunt consilia, sed labes & ruina. Consiliarius bonus Nilo flumini comparatur, cuius cùm fons & origo ignoretur, tanti tamen eius fluxus est, ut ab Ægyptiis in deos relatus sit, eò quòd restagnatione sua, tam imbrium terram irrigantium : quàm limo, ceu lætamine eam fœcundantis sit loco. Ita Sapientia consultrix *belli*, *pacísque* tempora disponit, ut, cùm nesciatur ortus, optati tamen sentiantur effectus. Tanta vis est *divinioris Arcani.*

Atque ut ad *Ethicam Symbolicam* redeam ; Poëtarum ideò Involucris tecta est, ut vitæ præcepta lector intelligat clariùs, addiscat faciliùs, gustet suaviùs, reminiscatur tenaciùs. Quæ causa fuit, cur sapientissimus Regum Salomon, frequentium *parabolarum* & *apologorum* integumentis Sapientiam doceat in Proverbiis. Hinc

illæ cap. 31. introductiones *Sanguisugæ, aquilæ, colubri, formicæ, lepusculi, locustæ, stellionis, leonis, galli, arietis &c.* nempe jucundiùs in mentem illabitur Morum Institutio formis quibusdam & figuris vestita, quàm nudis præceptis inculcata. Movent exempla non tantùm facta, sed etiam ficta; quia quæ facta, fingi potuerunt: & quæ ficta, fieri quiverunt. Quid refert, Iridis colores veri sint, an apparentes tantùm, modò rapiant oculos, & utilem contemplationem objiciant animis. Virtutum certè ac vitiorum imagines, quis nisi fingendo facit: & quis factas æstimat, nisi fingentes aut fictores intelligat? *Res* considerat Ethica, non *nomina*: ex cognitis eruit incognita, & *Verum* etiam per *Fabulas* dicit ac docet. Hoc liber hic demonstrat. Et ut exemplis utar præsentibus: Siquis generosæ Virginis emblema intueri desiderat; *Daphnen* aspiciat, fugâ se Apollini eripientem. Si castæ uxoris simulacrum avet contemplari: *Penelope* Ulyssis conjux illud exhibet. Delectat pudici adolescentis imaginem videre? *Hippolytum* Thesei filium, novercæ libidini repugnantem consideret. Hilarem paupertatem vult ob oculos ponere? *Philemonem* & *Baucidem* animo subjiciat. Pietatem in Divos, patriam, parentes, quis meliùs indicat, quàm *Æneas*, senem patrem Anchisem humeris ex incendio Trojano efferens? Reges justitiæ tenaces, *Minos* & *Æacus* quàm benè referunt? In periculis infracti animi icon sunt *Bellerophon* & *Jason*; In Politica prudentia exercitatum virum *Ulysses* ad vivum ostendit. *Amphion* citharœdus dum saxa movet, & canendo Thebarum mœnia ædificat, Principes, & eorum Ministros docet, quid sit amorem & concordiam in civibus conservare. E contrario excoriatus *Marsyas* temerariam jactantiam dedocebit; *Midas* inauratus, & *Tantalus* inter undas sitiens avaritiam dissuadebunt: Idem Midas *auritus*, quid sit esse divitem indoctum, monstrabit. *Gigantes* cælum oppugnantes inconsultam ferociam damnant: *Lycaon* in lupum versus, tyrannidis indolem adumbrat: *Actæon* cum cervinis cornibus oculorum curiositatem accusat. Idem dilaceratus à suismet canibus, adulatores & parasitos cavendos monet. *Phaëthon* cælum & terram incendens,

stolidam

ftolidam ambitionem, & juvenile regimen: *Narciſſus* ſuâ formâ captus, & merſus, philautiam, ſeu cæcum amorem ſui: *Salmoneus* Rex, Jovis tonitrua imitans, & fulmine conflagrans, punitam arrogantiam figurat: *Siſyphus* Junonis umbram pro Junone amplectens, malæ voluptatis vanitatem, & ſecuturas inde pœnas, rotæ ſemper volubili implexus oſtendit: *Tityus* depaſcente viſcera vulture, quid ſit rea conſcientia, prodit. *Tereus* Rex in upupam mutatus adulteros amores, longas ſcelerum notas indicat. Atque hæc exempli causâ; unde apparet, quantus *Æthicæ Veritatis* campus in his *Fabularum* imaginibus aperiatur. Ad quarum ego imaginum explicationem tantò libentiùs ſtudium meum contuli, quantò crebriùs eæ *ſine velo* ſine pudore producuntur in theatra, intexuntur in telis & tapetibus, pinguntur in tabulis & parietibus, ſculpuntur & cælantur in vaſis, narrantur & canuntur in menſis, oculorum dehoneſtamenta, aurium probra, vitiorum illicia, juventutis corruptelæ. Nempe ut ex floribus apes mella, aranæ ſugunt venenum; ita ex Poëtarum commentis quidam non niſi turpia colligunt, & in Muſarum viretis Veneres venantur, quod multis etiam priſcæ ſuperſtitionis ac Parnaſſi cultoribus pudendum & erubeſcendum videbatur. Noſtra mens fuit bonam frugem à lolio ſecernere, & modum oſtendere caſtè litandi Camœnis, honeſtéque vivendi ex Poëtis.

Verùm longiùs excurrit mea hæc oratio, Domine Prænobilis ac Gratioſe, quàm ut vel tua permittant negotia, vel mea ferat reverentia. Solent alii, qui libros dedicant, Patronorum ſuorum elogia in Operis veſtibulo præfigere; ego verò parcam pudori Tuo, meóque. Id unum dixero, quod intelligentiſſimus Aulicorum officiorum Rex Salomon effatus eſt Prov. c. 14. v. 35. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens*; hoc eſt, ut Interpretes exponunt, cuius in conſiliis perſpecta eſt prudentia, in inveniendo ſolertia, in converſando & tractando dexteritas, in exequendo efficacitas, in murando celeritas, in omni denique actione ſapientia, fortitudo, fidelitas, probitas, modeſtia. Rarum equidem ornamentum in Aulico, Demiſſio in magnitudine, morum facilitas in ſplendido munere, vultus

tus porrectus in frequenti aditu, arduis negotiis interpellato. Rectè Cassiodorus 8. var. 14. *Tales decet esse Aulicos viros, ut naturæ bona indicio frontis aperiant, & possint agnosci de moribus, cùm videntur.* Habes hîc imaginem tuam Domine Prænobilis ac Gratiose, velut in brevi tabella expressam; dum incertum relinquis, plus Tibi dignitatis conferat amplitudo officii, quod geris, an tu splendoris illi, virtutibus tuis reddas. Radii, quos ab Honore & Favore, benigno Principum fluxu accipis, pulcherrimo cum fœnore in Bonum Commune reflectis.

E clientum numero (liceat hoc mihi pro clausula Nuncupationis meæ meminisse) veteres Romani Patronorum opes æstimabant; hinc eos felices, potentes, beatos prædicabant ac venerabantur. Tuam, Domine Gratiose, si fortunam ac felicitatem metiri volumus, censum Clientum ineamus, non qui frigidum illud (ut olim apud Quirites factum) matutina salutatione AVE ferunt, sed qui salute per Te parta, salvum Te ac Fortunatum reddunt. Tua namque pietate, consilio, industriâ effectum est, ut plurimi, quos Hæresis tenebris plusquam Cimmeriis involverat, lucem Veritatis aspiciant, miserrimè cæteroquin perituri, nisi in Bavaria, velut in antiqua & firmissima Orthodoxæ Religionis Arce, Institutionem Fidei in charitate Docentium: tutelam & asylum in Principis Electoris potentia invenirent. Videor mihi homines hos, meliori de sorte Clientes, audire, grati, contestatione animi, Te Patronum suum meritissimum secundissimis votis devenerantes cælóque Nomen Tuum inferentes. Cum quibus ego, *fauste felicitérque* acclamantibus, vocem animúmque jungo, & nomine Partûs mei clientelaria officia defero, Tibíque, *Patrino & Patrono Optimo, Observandissimo*, & me, & Collegium nostrum perdemisse atque obsequiosè commendo. Landishuti, Cal. Maij Anno M. DC. LXXV.

Prænobilis ac Gratiosæ Dominationis Tuæ

Humilis in Christo servus

Michael Pexenfelder S. J.

PRIVILEGIUM.

EGo Ioannes Evangelista Thanner Societatis IESV per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, potestate ab Adm. Reverendo Patre Ioanne Paulo Oliva ejusdem Societatis Præposito Generali mihi factâ, permitto, ut *Ethica Symbolica &c.* à P. Michaële Pexenfelder Sacerdote Societatis nostræ conscripta, & per Deputatos Patres censa, probatáque, à Dominis Ioanne Wagner, & Ioanne Hermanno à Gelder, Bibliopolis Monacensibus in lucem edatur cum jure Privilegii Cæsarei: quo Typographi omnes & Bibliopolæ prohibentur, ne ullos libros à quoquam è Societate IESV conscriptos imprimant, recudant, aut alibi impressos, venales proponant intra S. Rom. Imperii, Regnorúmque ac Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hereditariorum fines, absque Superiorum prædictæ Societatis IESV permissione. In quorum fidem hoc eis testimonium dedi, manu, Sigillóque officii mei munitum. Landspergæ, 19. Maij. 1675.

IOANNES EVANGELISTA
THANNER.

PRÆFATIO
ad Lectorem.

AVdire videor aliquem exclamantem, & præpropero judicio damnantem laborem hunc noſtrum. Quid enim, ait is, ſpectat fabulator iſte, quò tendit, veteres nugas recantando? Nunquid è ſpinis uvas, aut è tribulis colliget ficus? *Quæ myſteria vanis ex commentis eruet; & è paleis toties excuſſis, quid, niſi ſiliquas extundet? Abunde Mythologorum eſt, ſomnia poëtica enarrantium. In mendaciis verò, quid opus eſt ſcrutiniis veritatis, nunquam cogitatæ, nunquam intentæ? hoc eſt, tragœdias in nugis agere, unguentum, quod dicitur, lenticulæ miſcere, aut ex macie velle ſebum excoquere. Parciùs iſta viris! qui ſis talia ſentis & loqueris. Qui nimium dicit, nihil dicit. Aliter de fabulis, & fabularum ſymbolis judicant viri ſapientes. Muretum audiamus, Chriſtianum Demoſthenem, orat. de utilitate & præſtantia litterarum humaniorum. Cui, cùm litteras illas docenti, objiceretur, Poëtarum commenta aniles eſſe nænias, & ad pueriles animos hilarandos compoſitas, graviſſimè reſpondit:* (a) *Etenim poëtarum fabulæ non levia quædam, & frugis expertia otioſorum hominum commenta ſunt; imò verò ſub eis, velut involucris ac integumentis omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique ſapientia continetur. Et ibidem paullò pòſt ſubjungit. Non igitur, cùm poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more animos ducimus, ſed ſementem quandam virtutis atque doctrinæ jacimus; non in levibus, minimèque frugiferis rebus operam ſumimus; ſed præcepta ſapientiæ, quò facilius in animos influant, inſatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Hæc vir ille eloquentiſſimus, cuius diſcipulus & laus magiſtri, Franciſcus Bencius, orat. 1. de laud. poëticæ, non minùs ſapienter ac doctè, Poëtica, inquit, docuit moderari libidines, deteſtari vitia, amplexari virtutes,*

(a) Utilitas fabularum.

tutes, rerum denique omnium maximarum, mediarum, infimarum cognitionem ac scientiam tenere. In eandem sententiam doctissimus Lipsius, in præfatione Electorum; Vt in vite, ait, sub foliorum, palmitúmque umbris pulcherrimæ sæpe uvæ occultantur; sic sub fabularum delectamentis, &, ut sic dicam, pampinis, reperiuntur crebrò purpurei rerum fructus. Copiosiùs etiam & disertiùs de fabularum utilitate agit Græcè, Latinéque scientissimus Natalis Comes, qui lib. 1. c. 2. Mythologiæ suæ: in qua omnia propè Naturalis & Moralis Phtlosophiæ dogmata contineri dicuntur, ita profatur. Tanta est sanè utilitas, quam ex fabularum cognitione percipimus, quanta nullius verbis explicari potest; quod tamen nemini ferè est perspicuum, nisi quis præclaro ingenio sit ab ipsa natura præditus, multáque antiquorum scripta diligentiùs considerarit. Nos igitur, sicuti solent medici, qui è venenatis etiam vel herbis vel animalibus utilia pharmaca colligunt, & quod optimum sit, secernunt è singulis, & pernicioſa quoque, beneficio temperamentorum sanitati peraccommodata reddunt, ita facere debemus. Nam altiora fabularum sensa rectè perscrutantes, quid utile humanæ vitæ sub illis contineretur, debemus investigare; è quo plurimùm reportabimus utilitatis; illis interim neglectis, quæ nihil nobis conferre videbuntur. Quod autem plurimum commodorum ex hac cognitione consequemur, vel illud maximum est argumentum, quòd divinus etiam Plato primam puerorum eruditionem ab honestis fabulis incipere jussit in lib. 2. de Republ. Nam profectò quis nesciat, omnia propè deorum gentilium mysteria fuisse ab antiquis sub fabulis occultata? Cùm enim turbæ feminarum, & imperitæ multitudini religio & deorum metus, & fides, & probitas, & temperantia esset in animis inserenda, qui neque Dei naturam intelligerent, neque integritatem rapinæ ac libidini, sine aliquo deorum metu anteponerent, non solùm fabulosæ de diis narrationes à sapientibus fuerunt excogitatæ: sed etiam fabulosæ imagines, & picturæ monstris propè similes introductæ. Sic fulmina Iovi tributa sunt, tridens Neptuno, sagittæ Cupidini, fax Vulcano, ac varia terrorum instrumenta diis cæteris. Nam cùm minimè sit inexpugnabilis mortalium natura, neque validissimas machinas exspectet,

quippe quæ omnium calamitatum semina in se contineat, si vel paullulùm oculos ab illius custodia Deus deflexerit: per se, sine aliis pugnæ instrumentis, continuò labefactabitur. Hæc ille; quibus deinde, sequentia subnectit:

(b) *Nos idcirco universam fabularum divisionem ita faciendam censuimus; quòd aliæ fabulæ naturæ secreta continent; ut illa, quòd Venus è spuma sit genita, quòd Phœbus Cyclopas occiderit, quódque illi fulmina Iovi fabricarint. Aliæ fortunæ inconstantiam declarant, nósque ad eam forti animo ferendam instruunt, ut ea, quæ de Phœbo dicta sunt, quod armenta paverit Admeti regis. Aliæ ab impuris opinionibus, & à crudelitate, atque ab omni perfidia, & impura libidine nos retrahunt, ut Lycaonis fabula. Aliæ ad deterrendos homines à rebus turpibus sunt inventæ, ut Ixionis supplicium apud inferos. Aliæ cohortantur ad strenuitatem, ut ea, quæ tradita sunt de Hercule. Aliæ ex avaritiæ sordibus nos erigunt, ut sitis Tantali. Aliæ ad deprimendam temeritatem confinguntur, ut calamitas Bellerophontis, & cæcitas Tiresiæ. Aliæ ad virtutes nos alliciunt, ad integritatem vitæ, ad fidem, ad æquitatem, ad religionem, ut mirifica Elysiorum camporum amœnitas. Aliæ ab omnibus denique flagitiis revocant, ut severissimi triumviri apud inferos, singulorum animas defunctorum judicantes, & gravissima conscelcratorum supplicia. Equidem sic existimo, quasi suavissimum humanæ vitæ condimentum existere fabularum inventionem, ac earum ærumnarum, quas in vita patimur, non mediocre solatium, quas etiam idcirco à sapientibus fuisse excogitatas censeo. Hinc enim cum singulari oblectatione ea percipimus vitæ rectè degendæ præcepta, quibus sine suavitate fabularum terga continuò verteremus. Hanc tantam è fabulis utilitatem capere minimè possunt ii, qui altiora fabularum sensa non inspexerint, quique primi corticis (ut ita dicam) mirabilitate irretiti, nihil divinius sub illo esse crediderunt. Hi enim tanquam pueri parvi per brumam apud ignem sessitantes aniles nugas, fabellásque è poëtis imbuunt, cùm interim de utiliore, sanctiorèque sententia minimè sint solliciti. Hæc Mythologus.*

(b) Fabularum divisio.

Quæ

Quæ quidem paulò fusiùs ex eruditis viri hujus in fabulas commentationibus exscripsimus, aptissimè tamen, & ad institutum nostrum accommodatissimè. Hac enim dissertatione demonstratur fabularum varietas, utilitas, oblectatio; quarum rerum conjunctionem ii minimè percipiunt, qui non frangunt nucem, & in ea quærunt nucleum, quem quidam eleganter fabulosam Sapientiam *vocat. Etenim, quod Horatius canit:*

Et prodesse volunt, & delectare poëtæ.

Iam verò, ut autoritatibus obruamus illos, qui figmentorum poëticorum tractationem, tanquam rem inanem & frivolam derident & traducunt, sanctiores utilissimæ hujus cognitionis ac doctrinæ testes in medium producamus. Inter quos est Præsul Mediolanensis, D. Ambrosius, qui de curru Eliæ agens, meminit Phaëthontis, & ait: (c) Fabula etsi vim veritatis non habet; tamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari. *lib. 3. de Offic. Et Chrysostomus tom. 1. homil. de ascensione Eliæ.* Ab Elia, *inquit*, Poëtæ atque pictores in figuranda Solis imagine exempla credo sumpsisse: qui curru, atque equis fulgentibus ipse rutilans atque radians, è fluctu oceani sublevatur, inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere. Sol enim græco sermone ἥλιος, unde nomen *Heliæ*, qui curru atque equis ignem spumantibus, de oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cœlestia devectus ascendit. *Accedit Augustinus lib. 20. c. 9. contra Faustum.* Habent quidem pagani fabulosa quædam figmenta: sed esse illas fabulas nôrunt, vel à Poëtis delectandi causâ fictas esse asserunt: vel eas ad naturam rerum, vel mores hominum interpretari studeant. *Idem lib. contra mendacium.* Apud autores sæcularium litterarum, ut apud Horatium, mus loquitur muri, & mustela vulpeculæ, ut per narrationem fictam, ad id, quod agitur, vera referatur significatio; Unde & Æsopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia.

(c) SS. PP. sensus de fabulis.

Hæc in ſacris litteris, ut in libro Judicum, cùm ligna ſibi regem fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur, ficta quidem narratione, ſed veraci ſignificatione dicuntur. *Quid, quòd Ambroſius loc. cit. pugnam inter Antæum & Herculem commiſſam, non dubitavit ad Chriſtum ipſum transferre. Ejus verba ſunt*: Referunt ſæculares virum quendam fuiſſe, ut quoties beneficio virium ſuarum deſtitutus, amicam & nutricem terram impulſu adverſarii contigiſſet, de ſolo ſurgens, magis in adverſarium prævaleret, & ſic occaſio proſtrati, occaſio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapſus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conveniunt, niſi Chriſto, qui ad hoc cecidit, ut glorioſior reſurgeret. *Hæc S. P. P. Cornelius à lapide in Prolegom. Proverb. & Eccleſiaſtici, celebrat, & ſæpe recitat apologos S. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini, variis, gravibúsquè S. Scripturæ ſententiis, proverbiis, ſimilitudinibus exornatos & confirmatos. Frequens etiam meminit Mythologiæ Fulgentij, quem nonnulli putant, epiſcopum Ruſpenſem fuiſſe, & circa annum D. 520 floruiſſe. Quisquis ille ſit, ab inſigni pietate, & ingenioſa eruditione commendabilis fuit.*

(d) *Ad hæc teſtimonia accedit ipſa divinæ Scripturæ auctoritas, quæ pluribus in locis ad poëtarum fabulas alludit, utiquè non* dicis *tantùm &* delectationis, *ſed utilitatis cauſa. Nam proverb. 26. meminit* Mercurii, *dum de inſipiente loquens, dicit*: Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit inſipienti honorem, *vide Symb. Sic ad fabulam Titanum reſpicit Iudith 16.* Nec percuſſerunt eum (*Holofernem*) filii Titan. *Et Iob. ult. pro* cornu ſtibii, *quod erat nomen filiæ Iob, Septuaginta vertunt*, cornu Amaltheæ, *id eſt, cornu copioſum, dives, rerum omnium affluentiâ abundans. Fabulantur enim poëtæ Amaltheam fuiſſe capram nutricem Iovis, è cujus proinde cornu Iupiter omne bonum fundebat. Vide Symbol. 97. In quem locum Nicetas ſapienter advertit: Cùm ſcriptura ait cornu copiæ, aut* Sirenum *Iſa. 13. aut vallis* Titanum *Iudith. 16. aut* gigantum *2. reg. 23. aut* Orionis *&* Arcturi *Iob. 9. & Amos 5. aut* Lamiarum *Iſa. 34. Thren. 4. mentionem*

(d) SS. Scriptura fabularum meminit.

mem facit; tantùm utilitatem illis fabulis significatam, non verò falsitatem ullam nobis propinat. Vide Symb. 30. Præclarè Plutarchus in moralib. *Sicut iris, inquit, nil est, nisi relucentia Solis refracti in nubibus: ita fabula est quædam repræsentatio veri. De arcturo & Orione doctissimus Ribera in l. c. Amos.* Arcturus *dicitur stella ab* ursæ cauda, *in qua est*; Orion *verò ab* ὀρύειν, *id est* turbare. Arcturum & Orionem facit Deus; *cùm in peccatore fallacem illam tranquillitatem, & quasi serenitatem, quâ in peccatis utcunque fruebatur, perturbat, & tempestates concitat timore mortis, & ignis æterni; nec non ipsa anteactæ vitæ turpitudine, sive insigni aliqua ignominiâ, atque salutis, bonorúmve jacturâ. Pugnant hinc amor & timor, inde antiqua consuetudo, & illecebræ voluptatis, quasi contrarii venti, inter se mutuò certantes, & maria miscentes. De his lege Confess. Augustini, lib. 8. c. 12. Hæc ille. Vbi vides, nec nomina fabularum, nec effecta, & significata moralia repudiari à SS. literis, earúmque interpretibus.*

Itaque, quod de aliis profanis litteris SS. PP. asserunt, pari ratione de commentis fabulosis dicamus. S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. Ægyptias opes tollit, qui litteras ethnicorum ad nostræ fidei decus & usum transfert. *Et S. Hieron. epist. 146.* Quam *(captivam illam & pulchram mulierem, Deut. 21.)* Si Israëlites uxorem habere voluerit, debet illa radere cæsariem, ungues circumcidere, vestem, in qua capta est, deponere, atque ita demum in ejus amplexum venire. Ita & nos facere solemus, quando in manus nostras veniunt libri sapientiæ sæcularis: si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus: si quid verò superfluum de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his caluitiem inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus. *In eandem sententiam Theodoretus lib. 1. de curandis Græc. affect.* Ut qui rosaria demetunt, spinas quidem intactas dimittunt, rosarum verò calyces legunt. Ipsis quoque apibus natura hanc legem instituit, ut non solùm floribus, qui sunt dulces, insideant: sed etiam qui amarulenti: solum tamen quod in illis dulce hauriant, amaritiem autem aversen-

verſentur, & ex diverſis qualitatibus, amaris videlicet & auſteris, mel hominibus dulciſſimum conficiant. Harum itaque exempla & nos ſectati, è gentilium amarulentis pratis, dulce nobis ac perquàm utile mel conficimus. *Hæc ille & illi.*

(e) *Atque hoc eſt, quod nos in opere iſto propoſitum habemus, & Hebræos imitamur, id quod Auguſtinus loco memorato indicat, qui ea, quæ ſibi uſui fore judicâſſent, rapuerunt. Exod. 11. relictis illis, quæ aut moleſta, aut inutilia, aut profana exiſtimaſſent*: ita nos oportet, *inquit S. Doctor*, ſua quidem vitia Ethnicis relinquere, ſuperſtitiones, libidines, cupiditates, hæc, inquam, apud dominos relinquenda. At ſiquod ſapientiæ aurum, ſi quod eloquentiæ argentum, ſi qua bonarum litterarum ſupellex penes illos erit, eam omnem convaſare, & in noſtros uſus accommodare debemus. *Quæ omnia S. Patris verba, ad hunc fabularum tractatum meritò, rectiſſimèque poſſumus transferre. Quódque ſapienter Mythologus lib. 1. c. 2. monuit, id noſtro quoque nomine lectori dictum volumus: Verumtamen, ait ille, ne quis illud à nobis exſpectet, quod ſcribentibus injucundum, legentibúsque foret inutile, ea huc adducere, quæ utiliter afferri non poſſunt. Cùm eas tantùm fabulas ſimus explicaturi, quæ homines ad rerum cœleſtium cognitionem erigunt, quæ inſtituunt ad probitatem; quæ deterrent ab illegitimis voluptatibus: & ad ſcientias rerum neceſſariarum humanæ vitæ perducant. Et quod ille lib. 2. c. 6. animadverſum cupiit, nos quoque hæc legentibus notandum ducimus. Neque verò, ait* Natalis, *multùm differre putamus ad ſuſcepti laboris utilitatem*, hic an ille, hujus nominis, hoc vel illud fecerit, *modò factum fuiſſe dicamus. Non enim hiſtoricas narrationes, aut res geſtas nunc ſcribimus, ſed antiquorum fabuloſa figmenta explicare contendimus.*

(f) *Ergo nec ab inſtituto hominis Religioſi alienum eſt, fabularum cognitionem in morum doctrinam vertere, ejus præſertim, qui pro vitæ ratione non ſoli ſibi, ſed utilitati publicæ, maximè juventutis, vivit*, cui præmanſum, *quod dicitur*, eſt in os inſerendum, *& auſterior virtutis*

(e) Utiliora è fabulis ſecernenda, (f) Tractatio fabularum Ethica jam olim uſitata.

tutis ſuccus melle litteraturæ poëticæ condiendus: Nec incongruum videtur, huic ſcriptioni titulum Ethicæ ſymbolicæ *præfigere. Nam ut Cornelius de Lapide teſtatur in c. 13. Eccleſiaſtici, jam vetus, olimque uſitata fuerat* Ethica Mythica, *quæ per fabulas & apologos docet res morales, puta virtutes & vitia. Ita apologo rhamni periculoſum fore Abimelechi tyranni regimen, docuit Iudic. 9. Ioathan filius Gedeonis, qui Salomonem ducentis & viginti annis antecеſſit. Samſon quoque hoc mythicum ænigma propoſuit Philiſtæis:* De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. *Iudic. 14. Hinc Baruch ſcriba Ieremiæ c. 3. celebrat fabulatores Theman, qui ſcilicet per fabulas Ethicam tradiderunt. Duplex eſt autem ad propoſitum noſtrum* fabula. (g) *Primò per eam intelligitur* narratio *ad delectationem & utilitatem inventa, rerum nec verarum, nec veriſimilium: ut quod Daphne verſa ſit in laurum: & Tantalus apud inferos fugientia captet flumina; in quo ſcribendi ac fingendi genere excellit Metamorphoſis Ovidii, qui ex* Orpheo, Heſiodo, Homero, *cæteríque vetuſtiſſimis poëtis tam præclarum & admirandum opus confecit. Iac. Pont. in prolegom. Metam. diſſertat. 4. Deinde per fabulam ſignificantur* apologi, *qui ſub tectorio ridiculæ alicuius narrationis, & in bruta colloquii, recondunt aliquid, quod ad vitam & mores pertineat; quales ſunt fabellæ Æſopi, mythologorum principis, qui floruit ſub Cyro & Cræſo Dictus Æſopus, id eſt, Æthiops, quia labris erat niger; natione fuit Phryx, ſervus Xanthi philoſophi; cuius apologi tanto in uſu & æſtimatione antiquitus erant, ut inſtupidos & imperitos per adagium diceretur:* Ne Æſopum quidem triviſti.

(h) *Etſi verò propriè Symbolum eſt ſignum conceptuum, aut decretorum in animo unius, aut plurium, latentium; ut ſunt* pronuntiata *Pythagoræ, abditos quosdam ſenſus involuentia; ſæpe tamen pro quibusvis imaginibus figuratis ponitur vox* Symbolum. *Et quia fabulæ aliud præferunt in cortice, aliud includunt intus in putamine, meritò per eas, tanquam per emblemata aliud oculis, aliud animo objicientia, occultior & vulgò ignotior doctrina explicatur. Quocirca priſci illi Sapientes, Pythagoras, Plato, Trismegiſtus ſapientiam ſuam docebant per hieroglyphica, Symbola, emblemata, ænigma-*

(c) *ta,*

(g) Fabula, ſeu fabuloſa fictio duplex eſt. (h) Symbola ſub fabulis contenta.

ta, ut eam celarent rudes & incapaces; capaces verò ad eius ſtudium incitarent. Hinc Siracides cap. 6. Sapientia doctrinæ ſecundùm nomen eſt eius, & non eſt multis manifeſta. *Id eſt, Sapientia ſecundùm nomen eius, eſt id, quod dicitur, & prædicatur, nempe res ardua, & excelſa, & non quibusvis obvia. Vt igitur majore cupiditate eius conſequendæ homines caperentur, Poëtæ fictionibus ſuis tanquam involucris ita veritatem involuerunt, ut tamen eos lenociniis carminum, ad eam indagandam, ſuaviùs, efficaciúsque allicerent.* (i) *Hac de re Maximus Tyrius, Platonicus celebrati nominis Philoſophus egregiè diſſerit. Auribus, inquit, humanis inſidias quasdam commenti ſunt, ii quidem reipſa* Philoſophi, *nomine autem* Poëtæ: *rem invidioſam ad eam artem revocârunt, quæ populum admodum demulceat. Ita enim medici ſalubre conſilium dulci aliquo liquore aſpergunt, ne deterreatur æger ſaporis aut ſucci acrioris amaritie. Eodem planè modo de Philoſophia illa veteri ſentiendum, quæ ſententiis ſuis, figmentorum ac carminum, tanquam veſte, cultúque magnifico tectis, priſcorum hominum animos cepit ac delinivit: neque ſecus id quidem, quàm diſſimulata diſciplinæ modeſtia, ad inſtitutionem, & morum feritatem curandam, illexit. Nec eſt autem, quod in dubium revoces, utri meliùs de divinis tractârint, Philoſophíne, an Poëtæ? quin potiùs ſtudium utrumque, tanquam inito fœdere, mutuò ſeſe complecti deprehendas, ut eadem, non diverſa putes; cùm enim* Philoſophorum *ais,* Poëtam *intelligis: & cùm Poëtam, Philoſophum quoque comprehendis. Hæc maximus ille re, & nomine. Cui non diſſimilia Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſ. dum Philomythen, id eſt, fabularum amatorem, aliqua ratione philoſophum eſſe aſſerit; quòd fabula ex mirabilibus conſtituatur. Vnde Chriſtianus ille Philoſophus Albertus Magnus tract. 2. in Metaphyſ. Fabulas, ait, Poëta fingit, ut excitet homines ad admirandum; admiratio excitat ad inquirendum, ut ſciatur cauſa eius, de quo mirantur.*

Equidem cùm aſperam & inſuavem virtutis viam fecerit nimia vitiorum conſuetudo, ut ait D. Hieronymus, ac ut ventriculus corruptus ſalubres cibos reſpuit, ita nuda dicendi docendique ratio moleſtiam hominibus & ſatietatem adferre ſoleat, ideo ſumma viri prudentia & doctrina præditi

Mordax

(i) Cur Philoſophia moralis per fabulas tradita.

Mordax illud verum, *quô teneriores animi facilè offenduntur, quasi quodam temperamento dulcedinis, fabulis inquam, miscuerunt ac diluerunt. Non aliter, quàm Medici circumlinunt pocula melle aut saccharo, ut amara remedia ab imprudentibus sine offensione sumantur. Id quod Lucretius lib. 1. eleganti carmine exposuit:*

----- veluti pueris, absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulcis flavóque liquore,
Vt puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptáque non capiatur.
Sed potiùs tali facto recreata valescat
Sic ego nunc.

Et ego cum Lucretio, qui juventutis litterarum studiosæ in suscipiendo hoc labore potissimam rationem habui, quam cupio per fabularum veterum arcanam cognitionem non magis ad eruditionis, quàm honestatis ac virtutis studium provehere.

Quare sicubi aut Cicero, aut Seneca, aut quisquam alius, illos fabularum artifices aversatus sit; nihil in his præter aniles ineptias, & alienas à veritatis imagine fictiones damnârunt, quæ nullo ingenio conditæ, nullóque emolumento vulgatæ, stultorum juxtà & sapientium esse possunt. Certè cum doctissimo Alciati interprete (Claudius Minos is fuit, emblem. 4.) loquor: Inepti, & planè ἄμουσοι sunt, qui in poëticis narrationibus & figmentis explicandis, ipsas tantùm voces, nuddque vocabula, aut etiam simpliciter γνώμας considerant, nec ea potiùs eliciunt, quæ sensum aliquem abstrusiorem contineant; ut qui in picturis dijudicandis colores aliquos, aut operum lineas quasdam conspiciunt, aut, qui mercibus involutis appositas imaginum tesserulas admirantur, nec quid intus lateat, aut inclusum esse possit, animadvertunt. Habet enim divinum hoc studium, nescio quid latens & reconditum, quod aquè omnibus pervium non sit, & apertum; sed ei tantùm,

Ingenium cui sit, cui mens divinior. Ut Horatius canit.

(k) Quæ sint aniles & futiles fabulæ. (l) Quid in fabulis considerandum.

Cujus viri perquam eruditi, & aliorum, quos laudavi verbis, nescio, an aliquid pro defensione laboris à me suscepti gravius, firmiúsque dici possit. Quod autem suprà ex Cicerone lib. 1. de invent. attulerim: (m) In fabula neque res verisimiles contineri; *non ita accipias velim quasi, quod in absurdis, & τοῖς ἀδυνάτοις ducitur)* ex nihilo aliquid fiat; aut ex falso possit sequi verum. *Sed quòd ad solam veritatis figuratæ imaginem significandam (id, quod prudenter advertit Iacobus Masenius noster lib. 2. speculi imaginum veritatis c. 5.) verisimilitudo historica non requiratur; hæc enim in fabulis neque desiderari potest; neque necessaria est ad sensus Ethicos eruendos. Quid enim interest, utrum pictor repræsentaturus effeminatæ libidinis imaginem, exprimat fabulosum Herculem,* Omphales, *Reginæ Lydiæ imperiô, sagittas & clavam cum calatho & colo permutantem; an ex historiis notum Sardanapolum, Assyriæ Regem, femineâ indutum stolâ, inter puellas & eunuchos pensa dividentem?*

(n) *His ita consilii, ac lucubrationis nostræ causis redditis, restat, ut & illis respondeamus, quibus videbimur* actum agere, *aut novam velle alienis ex plumis* corniculam *adornare. Nam quid? vel solus* Comes Natalis *opus tam absolutum de Mythologia edidit, ut nihil eo perfectius, nihil videri possit copiosius, aut quidquam eorum desiderari, quibus è fabularum explicatione Philosophia sive Naturalis, sive Moralis magis perficiatur. Ab his ego me paucis, cùm aliàs sim longior, expedio.* Natali, *viro excellentissimo & eruditissimo, ob laboris & ingenii præstantiam laudes debemus meritas & amplas. Fregit is glaciem, & plurimis stravit viam; quod citra invidiam Sabini, Gyraldi, Calcagini, Rhodigini, Ricciardi, Cartarii, quibus volvendis mihi nec otium, nec librorum facultas aut copia fuit, dictum velim plus aliquantùm proposito nostro serviisset Franciscus Baconus Verulamius; si eius de veteri sapientia lucubrationem nancisci potuissemus. Neminem tamen inficias iturum spero, cùm nostros conatus cum Natalis opere contulerit, aliud longè nobis consilium, alium scopum fuisse. Ille plerasque fabulas ad rerum naturalium arcana refert; nos ne attingimus quidem. Ille carptim, & quasi neglectim appendices moralis doctrinæ*

(m) Quomodo fabula sit verisimilis & non verisimilis. (n) Quid in nova hac mythologia spectaverit auctor.

doctrinæ annectit ; nos ad eam intentissimo oculo , velut ad destinatum ictum collimamus. Et ferè supersedemus iis Ethicæ parergis , quibus ipse labores suos ornavit ; nos , quidquid ad hanc doctrinam pertinet , novis inuentionibus expolire studemus. Benevolum lectorem in rem præsentem invitamus.

(o) *Faceremus hic proloquendi finem , nisi alius insuper aries quateret hæc, quæ struimus pro fabulis mœnia. Ille hic est : Tanta est amplitudo in æquore campi fabularis , ut quidquid moralis institutionis adferas , videatur aliter à quovis , & melius dici posse. Audiamus virum in his litteris exceptione majorem. De Mythologicis (scribit P. Franciscus Pomey Societatis nostræ , in Pantheo Mythico , seu fabulosa deorum historia , in explicatione fabulæ de Iove) seu Interpretibus fabularum , hoc unum dicam obiter ; tantam esse in hoc genere inter illos opinionum discrepantiam ; quódque est peius , usque adeò insulsa esse & inepta , quæ plerique tradunt , támque parùm ipsis , quas explicant , fabulis congruentia ; satiùs ut putem , scribere hac de re nihil , quam quidquam adferre , in quo non acquiescat legentis animus. Et idem ibidem.* Moralem *sensum nihil moror ; esset enim infinitus & inanis labor. Cuivis liberum est quidvis fingere , & abundare , quod ajunt , in suo sensu. Hæc ille. Mihi quidem hæc scribere ordienti , etiam non monito , occurrebat , opus hoc esse dubiæ plenum aleæ ; putabam tamen tentandam fortunam , imò fabulam , & paullò plus considerationis in ea ponendum. Crevit subinde & animus , & successus ; qui qualis sit , arbitrio tuo , lector amicissime , demisse & reverenter submitto.*

(o) An sapientia Moralis è fabulis elici possit.

SERIES
Fabularum & Symbolorum Ethicorum,

Symbolum I.

Daphne, Virgo Laureata.

Ethicè.

1. *Cura castitatis.* 2. *Castitatis præsidia.* 3. *Castitas fugiendo vincit,* 4. *Laureatus castitatis triumphus.* 5. *Laurus Symbolum castitatis.* fol. 1

Symbolum II.

Minerva bucculenta.

Ethicè.

1. *Iræ remedium ex speculo.* 2. *Cognitio sui è speculo.* 6

Symbolum III.

Marsyas excoriatus.

Ethicè.

1. *Obtrectator temerarius.* 2. *Inflati Musici.* 3. *Inanis jactantia.* 9

Symbolum IV.

Midas inauratus.

Ethicè.

1. *Infelicitas divitum.* 2. *Stultitia votorum humanorum.* 13

Symbolum V.

Midas auritus.

Ethicè.

1. *Dives indoctus.* 2. *Vide cui fidas.* 3. *Occulta patefiunt seriùs aut citiùs.* 18

Symbolum VI.

Prometheus ἀνθρωποπλάστης, seu formator hominis.

Ethicè.

1. *Hominis indoles.* 2. *Quinam meliore de luto ficti?* 3. *Pectus hominis vivarium ferarum.* 4. *Hominis nobilitas.* 5. *Sciendi curiositas.* 22

Symbolum VII.

Pandoræ dolosa pyxis.

Ethicè.

1. *Spes residua in Pandoræ pyxide.* 2. *Vxor mala.* 3. *Prudentia, præsertim in uxore ducenda.* 28

Symbolum VIII.

Quatuor Ætates sive Sæcula.

Ethicè.

1. *Quatuor Monarchiæ.* 2. *Quatuor ætates ex S. Scriptura.* 3. *Quatuor ætates ex Iuvenale.* 5. *Astræa virginis imago & officium.* 31

Symbolum IX.

Gigantomachia.

Ethicè.

1. *Contemptus Religionis.* 2. *Stolida arrogantia.* 3. *Lethifera noxa.* 4. *Inconsulta ferocia.* 5. *Temeraria cœpta.* 6. *Seditio populi in magistratum,* 38

Sym-

Symbolum X.

Lycaon in lupum abit: ejus filia Callisto in ursam.

Ethicè.

1. *Homo similis bestiæ.* 2. *Tyranni imago.* 3. *Gulosus & avarus.* 4. *Physiognomia, causa fingendi metamorphoses.* 5. *An fiat mutatio hominis in bestiam?* 6. *Quid intelligatur per Transformationes? Callisto cur in ursam?* 43

Symbolum XI.

Homines è lapidibus orti.

Ethicè.

1. *Tutela probitatis.* 2. *Cognitio sui.* 3. *Homo lapis.* 4. *Homini laborandum.* 5. *Informatio ad humanitatem.* 6. *Præmium probitatis.* 53

Symbolum XII.

Phaëthon incendiarius.

Ethicè.

1. *Indulgentia vitiosa parentum.* 2. *Iuvenilis ambitio & regimen.* 3. *Indomitæ cupiditates.* 4. *Vitia linguæ.* 5. *Iuveniles conatus.* 58

Symbolum XIII.

Argus centoculus sopitus & interfectus.

Ethicè.

1. *Fucata eloquentia.* 2. *Puellarum custodia.* 3. *Earum levitas & sera pœnitudo.* 64

Symbolum XIV.

Cygnus, Rex Ligurum in avem cognominem transit.

Ethicè.

1. *Laus Musicæ.* 2. *Scelerati non lugendi.* 3. *Moderandus luctus in funere.* 4. *Mors bona.* 5. *Poëtæ cygnis similes.* 69

Symbolum XV.

Python, immanis draco, sagittis Apollinis confixus.

Ethicè.

1. *Python symbolum pigritiæ.* 2. *Stratum Ignaviæ.* 3. *Labor Præceptorum, honos, & industria.* 4. *Cura filiorum.* 73

Symbolum XVI.

Iupiter in taurum vertitur.

Ethicè.

1. *Libidinis furor.* 2. *Corpus decipit animum.* 3. *Custodia pudicitiæ.* 77

Symbolum XVII.

E seminatis draconis dentibus nascuntur milites.

Ethicè.

1. *Bos laboris Symbolum.* 2. *Semina belli.* 3. *Quale conjugium sit felix.* 81

Symbolum XVIII.

Actæon in cervum migrat.

Ethicè.

1. *Venationis damna.* 2. *Parasiti, Assentatores, Canes Aulici.* 3. *Ingratus animus.* 4. *Concitatores factionum.* 5. *Cura pudicitiæ.* 84

Symbolum XIX.

Narcissus & Hyacinthus pueri, in flores convertuntur.

Ethicè.

1. *Amor sui.* 2. *Vanitas formæ.* 3. *Cogni-*

Cognitio sui. 4. *Amoris inhonesti finis.* 5. *Ornamenta pueritiæ.* 90.

Symbolum XX.

Prodigiosa navis Bacchi.

Ethicè.

1. *Vini commoda.* 2. *Incommoda: vinum secreta revelat.* 3. *Accendit ferociam.* 4. *Mulier vinosa.* 5. *In vino scurrilitas & impudentia.* 6. *Vinum efficit bestiam.* 7. *Naufragium in vino.* 96

Symbolum XXI.

Alcithoë & sorores, in Vespertiliones.

Ethicè.

1. *Feminarum labor, lanificium.* 2. *Neglectus cultûs divini.* 104

Symbolum XXII.

Pyramus & Thisbe, amoris impuri victimæ.

Ethicè.

Principium, progressus, & exitus amoris pravi. 108

Symbolum XXIII.

Athamantis & Inûs conjugum furiæ.

Ethicè.

A parentibus pernicies derivatur in liberos. 114

Symbolum XXIV.

Perseus raræ virtutis heros.

Ethicè.

1. *Capillorum retia in feminis.* 2. *Capillorum vanitas.* 3. *Victor cupiditatum.* 4. *Concupiscentia triplex.* 5. *Modus superandi pravas affectiones.* 6. *Inhospitalitatis pœna.* 7. *Auspicatum connubium.* 8. *Acer disputator.* 116,

Symbolum XXV.

Bellerophon in Pegaso, victor Chimeræ.

Ethicè.

1. *Virtus infracta in periculis.* 2. *Pegasus imago sapientiæ.* 3. *Aurora Musis amica.* 4. *Honor litterarum per Pegasum significatur.* 5. *Per Chimeram impudicitia.* 6. *Ejus oppugnatio.* 7. *Modestia docetur.* 124

Symbolum XXVI.

Pierides à Musis devictæ, in picas abeunt.

Ethicè.

1. *Feminarum loquacitas & levitas.* 2. *Sapientiæ comes Castitas.* 3. *Litterarum utilitas & oblectatio.* 4. *Musæ secessum amant.* 5. *Apollo, cur Musarum Præses?* 132

Symbolum XXVII.

Proserpina, Cereris filia, à Plutone rapitur.

Ethicè.

1. *Castitas indiget custodiâ.* 2. *Voluptatis lenocinium.* 3. *Castitatis periculum in hortis.* 4. *Insidiæ castitatis.* 136

Symbolum XXVIII.

Iambos puer in stellionem mutatur.

Ethicè.

1. *Procacitas & petulantia puerilis.* 2. *Pueri indulgentiùs non habendi.* 3. *Stellionis natura cum nequam puero comparatur.* 141

Sym-

Symbolum XXIX.

Æscalaphus puer in bubonem transfiguratur.

Ethicè.

1. *Gula in re tenui.* 2. *Incauta securitas.* 3. *Delator improbus.* 4. *Iudex sapiens & æquus.* 5. *Feminæ mutabiles.* 146

Symbolum XXX.

Sirenes, blanda & perniciosa maris monstra.

Ethicè.

1. *Damnosa voluptas.* 2. *Quid Sirenes in S. Scriptura.* 3. *Qualia monstra sint physicè.* 4. *Cantus lascivi.* 5. *Tres Sirenes, Gula, Inertia, Luxuria.* 6. *Vlysses typus Religiosi.* 7. *Litteræ præsidium contra Sirenes.* 8. *Sirenes sunt adulatores.* 9. *Musarum de Sirenibus victoria.* 151

Symbolum XXXI.

Triptolemus, mirus Cereris alumnus.

Ethicè.

1. *Magna vis educationis in utramque partem.* 2. *Igniculi primi naturæ.* 3. *Laus agriculturæ.* 4. *Commendatio laboris.* 5. *Beneficentia colenda.* 159

Symbolum XXXII.

Arachne puella in araneam transformatur.

Ethicè.

1. *Ingratus discipulus.* 2. *Frivola & inania hominum studia.* 3. *Hominis cum aranea comparatio.* 165

Symbolum XXXIII.

Niobe regina in Saxum induratur.

Ethicè.

1. *Superbiæ hæret vindicta.* 2. *Modestia in faventiore fortuna.* 3. *Niobe exemplum arrogantis feminæ.* 4. *Liberorum copiâ non superbiendum.* 171

Symbolum XXXIV.

Amphion cantu fidium, Thebas urbem ædificat.

Ethicè.

1. *Princeps amabilis.* 2. *Concordia civium.* 3. *Cithara, hieroglyphicum boni Principis.* 177

Symbolum XXXV.

Lycij rustici in ranas vertuntur.

Ethicè.

1. *Agrestis inhumanitas.* 2. *Officium peregrinis exhibendum.* 3. *Maledicentia.* 4. *Ranæ, typus convitiatorum.* 5. *Item obtrectatorum adversus viros sapientes.* 6. *Item loquacium.* 7. *Etiam in minimis magnum datur beneficium.* 181

Symbolum XXXVI.

Tereus rex in upupam: uxor Progne in hirundinem: Philomela soror uxoris, in cognominem avem transformatur. 187

Ethicè.

1. *Adulterij crimen.* 2. *Scelera diu tegi non possunt.* 3. *Zelus læsæ fidei conjugalis.* 4. *Amoris impuri violentia.* 5. *Scelerum diuturnæ*

notæ. 6. *Inauspicatum conjugium.* 187

Symbolum XXXVII.

Zetes & Calais, alati juvenes.

Ethicè.

1. *Malè blandiens mulier, aut voluptas.* 2. *Avaritia.* 3. *Officiales & Ministri Principum.* 4. *Prodigi heredes.* 5. *Variorum rapacitas.* 193

Symbolum XXXVIII.

Iason, ope Medeæ, vellus aureum rapit.

Ethicè.

1. *Indoles magnanima.* 2. *Virtutis comes prudentia.* 3. *Virtutis calcar præmia. Aurei velleris origo.* 4. *Victor sui.* 5. *Lucta Rationis & Appetitûs.* 6. *Aries Phryxæus symbolicè.* 197

Symbolum XXXIX.

Medeæ facinora.

Ethicè.

1. *Mulier iracunda.* 2. *Procantium perfidia.* 3. *Cura & exemplum parentum.* 206

Symbolum XL.

Thesei præclara facta.

Ethicè.

1. *Princeps fortis & sapiens.* 2. *Inconsulta fœderum societas.* 3. *Prudentia Politica & Polemica.* 4. *Amicitia vituperabilis.* 5. *Puellarum deceptio.* 6. *Symposiorum & Comessationum tempestas.* 7. *Vita hominum Labyrinthus.* 8. *Minotauri effigies Symbolum secreti.* 9. *Diabolus similis Procusti latroni.* 210

Symbolum XLI.

Formicæ in homines.

Ethicè.

1. *Formicarum respublica, & adumbratæ virtutes.* 2. *Homines fungino genere.* 221

Symbolum XLII.

Cephalus uxorem Procrin imprudens occidit.

Ethicè.

1. *Zelotypia inter conjuges quantum malum.* 2. *Cur in astris animalia.* 228

Symbolum XLIII.

Dædali felix volatus, infelix Icari filij.

Ethicè.

1. *Opificum invidia mutua.* 2. *Ingenium vafrum.* 3. *Ingenium solers.* 4. *Parentum officia.* 5. *Temeritas juvenilis.* 232

Symbolum XLIV.

Meleagri torris fatalis, & sororum in gallinas transmutatio.

Ethicè.

1. *Neglectus religionis.* 2. *Concordia Principum.* 3. *Æmulatio stolida.* 4. *Rivales feminarum.* 5. *Sagarum maleficia.* 6. *Incantamenta luxuriæ.* 7. *Vita hominis, lampas.* 240

Sym-

Symbolum XLV.

Niſus rex in avem haliætum: Scylla filia in cirin volucrem vertitur.

Ethicè.

1. *Mulieri ſecretum non committendum.* 2. *Proditionis deteſtatio.* 245

Symbolum XLVI.

Paupertas hoſpitalis Philemonis & Baucidis conjugum.

Ethicè.

1. *Philemon & Baucis multarum virtutum exemplum.* 2. *Paupertas probitatis magiſtra.* 3. *Paupertas læta.* 4. *Remuneratio paupertatis beneficæ.* 248

Symbolum XLVII.

Eriſichtonis fames inſaturabilis, ejúsque filiæ Meſtræ in piſcatorem, aliásque formas mutatio.

Ethicè.

1. *Gravia famis mala.* 2. *Supplicium gulæ fames eſt.* 3. *Impietas parentum redundat in liberos.* 4. *Malarum cupiditatum fames.* 5. *Invidiæ domus & imago.* 255

Symbolum XLVIII.

Miræ Protei transformationes.

Ethicè.

1. *Homo inconſtans.* 2. *Vir prudens & politicus.* 3. *Sycophanta pſeudopoliticus.* 4. *Homo vitioſus & hæreticus.* 5. *Diabolus per Proteum indicatur.* 6. *Homo arbor.* 263

Symbolum XLIX.

Acheloi Copiæ-Cornu.

Ethicè.

1. *Iactantia militaris ſordet.* 2. *Audacia temeraria & timida. Sophiſta vel hæreticus.* 3. *Pugnandum ſeu vi, ſeu dolo.* 4. *Fluviorum utilitas.* 5. *Copiæ-cornu, virtutis præmium.* 270

Symbolum L.

Bivium Herculis.

Ethicè.

1. *Virtus & voluptas occurrunt homini in bivio.* 2. *Herculis imitator Scipio.* 3. *Littera Pythagoræ.* 4. *Ejusdem explicatio.* 5. *Bivium litterarum.* 6. *Adoleſcentiæ lubrica via. Invitamentum voluptatis.* 7. *Attende quam ingrediaris viam à primis annis.* 275

Symbolum LI.

Herculis acta, & apotheoſis.

Ethicè.

1. *Cupiditates & affectiones indomitæ, ſunt monſtra Herculis.* 2. *Hydra Lernæa eſt invidia, capitoſa plebs, & ſeptem vitia capitalia.* 3. *Rationis & Appetitionis pugna per Herculem & Antæum expreſſa.* 4. *Leo Herculeus Symbolum Heroum. Temerarius congreſſus.* 5. *Labores Herculis morali ſenſu.* 6. *Libidinis ſervitus.* 7. *Virtus gaudet aſperis.* 8. *Inſerit aſtris.* 9. *Invidiæ malum.* 10. *Fraudis*

& rea conscientiæ detectio. 11. *Herculis apotheosis seu translatio in cœlum.* 12. *Samsonis & Herculis comparatio.* 281

Symbolum LII.

Tantali & Tantalidum tragœdia.

Ethicè.

1. *Avaritia sitis inexplebilis.* 2. *Qualis stirps, tales rami.* 3. *Ultrix conscientia.* 296

Symbolum LIII.

Oedipi, Oedipodarum, & Amphiarai Vatis interitus.

Ethicè.

1. *Sphingi comparatur lasciva mulier.* 2. *Conscientia mala.* 3. *Quales parentes, tales filij.* 4. *Ambitio inter propinquos.* 5. *Fallax mulierum amor.* 6. *Illustrium matronarum charitas erga maritos.* 7. *Peccatoris cum Amphiarao collatio.* 8. *Litterarum & armorum conjunctio.* 9. *Arma laureata, quæ?* 305

Symbolum LIV.

Hebe & Ganymedes, Iovis pocillatores.

Ethicè.

1. *Favor Principum inconstans.* 2. *Virtus & doctrina commendant formam.* 3. *Cur quidam in flore ætatis moriantur.* 4. *Virtus & invidia evehunt in astra.* 314

Symbolum LV.

Orpheus mirificus Musicus.

Ethicè.

1. *Vis & laus Musicæ.* 2. *Virtutum concentus.* 3. *Osores Liberalium Artium.* 4. *Vituperatio lasciviarum cantionum.* 5. *Vir sapiens & eloquens.* 6. *Vir uxorius.* 7. *Amor conjugalis.* 8. *Gravis offensio in re parva.* 319

Symbolum LVI.

Arion citharœdus à delphino servatus.

Ethicè.

1. *Avaritiæ tormentum.* 2. *Musica etiam brutas animantes delectat.* 3. *Amor Delphinis erga hominem.* 4. *Delphinus variarum virtutum Symbolum.* 330

Symbolum LVII.

Cyparissus puer mutatus in arborem cognominem.

Ethicè.

1. *Puerilis genius.* 2. *Puerilitas morum & cupiditatum.* 3. *Stolidus luctus.* 4. *Bellorum sæpe levissima causa.* 5. *Cypressus symbolum mortis.* 6. *Ex ejus consideratione instruendi adolescentes.* 336

Symbolum LVIII.

Atalantæ Virginis cursorium cum procis certamen.

Ethicè.

1. *Puellarum levitas & illecebræ.* 2. *Voluptas retardat in virtutis cursu.* 3. *Reverentia conjugii.* 4. *Ma-*

Malorum Principiis obstandum. 5. *Remoræ benè currentium.* 6. *Voluptatis stadium.* 7. *Lenones & Lenæ.* 8. *Curriculum virtutis & gloriæ.* 341

Symbolum LIX.

Laomedon perjurus.

Ethicè.

1. *A Deo operum primordia capienda.* 2. *Perjurii pœnæ.* 3. *Sacrilegium punitum.* 346

Symbolum LX.

Ceyx & Alcyone in halcyones aves.

Ethicè.

1. *Conjugalis fides & amor.* 2. *Dura prolis educatio.* 3. *Amor in sepulchro.* 4. *Difficilis delectus matrimoniorum.* 350

Symbolum LXI.

Domus Somni, & Somniorum spectra.

Ethicè.

1. *Imago Somni.* 2. *Somnium naturale.* 3. *Morale.* 4. *A cacodæmone immissum.* 5. *A Deo oblatum.* 6. *Somniorum vanitas.* 7. *Naturalis significatio.* 8. *Somniorum duplex porta.* 9. *Somni ratio.* 10. *Somnus frater mortis.* 356

Symbolum LXII.

Charybdis & Scylla, monstra marina voracia.

Ethicè.

1. *Virtus inter duo extrema navigat.* 2. *Scopuli vitæ humanæ, Ira & Invidia.* 3. *Mala voluptas.* 4. *Luxuria & Gula. Item Prodigalitas.* 5. *Scylla Symbolum animæ corpori conjunctæ.* 6. *E Charybdi in Scyllam incidere.* 363

Symbolum LXIII.

Iphigenia, Regis Agamemnonis filia, ad aram victima.

Ethicè.

1. *Dæmonis crudelia sacrificia.* 2. *Innocens pro nocente plectitur.* 3. *Charitas patriæ.* 4. *Auxilium Dei subitum.* 369

Symbolum LXIV.

Famæ hypotyposis.

Ethicè.

1. *Rumusculorum vanitas.* 2. *Famæ vis in utramque partem, spei & timoris.* 375

Symbolum LXV.

Hippolytus adolescens, castimoniæ decus.

Ethicè.

1. *Laus venationis.* 2. *Castitatis pericula.* 3. *Castitas fortis.* 4. *Incontinentia muliebris.* 5. *Castitatis præmia.* 6. *Inconsulta credulitas.* 7. *Medicorum laus.* 8. *Medicorum vituperatio.* 9. *Eorum arrogantia.* 10. *Honores.* 11. *Conditiones.* 379

Symbolum LXVI.

Vlysses, imago viri Politici.

Ethicè.

1. *Vlyssis astutia. Præsagia seu prognostica ex pueris.* 2. *Avaritia elusa.* 3. *Mendacium simile vento.* 4. *Epicuræa voluptas.* 390

Symbolum LXVII.

Vlysses cum Diomede surripit Palladium Trojanis.

Ethicè.

1. *Civitatis præsidia & ornamentum Artes Mechanicæ, Liberales & Bellicæ.* 2. *Religionis præcipua cura habenda.* 3. *Multitudo sapientum salus populi.* 4. *Vires cum consilio jungendæ.* 397

Symbolum LXVIII.

Vlysses Palamedem fraudulenter circumvenit.

Ethicè.

1. *Invidia perdit viros bonos.* 2. *Lingua pseudopolitica.* 401

Symbolum LXIX.

Vlysses Polyphemum Cyclopem exoculat.

Ethicè.

1. *Ingenium præstat robori.* 2. *Somnolentia & negligentia pastorum populi.* 3. *Cyclopis donum, quale.* 4. *Crudeles tyranni.* 404

Symbolum LXX.

Vlysses Circæ triveneficæ incantamenta solvit.

Ethicè.

1. *Mutatio hominis in bestiam.* 2. *Illecebræ voluptatis malæ.* 408

Symbolum LXXI.

Vlysses Sirenum cantus spernit.

Ethicè.

Blanda libido etiam heroës sternit. 411

Symbolum LXXII.

Vlysses iterum naufragus enatat, & opera Palladis ad delicioſos Alcioni hortos defertur.

Ethicè.

1. *Laboribus & virtute superanda fortuna.* 2. *Nulla est societas Virtuti cum Voluptate.* 3. *Irritamenta malorum vitanda.* 5. *Herba moly, timor Dei.* 6. *Contemptus religionis: vicissitudo fortunæ: victoria libidinum.* 414

Symbolum LXXIII.

Penelope casta.

Ethicè.

1. *Vxor bona.* 2. *Casta.* 3. *Otium vitandum feminis.* 4. *Fides conjugalis.* 417

Symbolum LXXIV.

Polydorus nefariè peremptus ex tumulo loquitur. Mater ejus Hecuba in canem migrat.

Ethicè.

1. *Avaritiæ pestis.* 2. *Ira feminarum.* 3. *Vxor litigiosa, quomodo ferenda, compescenda.* 422

Symbolum LXXV.

Achilles, Imperatoris fortissimi prototypon.

Ethicè.

1. *Quantum sit positum in educatione.* 2. *Timor Dei per Chironem centaurum significatus.* 3. *An ars canendi dedeceat Principem?* 4. *Libidinis vis.* 5. *Litteræ Principibus sunt ornamento.* 6. *Veritas*

non

non potest opprimi. 7. *Salus ex hoste.* 429.

Symbolum LXXVI.

Ajax insaniens.

Ethicè.

1. *Reverentia templorum.* 2. *Iracundiæ cæcus furor.* 3. *Iræ diversi stimuli.* 4. *Suimet carnifices.* 5. *Qua parte corporis pateat locus vulneri in animum.* 439

Symbolum LXXVII.

Fax belli Trojani, Paris & Helena.

Ethicè.

1. *Prognostica pueritiæ.* 2. *Helena funesta fax libidinis.* 3. *Pulchra forma in impudico corpore.* 4. *Feminæ bellorum sæpius causæ.* 5. *Mollities juvenum.* 6. *Soliditas juvenum in delectu bonorum & malorum. Arrogantia feminarum.* 449

Symbolum LXXVIII.

Sinon & Helena, urbis Trojanæ proditores.

Ethicè.

1. *Nimia credendi facilitas.* 2. *Prætextus Religionis falsus.* 3. *Temeraria securitas.* 462

Symbolum LXXIX.

Æneas speculum pietatis in superos, patriam, parentes.

Ethicè.

1. *Pietas in parentes.* 2. *Pietas in Superos.* 3. *Imitatores Æneæ in pietate.* 4. *Quid parentibus debeamus.* 5. *Amor conjugalis.* 468

Symbolum LXXX.

Æneæ descensus ad inferos.

Ethicè.

1. *Aurei rami ab Ænea decerpti moralis significatio.* 2. *Columba Symbolum mentis integræ.* 3. *Facilis descensus averni.* 4. *Mala gaudia.* 5. *Conscientiæ tormenta.* 6. *Inferorum horror.* 7. *Judices inferorum, & Furiæ scelerum vindices.* 474

Symbolum LXXXI.

Quorundam apud inferos supplicia.

I. Salmoneus rex fulminatus.

Ethicè.

Arrogantia plus quam humana. 486

II. Tityi gigantis impij vultur.

Ethicè.

Conscientia rea. 490

III. Ixionis rota.

Ethicè.

Umbra voluptatis multos decipit. 491

IV. Sisyphi saxum semper revolubile.

Ethicè.

Inutiles hominum labores & cupiditates. 493

V. Danaidum dolium.

Ethicè.

1. *Beneficia ingratis collata.* 2. *Iniqua jussa* 3. *Avaritia inexplebilis.* 4. *Mulier scorpioni similis, quæ?* 495

Symbo-

Symbolum LXXXII.
Campi Elysij.
Ethicè.
Quanta felicitas in sedibus Beatorum. 497

Symbolum LXXXIII.
Parcæ Fatorum præsides.
Ethicè.
1. *Diversa Parcarum stamina.* 2. *Fatum Stoicum.* 3. *Fatum in sano sensu.* 4. *Fatum Mathematicum.* 5. *Fatum Calvinisticum.* 6. *Fatum Lutheranum.* 7. *Fatum Catholicum.* 8. *Parcarum spelunca.* 500

Symbolum LXXXIV.
Fortuna, dea cæca.
Ethicè.
1. *Fortuna quid?* 2. *Fortuna & Casus apud Aristotelem. Quid Fortuna ex mente S. Augustini?* 3. *Providentia Dei in temperandis sortibus.* 4. *Fortuna varia apud Romanos.* 5. *Fortunæ inconstantia.* 6. *Divina Providentia rerum omnium moderatrix.* 507

Symbolum LXXXV.
Adrastéa, seu Adastria, aut Nemesis, ultrix Dea.
Ethicè.
Vis Nemeseos in persequendis malis, præsertim torquendâ conscientiâ. 518

Symbolum LXXXVI.
Charites seu Gratiæ.
Ethicè.
1. *Trium Gratiarum officia.* 2. *Lingua gratiosa.* 3. *Indoles amabilis.* 521

Symbolum LXXXVII.
Venus amorum Dea.
Ethicè.
1. *Currus Veneris quid significet.* 2. *Veneris poma.* 3. *Pulchritudinis potentia.* 4. *Veneris corollæ, speculum, rosæ.* 4. *Myrtus.* 5. *Cingulum.* 6. *Suppellex, antrum.* 7. *Ejus delicium Adonis.* 8. *Veneris familia.* 525

Symbolum LXXXVIII.
Cupido, amoris Deus.
Ethicè.
1. *Cupido cur puer?* 2. *Cur nudus?* 3. *Cæcus?* 4. *Alatus?* 5. *Sagittarius?* 6. *Cupidinis & Mortis spicula mutata.* 7. *Cupidinis prava indoles.* 8. *Eros & Anteros contrarii Cupidines.* 533

Symbolum LXXXIX.
Minerva, seu Pallas, Sapientiæ & armorum Dea.
Ethicè.
1. *Pallas cur ex Iovis cerebro nata?* 2. *Ejus habitus & artes.* 3. *Ejus liber & hasta.* 4. *Ejus gallus gallinaceus.* 5. *Ejusdem noctua.* 6. *Cur feroci vultu?* 7. *Ejusdem ægis seu clypeus.* 8. *Cur ei sacra olea?* 9. *Cur Virgo?* 538

Symbolum XC.
Musæ.
Ethicè.

1. *Mu-*

1. *Musarum præsidium & oblectamentum.* 2. *Litterarum utilitas.* 3. *Earum jucunditas.* 4. *Cur Musæ in montibus habitent.* 546

Symbolum XCI.

Apollo.

Ethicè.

1. *Apollinis laurus, Cygnus, Tripus, Crines, aurati, Taurus victima, Ara in Delo, Parnassi juga, Arcus & sagittæ.* 2. *Phœbi seu Solis encomium.* 3. *Analogia inter Solem & Principem.* 4. *Solis & Sapientis comparatio.* 551

Symbolum XCII.

Saturnus.

Ethicè.

1. *Saturni simulacrum. Cur senex? barba promissa? quid falx? serpens? lapis in ore? clepsydra in capite?* 2. *Tempus & Occasio.* 3. *Bonus Princeps per Saturnum indicatur.* 4. *Item tyrannus.* 5. *Lex magis, quàm Rex, observanda.* 6. *Ianus bifrons & quadrifrons.* 560

Symbolum XCIII.

Iupiter, Rex Cœlicolûm.

Ethicè.

1. *Apes Symbolum regiæ dignitatis & beneficentiæ.* 2. *Simulacrum Iovis, fulmen, aquila, notæ boni Principis.* 3. *Cur etiam innocentes feriantur fulmine?* 4. *Aquila Symbolum regium.* 5. *Clementia regentium.* 6. *Pseudopolitica severitas.* 7. *Malum Principis exemplum.* 467

Symbolum XCIV.

Neptunus, maris Deus.

Ethicè.

1. *Principis vigilantia.* 2. *Fortitudo.* 3. *Prudentia.* 4 *Iustitia.* 5. *Severitas cum clementia.* 6. *Auctoritas.* 7. *Indulgentia nimia* 8. *Prudentia militaris.* 9. *Sapiens magistratus.* 10. *Triplex mare, in quo jactamur.* 574

Symbolum XCV.

Pluto, & Plutus, inferorum dij.

Ethicè.

1. *Significatio fluviorum Tartari.* 2. *Monstra orcina.* 3. *Tormenta inferorum.* 4. *Plutus divitiarum deus, & ejus comites.* 583

Symbolum XCVI.

Mars, Deus belli.

Ethicè.

1. *Martis comitatus quid significet. Eius effigies. Bellona. Animalia Marti sacra.* 2. *Belli miseria.* 3. *Effectus.* 4. *Bellum injustum.* 5. *Prudentia bellica. Celeritas in bello.* 6. *Martis currus; Symbolum est iracundi.* 7. *Quinque sensus, Solis filiæ.* 8. *Victoria.* 9. *Pax* 589

Symbolum XCVII.

Mercurius.

Ethicè.

1. *Vis eloquentiæ.* 3. *Pacis studium.* 3. *Mercurius imago Legati.* 4.

Cur vitulus ei sacer? cur lingua? Eius cancer. 5. *Indicium corruptum.* 6. *Cur furum deus?* 7. *Cur mendax simul & fallax?* 8. *Eundum, quà Deus vocat.* 9. *Indoctus, Mercurius est truncus.* 600

Symbolum XCVIII.

Vulcanus, ignis deus.

Ethicè.

1. *Quid sit lampada tradere.* 2. *Fabrorum labor, & ejus expositio Ethica.* 3. *Opifices industrii. Imperiti & improbi.* 4. *Vulcanus cælo & convivio deorum exclusus, quid indicet.* 5. *Cæcus amor nubentium.* 610

Symbolum XCIX.

Æolus, ventorum Deus.

Ethicè.

1. *Laudati Principis officium.* 2. *Affectuum suorum moderator.* 3. *Feminarum imperium.* 4. *Suspicio parens irarum.* 5. *Plus potest moderatio, quàm impetus.* 6. *Ventorum Symbola.* 7. *Quinam sint Æoli.* 618

Symbolum C.

Iuno, Regina Divûm.

Ethicè.

1. *Iuno emblema imperiosæ mulieris.* 2. *Et impotentis.* 3. *Et Superbæ,* 4. *Et iracundæ.* 6. *Et garrulæ.* 6. *Fortunæ blandienti non fidendum.* 7. *Vir constans.* 8. *Refert, qua nutrix, sit pueri.* 624

Symbolum CI.

Djana, dea multiformis.

Ethicè.

1. *Varia Lunæ seu Djana symbola. Somnolentia.* 2. *Djanæ inferæ cultrices sagæ. An plures venefici, an veneficæ?* 3. *Djana venatrix Castitatis exemplar. Commendatio venationis.* 631

Symbolum CII.

Satyri, & cæteri dii agrestes.

Ethicè.

1. *Iuvenculi lascivi Satyris comparantur.* 2. *Petulcus Satyrorum calor.* 3. *In corpore deformi formosus animus.* 4. *Panicus terror.* 5. *Centauri quid significent. Cur diaboli monstrosi?* 6. *Dæmon intentando homine Centaurum agit.* 641

Symbolum CIII.

Castor & Pollux, Amicitiæ idea.

Ethicè.

1. *Castor & Pollux cur in cælo?* 2. *Vera amicitia.* 3. *Helena pestilens sidus.* 4. *Lubrica amicitia.* 5. *Concordiæ bonum.* 648

Symbolum CIV.

Momus, deorum omnium irrisor.

Ethicè.

1. *Libido carpendi & obtrectandi.* 2. *Osores hominum.* 3. *Censores aliorum.* 4. *Sutor, ne ultra crepidam.* 5. *Maledicentia redit in autorem.* 656

SYMBO-

SYMBOLVM I.

Daphne Virgo Laureata.

Ex 1. Meta. Ovid.

Ethicè.

1. Cura Castitatis in Daphne. 2. Castitatis præsidia. 3. Castitas fugiendo vincit. 4. Laureatus Castitatis triumphus. 5. Laurus Symbolum Castitatis.

Quod benè, felicitérque vertat, *Ethicam Symbolicam* auspicamur à triumpho, quem femina de viro, homo de Deo, fugiens de fugante, Castitas de impura *Libidine* reportavit. Fabula sic se habet.

Daphne fuit *Penei* fluvij filia (nam olim etiam Flumina inter Numina colebantur) qui è radicibus Pindi Montis Thessaliæ, Musis Sacrati, ortus per *Tempe* (nemus ejusdem regionis longè amœnissimum, & à quo cæteræ hortensium Gratiarum sedes nomen habent) labitur. Venustas formæ, & laus pudicitiæ, sine discordia, virginem adornabant. Rara Pulchritudo, rarior in Illa virtus, primùm in admirationem rapuit oculos, mox etiam in amorem animos. Ex illis, quos casta formositas in desiderium sui pellexit, etiam *Phœbus* fuit, Jovis filius, & diis è majoribus unus. Primas illecebras tum hausit, quando per montem, sibi, ac Camænis familiarem licentiùs, quàm castum deceret, vagabatur. Duces, ut fieri amat, in amore frontis lumina præibant; horum face cupiditas exarsit; hæc prima ad flagitium via. Quid multa? cum pudore Virginis certabat incontinentia lascivientis. Illa nuptiarum nomen abhorrebat; hic aliquid extra nuptias quærebat. Illi constitutum erat *Dianæ* non minùs pudicitiam, quàm studia sequi; hic pertæsus Musarum consortium, jam sagittas non suas, sed Cupidinis sentiebat. Daphne multorum quamvis expetita thalamis, castum in viridi cespite torum anteponebat.

Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat. Accedebat ad mutandum propositum importunitas patris, ad nuptias non tam invitantis, quàm urgentis & trahentis.

Illa velut crimen tædas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,
Inque patris blandis hærens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit
Virginitate frui: dedit hoc pater antè Dianæ.

Acuit magis hoc parentis telum, jam dudum alto saucius vulnere Phœbus; qui ut expugnaret obfirmatum animum, cæpit renuenti divinitatis suæ prosapiam ostentare, artem canendi, medendique jactare: blanditias exquisitas & preces addere; sed irritas. Præsidium castitatis in pedibus quæsivit Daphne; ocyor aurâ per sentes & rubos, per aspera & plana fugam arripuit; quantóque celeriùs insequebatur fugientem spes procantis, tantò expeditiores alas addebat virgini timor.

----- Sic agna lupum, sic cerva leonem;

Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ. Iámque amator premebat pedem fugientis, erátque similis tenenti, cùm Daphne victa labore fugæ, conijcit oculos in undas Penei parentis, & exclamans:

Fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis:
Qua nimiùm placui, tellus, ait hisce: vel istam,
Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.

Nec mora; simul hæc dixit, simul est mutata in arborem *laurum:*

Mollia cinguntur tenero præcordia libro,
In frondem crines, in ramos brachia crescunt,
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen habent, remanet nitor unus in illa.

Ethica.

I. (*a*) Virginalem Daphnæ castimoniam laudaturus poëta, exaggerat eam à primis curis, quàs etiamnum tenerior puella habuit de hoc ætatis illius decore servando, ut quæ nesciebat, quid esset Hymen, quid *amor*, quid *connubia*. Secus, quàm multis in hoc sexu soleat accidere, quæ mollibus ab unguiculis instituuntur ad lenocinium voluptatis, *vagæ*, ut Salomon loquitur, Prov. 7. *quietis impatientes, nec valentes in domo consistere pedibus*. Liberiùs exspatiantur ad spectacula, ad convivia, ad tripu-

(*a*) *Cura castimoniæ in Daphne.*

tripudia, ad licentiora virorum ac juvenum consortia. Capere volunt & capi, quo reti? ait idem ibidem: *ornatu meretricio ad capiendas animas.* Poterat Daphnen à consilio virginitatis dimovere parentis auctoritas:

Sæpè pater dixit, debes mihi nata nepotes: Illa tamen casto pudore suffusa mentis altæ propositum paternis hortatibus constanter antehabuit; contrà quàm faciunt illi, illæque, quos ab integritatis proposito vox una gravior patris, aut mollior matris avertit.

Daphne tam erat amans virginalis pudoris, ut antequam eum profanaret, optaverit vel terrâ sorberi (id quod ob fortitudinem, in Curtio juvene Romano, nunquam satis laudavit antiquitas) vel quacunque formæ mutatione, formam, quantum feminarum bonum! amittere. Erubeant, quibus dos una nubendi, genarum fucus.

II. (*b*) Ex Ovidio observa, tria maximè castitatis præsidia fuisse à Daphne adhibita:

Silvarum latebris, captivarúmque ferarum
Exuvijs gaudens, innuptæque æmula Phœbes;
Vitta coërcebat positos sine lege capillos.

Nimirum *Solitudo*, *labor*, simplex *mundities* & ornatus, tutam à Paphijs ignibus præstabant. Oculos inter plures custodire difficile est; tunc præsertim, cùm procantium nobilitas, scientia, opes (Apollinem cogita) in conspectum veniunt. *Otiosi*, ait S. Hieronymus, de ventre, & ijs, quæ sub ventre sunt, maximè cogitant; *compti* nimis & curiosiùs ornati, quasi hamum capiendis animis proijciunt.

III. (*c*) Daphne pudicitiam suam fugiendo subduxit Apollinis libidini; qua de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem, ac castissimam, quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Horat. lib. 2. Ode 15.

Nunc spissa ramis laurea, fervidos
Excludit æstus.

Eadem, ne fulmine quidem tangenda; unde Cæsares olim gestare laurum soliti. Symbolum hoc virginitatis est, de qua Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Usque viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternùm sic habet illa decus.

Et quænam pulchrior victoria ac triumphus, quám qui fugâ tam glorioſa relatus est? De hoc emblema, cum lemmate, *in fuga victoria.* Apostolus, 1. Cor. 6. quod magnus Augustinus observat: *fugite*, inquit, *forni-*

(*b*) *Castitatis præsidia.* (*c*) *Castitas fugiendo vincit.*

Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat. Accedebat ad mutandum propositum importunitas patris, ad nuptias non tam invitantis, quàm urgentis & trahentis.

Illa velut crimen tædas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,
Inque patris blandis hærens cervice lacertis,
Da mihi perpetua, genitor charissime, dixit
Virginitate frui: dedit hoc pater antè Dianæ.

Acuit magis hoc parentis telum, jam dudum alto saucius vulnere Phœbus; qui ut expugnaret obfirmatum animum, cæpit renuenti divinitatis suæ prosapiam ostentare, artem canendi, medendique jactare: blanditias exquisitas & preces addere; sed irritas. Præsidium castitatis in pedibus quæsivit Daphne; ocyor aurâ per sentes & rubos, per aspera & plana fugam arripuit; quantóque celeriùs insequebatur fugientem spes procantis, tantò expeditiores alas addebat virgini timor.

----- Sic agna lupum, sic cerva leonem;

Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ. Iámque amator premebat pedem fugientis, erátque similis tenenti, cùm Daphne victa labore fugæ, conijcit oculos in undas Penei parentis, & exclamans:

Fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis:
Qua nimiùm placui, tellus, ait hisce: vel istam,
Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.

Nec mora; simul hæc dixit, simul est mutata in arborem *laurum:*

Mollia cinguntur tenero præcordia libro,
In frondem crines, in ramos brachia crescunt,
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen habent, remanet nitor unus in illa.

Ethica.

I. (*a*) Virginalem Daphnæ castimoniam laudaturus poëta, exaggerat eam à primis curis, quàs etiamnum tenerior puella habuit de hoc ætatis illius decore servando, ut quæ nesciebat, quid esset Hymen, quid *amor*, quid *connubia*. Secus, quàm multis in hoc sexu soleat accidere, quæ mollibus ab unguiculis instituuntur ad lenocinium voluptatis, *vagæ*, ut Salomon loquitur, Prov. 7. *quietis impatientes, nec valentes in domo consistere pedibus*. Liberiùs exspatiantur ad spectacula, ad convivia, ad tripu-

(*a*) *Cura castimoniæ in Daphne.*

tripudia, ad licentiora virorum ac juvenum consortia. Capere volunt & capi, quo reti? ait idem ibidem: *ornatu meretricio ad capiendas animas.* Poterat Daphnen à consilio virginitatis dimovere parentis auctoritas:

Sæpè pater dixit, debes mihi nata nepotes: Illa tamen casto pudore suffusa mentis altæ propositum paternis hortatibus constanter antehabuit; contrà quàm faciunt illi, illæque, quos ab integritatis proposito vox una gravior patris, aut mollior matris avertit.

Daphne tam erat amans virginalis pudoris, ut antequam eum profanaret, optaverit vel terrâ sorberi (id quod ob fortitudinem, in Curtio juvene Romano, nunquam satis laudavit antiquitas) vel quacunque formæ mutatione, formam, quantum feminarum bonum! amittere. Erubeant, quibus dos una nubendi, genarum fucus.

II. (*b*) Ex Ovidio observa, tria maximè castitatis præsidia fuisse à Daphne adhibita:

Silvarum latebris, captivarúmque ferarum
Exuvijs gaudens, innuptæque æmula Phœbes;
Vitta coërcebat positos sine lege capillos.

Nimirum *Solitudo*, *labor*, simplex *mundities* & ornatus, tutam à Paphijs ignibus præstabant. Oculos inter plures custodire difficile est; tunc præsertim, cùm procantium nobilitas, scientia, opes (Apollinem cogita) in conspectum veniunt. *Otiosi*, ait S. Hieronymus, de ventre, & ijs, quæ sub ventre sunt, maximè cogitant; *compti* nimis & curiosiùs ornati, quasi hamum capiendis animis proijciunt.

III. (*c*) Daphne pudicitiam suam fugiendo subduxit Apollinis libidini; qua de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem, ac castissimam, quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Horat. lib. 2. Ode 15.

Nunc spissa ramis laurea, fervidos
Excludit æstus.

Eadem, ne fulmine quidem tangenda; unde Cæsares olim gestare laurum soliti. Symbolum hoc virginitatis est, de qua Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Usque viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternùm sic habet illa decus.

Et quænam pulchrior victoria ac triumphus, quám qui fugâ tam glorioſa relatus est? De hoc emblema, cum lemmate, *in fuga victoria.* Apostolus, 1. Cor. 6. quod magnus Augustinus observat: *fugite*, inquit, *forni-*

(*b*) *Castitatis præsidia.* (*c*) *Castitas fugiendo vincit.*

fornicationem; at cùm de cæteris vitiis vincendis loquitur, *resistite*, hortatur. Victores olim lauro coronatos fuisse, cui non constat? Virgil. 5. Æneid.

Sic fatus (Æneas) cingit viridantia tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.

Et Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Tempora Phœbea lauro cingentur, ióque
Miles iò, magna voce, triumphe! canet.

Idem victrici Daphnes pudicitiæ acclamemus; quæ non modò digna est, ut coronetur lauro; sed ut tota abeat in laurum. Vivat Daphne! de qua nos, quod Horatius lib. 2. Od. 1. de Asinio Pollione Dalmatas triumphante:

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Vertamus in Daphnen:

Cui laurus æternos honores
Virgineo peperit triumpho.

O nobilem ergo triumphum, nobilem victoriam, quæ tota pedibus debetur!

IV. (*d*) Cur triumphantes olim lauro coronarentur, hanc adducit rationem Servius ad Eclogam 9. quoniam, inquit, apud veteres, laurus à laude nomen habuit: nam eam *laudum* dicebant. Cur non igitur in *laurum* & *laudes* vertatur Daphne, cujus, ut Poëta canit, *sideribus similes oculi*, tantáque formæ venustas, ut Deum illum, quo non formosior alter in Superis, amore sui accenderit; & tamen illa jam tunc Laurus, antequam esset Laurus, non arserit; nec fulmine, Cyprio, inquam, telo, afflata aut tacta fuerit. Quin etiam jam laurus facta, virginis tamen sensum retinuit, nam Phœbus

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum. Quid mirum ergo, quòd is ipse, qui lauri hujus virorem ac nitorem violare tentaverat, victus constantiâ virginis, encomium ei cecinerit:

Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores,
semper habebunt
Te coma, te citharæ, te nostræ, Laure pharetræ:
Tu ducibus lætis aderis, cùm festa triumphum
Vox canet, & longas visent capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem firmissima, custos
Ante fores stabis.

Nescio

(*d*) *Laureatus capitalis triumphus.*

Neſcio enim, quomodo fiat, ut virtus oppugnata tantò evadat pretioſior, quantò in repellendis aſſultibus fuerat fortior. An, quia præclarum facinus & ab hoſte probatur; & ſeu vincas, ſeu vincaris, ex adverſarii robore nobiliorem palmam reportas?

V. (*e*) Laurus olim, quod Ovidius innuit, ante veſtibulum palatij Cæſaris Auguſti, & ſucceſſorum, ſtatuebatur, tanquam triumphale victoriarum ſignum. Optandum ſanè, ut ante fores oculorum, aurium, linguæ, hæc arbor excubet, Symbolum Caſtitatis & præſidium. Laurus, quod Plinius docet, igni obluctatur crepitu. Et mali ominis apud augures erat, laurum in ignem conjectam, non crepuiſſe. Quid dicam? Caſtitas, ne uratur, manibus repugnat ac pedibus. Cujus rei memorabile documentum Nicetas, adoleſcens ille præbuit, qui cùm aliter Cypridem rejicere non poſſet, morſu linguam præcidit, & in lenocinantis faciem exſpuit. Baron. anno Chriſti 252. Equidem in lingua telum gerit pudicitia, quæ ſi laborat, altiùs clamando reluctandum eſt Cupidini, vim & facem paranti. Exemplô Daphnes, cave Virginitas; *tetigiſſe, periſſe eſt.* Manum Phœbi evitavit fugiendo laureata hæc Nympha. Et quis putaret? in virginum Muſarum vicinia, ſtruuntur inſidiæ virginitati; & quidem *lauro*, à laurigero Phœbo? Facilè ſpernat Galatea Polyphemos, & cæteros Ætnæ Cyclopas; Plus eſt periculi à criſpis Apollinarium juvenum cincinnis, à rubicundis genis, blandiente lingua, digitis auro micantibus, & ſuavem per chordas ac corda pectinem ducentibus. Hîc Daphne, ſi ſapis, fuge, & lauream fugiendo compara. Memineris, quod Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis canit:

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cùm tenui carptus defloruit ungue,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tunc chara ſuis; ſed
Cùm caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.

(*e*) *Laurus Symbolum caſtitatis.*

SYMBOLVM II.

Minerva Bucculenta.

Ovid. 6. Meta. Plut. Athenæus.

Ethicè.

1. Iræ remedium ex ſpeculo. 2. Cognitio ſui è ſpeculo.

OLim ad menſam clarorum laudes virorum tibiâ cantatas fuiſſe, meminit Cicero 1. Tuſcul. Qui mos in Deorum quoque convivijs obſervatus, non magis aures diſcumbentium, quàm animos ſuavi acroamate demulcebat. In ejusmodi quopiam epulo, cùm Apollo citharæ fidibus mirificè luderet, Minerva ſuam quoque canendi artem demonſtratura, ſumpſit in manus tibiam, dulcíque modulatu, voluptatem cœlicolis inſtitit aſpergere. Vix ore cœpit animare fiſtulam, cùm in riſum ſolvuntur Dij; buccas quippe Diva, cæteroquin decori obſervantiſſima, ita inflaverat, ut deformem in modum tumerent. Pudor & ira incendêre deam, ignaram cauſæ ridendi. Quid enim? an contemptam ſe putet, ut, quæ cæterarum artium Liberalium eſt Præſes, non etiam polleat canendi, & fiſtulam digitis ſollicitandi peritiâ? Igitur ſpatium ut daret animo, excedit locô convivij, ad palludem (quæ ab ipſius nomine *Tritonia* dicta) ſe confert, iterúmque tibiam manu tentat & linguâ. Et ecce, dum inter canendum temerè conjicit oculos in undas, advertit, buccas tanquam è ſpeculo reflexas fœdè intumeſcere, vultúmque ridiculè diſtorqueri & deformari. Vehementer igitur commota imaginis objectæ turpitudine, cœpit monſtroſam deteſtari formam. Etenim quid indignius tali ac tantâ deâ, quàm ruſticus genarum tumor, diſtortum os, corrugata labra, recedentes in angulum oculi, criſpatæ nares, totum caput ventoſo potiùs Æolo, quàm Virgini divinæ ſimile? Ocyus hinc abjicere arundinem, séque ipſam fugere, ſuíque pudere. Tantùm valuit cognitio ſui ex aqueo ſpeculo reddita.

Ethica.

I. (*a*) Rectè imago hæc vitrea ad iracundas & diſtortas hominum, præcipuè feminarum, formas applicatur. Nam ſexum hunc, quanquam venuſtatis ſtudioſiſſimum, nihil fœdiùs, nihil crebriùs deformat, quàm impetus

(*a*) *Ira remedium ex ſpeculo.*

impetus iræ ac tumor. Senecæ dictum est lib. 1. de Ira.: Nescias, utrum magis detestabile sit hoc vitium, an deforme. Cætera licet abscondere & in abdito alere; ira se profert, & in faciem exit, quantóque major est, hoc efferveſcit manifestiùs. Et cap. 35. Nihil tamen æquè profuit ad cohibendum hunc animi impetum, quàm primùm intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est ullus affectus faciei turbatior; pulcherrima fœdavit ora, & torvos vultus ex tranquillissimis reddidit. Huc quadrat illud Ovidij lib. 3. de arte.

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæviùs angue micant.

Pergit Seneca: Qualem tu intrà putas esse animum, cujus extrà imago tam fœda est? quantò illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, incensior impetus, erupturus, se nisi ruperit. Et cap. 36. Quibusdam iratis profuit aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui: velut in rem præsentem adducti, non agnoverunt se. Et quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? animus si ostendi, & si in illa materia perlucere posset, intuentes nos confunderet, ater, maculosúsque, æstuans, distortus, & tumidus. Nunc tanta deformitas ejus est per ossa carnésque, & tot impedimenta effluentis: quid si nudus ostenderetur? Consonat Plutarchus in Moral. Mihi verò, inquit, si quis scitus & elegans sit comes, vel assecla, non ægrè feram, siquis in ira proferret mihi speculum, sicut quibusdam jam lotis, comptísque solet sine ullu fructu. At seipsum ita videre, præter naturam constitutum, & undique turbatum, non parùm conferat ad affectus hujus damnationem. Et Martialis lib. 1. Speculum vocat *consilium formæ*, *faciei Iudicem*, qui nemini adulatur. Hinc illud Lemma, speculo subscriptum: *Cunctis æquè fidum.* vel, *omnibus omnia.* Unde simiæ abhorrent specula, deformitatem suam aversatæ: nam *veritas odium parit.* Quantò rectiùs apud memoratum Poëtam lib. 2. egisset Lalage, femina perinde furiosa ac superba, si non tam formam, quàm iram suam contemplata fuisset in orbe vitreo.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incertâ non benè fixus acu.
Hoc facinus *Lalage* speculo, quô viderat, ulta est:
Et cecidit sectis jcta *Pſecuſa* comis.

Nempe fregit in capite ancillæ speculum, & miseram evulsis capillis humi afflixit. Sic apud Juvenalem Sat. 6. tractata est *Pſecas* puella, quam impotens hera taureo nervo castigavit. Quæ causa?

Com-

Componit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis:
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuò flexi crimen, facinúsque capilli.

Et de alia quadam hujusmodi Furia memoratur, eam, cùm ferire vellet ancillulam, ídque non posset commodè, quòd manus haberet impeditas; (tenebat alterâ speculum, alterâ gemmeum torquem, & armillas aureas.) Quid fecit? puellam, crinium ornatricem coram venire jubet; paret illa: tam verò rabiosa mulier in ejus faciem rostro plus quàm canino irruens, nasum impetit, miserámque denasasset dubio procul, nisi avertens opportunè vultum ancilla, pro naso obtulisset aurem, quam Megæra penè totam mordicus abstulit. Quòd si tales Furiæ insaniam suam viderent in speculo, superi!

O qualis facies, & quali digna tabella! Juven.

II. (*b*) Sed non iracundia tantùm ad cristallinum est deferenda & corrigenda Judicem; pluribus animi morbis hic aspectus est salutaris. Nam ut seneca scribit lib. 1. Quæst. Nat. Inventa sunt specula, ut homo ipse se agnosceret. Multa ex hoc consecuta. Primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut evitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: Juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud esse tempus discendi, & fortia audiendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipsos videndi. Fons cuivis perlucidus, aut læve saxum imaginem reddit.

Nuper me in littore vidi.
Cùm placidum ventis staret mare

Ait apud Maronem Corydon Eclog. 2. Socratem Philosophum scribit Apuleius Apolog. 1. speculo ad morum disciplinam esse usum. Quippe suasisse discipulis fertur, ut qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procurare, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret. Qui verò minùs se commendabilem formâ putaret, sedulò operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Libertus Augusti Cæsaris Phædrus, vir eruditus, apologum narrat hunc in modum. Civis Romanus filium habuit & filiolam formæ dissimillimæ, fortunâ insolenter errante. Filius Hyacinthus, contrà quàm fieri amat, præstantissimæ formæ: Tulliola filia insigniter deformis erat. Utriúsque vaga ætas speculum matris reperit & inspexit. Puer speculum adeò sibi favere

(*b*) *Cognitio sui è speculo.*

favere animadvertens: Heus soror, inquit, quàm ego formosus sum ad te collatus, & quàm tu nihil habes formæ; ô deformem Canidiam! Puella impatiens tam acerbi vituperij rem patri detulit, & fratrem graviter accusavit, quòd speculum, rem feminarum, inspexerit. Pater utrúmque peramanter amplexus, ô mea pignora, inquit, cupio, ut speculum quotidie inspiciatis: Tu quidem, Hyacinthule, ne scitam & decoram speciem pravis moribus, vitijsque corrumpas: Tu verò, Tulliola, ut sequiorem formam virtutibus & morum concinnitate commendes. Sic ambo rectissimè habebitis. Imitentur igitur Minervam, quicunque & quæcunque dignitatem corporis malis moribus deformant: & abijciant, quidquid pulchritudinem non tam oris, quàm animi corrumpit. Factura hoc fuisset Helena, illud olim venustatis miraculum & oculorum tormentum, si quemadmodum, in orbe vitreo sibi placuit juvencula, animum adjecisset ad larvam, canis crinibus inducendam. De hac Ovid. lib. 15. metam.

Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris, & secum, cur bis sit rapta, requirit.

SYMBOLVM III.

Marsyas excoriatus.

6. Metam. & 6. Fastor.

Ethicè.

1. Obtrectator temerarius. 2. Inflati Musici. 3. Inanis jactantia.

EX Præcedenti fabula intelleximus, Minervam deprehensa vultûs inflatione, ex tibiæ cantu, abjecisse tibiam, fœdum oris virginei dehonestamentum. Eam fistulam in ripa paludis Tritonidis jacentem, fortè conspicatus *Marsyas*, quidam ex horridis satyris, plus in mento pilorum, quàm in mente Sapientiæ gestantibus, sustollit homo, inflat ore, premit digitis, elicit sonum, placet modulamen, eò denique arrogantiæ delabitur, ipsum ut Phœbum, divinum citharœdum, auderet in certamen provocare, sed maximo suo malo: nam ab adversario victus, & abstractâ per artus cute, miserrimè laniatus est; Marsyas, commiseratione deorum in fluvium cognominem suo diffluxit cum sanguine, quem flentes Nymphæ agrestes fusis auxerunt lacrimis. De hac fabula Ovidius 6. fastorum:

Prima terebrato per rara foramina buxo
Ut daret, effeci, tibia longa sonos.
Vox placuit: faciem liquidis referentibus undis
Vidi, & virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est, valeas mea tibia, dixi:
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primùm miratur, & usum
Nescit, & afflatam sentit habere sonum.
Et modò dimittit digitos, modò concipit auras:
Jámque inter Nymphas arte superbus erat.
Provocat & Phœbum: Phœbo superante pependit;
Cæsa recesserunt à cute membra sua.

Et 6. Metam.

Quem Tritoniaca Latôus arundine victum
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis? inquit:
Ah! piget: ah! non est, clamabat, tibia tanti.
Clamantis cutis est summos direpta per artus,
Nec quicquam nisi vulnus erat, cruor undíque manat,
Detectíque patent nervi, trepidæque sine ulla
Pelle micant venæ. Salientia viscera posses
Et perlucentes numerare in pectore fibras.
Illum ruricolæ silvarum Numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus, (a)
Et Nymphæ flêrunt, & quisquis montibus illis
Lanigerósque greges, armentáque bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactáque terra caducas
Concepit lacrimas, ac venis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquas, vacuas emisit in auras.
Inde petens rapidum ripis declivibus æquor;
Marsya nomen habet, Phrygiæ liquidissimus amnis.

Ethica.

I. (b) Per Marsyam denotatur obtrectator temerarius, qui non veretur viros doctrina ac virtute præstantes maledicis scriptis lacessere. Quales sunt Thrasonici quidam Litteratores, qui *Latiæ, Cecropiæq; Minervæ* tibiâ, hoc est, eruditione aliqua tumentes, nomẽ sibi inter contribules, ut Marsyas inter Satyros

(a) *Nomen Satyri est.* (b) *Temerarius obtrectator.*

tyros & agreſtes Nymphas, pepererunt. Hi neſciunt ſuam intra pelliculam, quod Martialis Cerdonem monet, ſe tenere: ſed vel famoſis libellis, vel Theoninis ſcriptis contra viros claros inſurgunt, graculi contra luſcinias, Grammatici contra Theologos, Legulei adverſus Juris Antiſtites, rabulæ in Tullios, Chœrili & Mævij contra Marones, & alios Vates, Apollinea lauro cinctos. Quid quærunt? nomen ex temeritate; cupiunt inclareſcere chartis, non alia luce, quàm Vulcaniâ dignis. Sic Heroſtratus, impuriſſimus nebulo, templum Epheſinæ Dianæ incendit, ut famam conſequeretur infamiâ. Sed hujuſmodi corniculæ non rarò in Aquilas incidunt, quarum acie deprehenditur inſcitia, & ad ſolem expoſita, generoſis unguibus deplumatur ac diſcerpitur, detractáque malè cohærentium calumniarum, ſophiſinatum, ſcommatum cuticulâ, ſapientibus in ludibrium proſtituitur. Sic ſus Minervam, ſic Dares Entellum, ſic Marſyas Apollinem laceſſit. Martialis obtrectatorem talem reijcit tanquam indignum, quem illuſtret reſpondendo lib. 5. Epigram.

Allatres licet uſque nos, & uſque
Et gannitibus improbis laceſſas:
Certum eſt, hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis è meis libellis,
Qualiſcunque legaris ut per orbem.
Nam te cur aliquis ſciat fuiſſe?
Ignotus pereas miſer, neceſſe eſt.
Non deêrunt tamen hac in urbe forſan,
Unus, vel duo, trésve, quatuórve,
Pellem rodere qui velint caninam
Nos hac à ſcabie tenemus ungues.

Senecæ dictum eſt lib. 2. de Ira. Ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe dignum viſum, ex quo peteretur ultio; quò pertinet illud ex fabulis:

Tauri ſedebat vilis in cornu culex:
Volare num ſe vellet, ipſum interrogat.
Reſpondet ille: nec ſedentem noveram,
Nec evolantem te profectò ſentiam.

Id hodiéque à viris ſapientibus obſervatur, præſertim in argumento Controverſiarum Religionis, quam alij atque alij, velut canes Lunam, allatrant, & millies refutata novis clamoribus urgent. Quibus aliquando reſpondendo contunditur os. juxta illud Salomonis Prov. 26. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Ali-

quando tamen ſatius eſt, maledicentiam ulciſci contemptu. Quod ibidem c. 27. v. 22. Sapientiſſimus monet: *Ne reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis;* fruſtrà cum inſano contendendo. Nam, *Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas, non auferetur ab eo ſtultitia.* Pendent in Apollinis templo plurimæ Marſyarum excoriatorum pelles, non ideò tamen abſterrent maledicum canentis Satyri calamum, nè Phœbum, intellige virum ſapientia præditum, temeraria provocatione inceſſat. Indicat hoc Xenophon, *ἀναβάσεως.* dum refert, Marſyam victum, pelléque ſpoliatum ab Apolline, *ἐξίζοντα ἐι περὶ σοφίας* certantem ſibi de ſapientia. Ejuſmodi ſtultitiæ mercedem etiam tubicen ille Miſenus tulit, de quo Maro 6. Æneid.

Sed tum fortè, cavâ dum perſonat æquora conchâ,
Demens, & cantu vocat in certamina Divos,
Æmulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumosâ immerſerat undâ.

Hoc habet majora viribus tentans audacia. Per illa verba: *Si credere dignum eſt.* oſtendit Poëta, ſe dubitare, utrùm homo tantæ extiterit audaciæ, ut deos in certamen provocaret. Atque hæc de pellicula Marſyæ, infeliciſſimi tibicinis.

II. (*b*) Latet etiam alius ſenſus in hac fabula; quam finxiſſe dicuntur Athenienſes, apud quos, cùm eloquentiæ & ſapientiæ ſtudia florerent; apud alios autem, præſertim Thebanos, tibicines & aulœdi, liberalium artium ſtudioſis præferrentur; induxerunt ruſticam Satyri tibiam cum ſuaviſſima Phœbi lyra certantem, meritáſque pœnas dantem. Conqueritur de tam præpoſtero judicio Martialis lib. 5. ad Lupum.

Cui tradas, Lupe, filium magiſtro
Quæris ſollicitus, diúque tentas.
Omnes Grammaticóſque, Rhetoráſque
Devites moneo; nihil ſit illi
Cum libris Ciceronis aut Maronis
Farnæ Tutilium ſuæ relinquat:
Si verſus facit, abdices poëtam;
Artes diſcere vult pecunioſas,
Fac diſcat citharœdus aut choraules.

Idem lib. 6. ad Severum.

Prætores duo, quattuor Tribuni
Septem cauſſidici, decem Poëtæ

(*b*) *Inflati Muſici.* Cujuſdam.

Cujuſdam modò nuptias petebant
A quodam ſene: non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam
Dignum quid fatuo, *Severe* fecit?

Quaſi diceret: Nunquid ſapienter? nam jacent artes ingenuæ; nec honos eis, nec præmium rependitur. Aulœdi, citharœdi, lyricines, & menſarum ſectatores Sycophantæ rem faciunt nugis & facetijs; viri boni & litteris exculti cum paupertate & inopia conflictantur. Cujus rei Symbolum eſt *acanthis in ſpinis* vivens (unde Spinus & Spinulus dicitur) & tamen ſuaviter canens, cui perpetuæ cum aſino inimicitiæ. Ariſtot.

III. (c) Moralem doctrinam ſuppeditat *Tibia*, quam Minerva abjecit, Marſyas invenit. Hac ille ſupra ſortem ſuam inflatior, ſperabat è divino canendi inſtrumento, divinum quoque, & cuivis Apollini parem cantum profluxurum. Stolidè. Sunt enim *arma* ſine *arte*, quod gladius ſine mucrone; manus ſine nervo; nomen ſine re. Huc facit, quod Martinus Barletius ſcribit de Georgio Caſtrioto, cui heroica facta cognomentum Scanderbegi, ſeu Alexandri peperere. Is acinace ſuo poterat hoſtes ad umbilicum uſque medios dividere; unde Mahometes Turcarum Imp. deſiderio videndi tam potentis gladij, eum ſibi mitti petijt. Qui cùm non multùm ab enſe vulgari differe videretur, ſubdubitavit Mahometes, an illo ferro vulnera tam truculenta fuiſſent edita; cui renuntiatum à Scanderbego, acinacem quidem à ſe miſſum, quo ſoleret in prælijs uti, deeſſe tamen ferro brachium, quò fuiſſet illud vibratum. Unde Symbolum: *non gladius, ſed manus: non fiſtula, ſed ars.*

(c) *Inanis jactantia.*

SYMBOLVM IV.

Midas inauratus.

11. Metam.

Ethicè.

1. Infelicitas divitum. 2. Stultitia votorum humanorum.

GOrdius Phryx, agreſti & ignobili genere ortus, rex Phrygiæ conſalutatus eſt ab omnibus; quòd ex Apollinis oraculo, primus templum Jovis recèns in urbe Gordio ædificatum, ingreſſus fuiſſet; in

cujus rei memoriam, jugum vehiculi sui rustici, compluribus loris in seipsa implicatis adstrictum suspendit, in quo nexus ita celabantur, ut unde nodus inciperet, quovè se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset. Alexander urbe Gordio in potestatem redactâ, quoniam intellexerat, sortem esse oraculo editam, Asiâ potiturum, qui inexplicabile vinculum solvisset, nexus explicare aggressus, gladio rupit lora, & sic oraculum vel elusit, vel implevit.

Hujus Gordij filius & in regno successor erat *Midas*, homo auri avidissimus, qui cùm Bacchum hospitio suscepisset, jussúsque esset petere, quidquid vellet, ejus voti mox compotem futurum. Nihil æquè se optare respondit, quàm ut protinùs, quidquid attigisset, in aurum verteretur. Annuit Bacchus optatis; solo Midæ contactu obvia quæque in fulvum metallum convertuntur. Verùm, cùm urgente fame, cibum sumere conaretur, atque illum quoque in aurum mutari videret: sensit tandem stolidus, se parùm sapienter optâsse; petijt igitur à *Libero* patre, ut munus illud, quantumvis speciosum, sibi adimeret. Misertus illius Bacchus, mandavit, ut *Pactolo* Lydiæ fluvio se ablueret. Cui cùm morem gessisset, ipse quidem pristino restitutus est statui: cæterùm Pactolus ex eo tempore aureas arenas voluere cæpit. Eleganter fabulam carmine describit Ovidius 11. Met. hunc in modum.

Huic decus optanti, gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium.
Ille malè usurus donis, ait: Effice, quidquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituráque munera solvit
Liber: & indoluit, quòd non meliora petîsset.
Lætus abit, gaudétque malo, Berecynthius heros. (a)
Pollicitique fidem tangendo singula tentat
Vixque sibi credens, mox alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam, virga aurea facta est:
Tollit humo saxum, saxum quoque palluit auro:
Contigit & glebam; contactu gleba potenti
Massa fit: arentes Cereris decerpsit aristas
Aurea messis erat: demptum tenet arbore pomum;
Hesperidas donâsse putes: Si postibus altis
Admovit digitos; postes radiare videntur;
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaën eludere possit.

(a) *Phrygius Midas.*

Vix

Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia: gaudenti menſas poſuere miniſtri
Extructas dapibus, nec toſtæ frugis egentes.
Tum verò, ſive ille ſuâ Cerealia dextrâ
Munera contigerat; Cerealia dona rigebant:
Sive dapes avido convellere dente parabat;
Lamina fulva dapes admoto dente nitebat.
Miſcuerat puris autorem muneris undis
Fuſile per rictus aurum fluitare videres,
Attonitus novitate mali, Divéſque, miſerque,
Effugere optat opes, & quæ modò vouerat, odit.
Copia nulla famem relevat, ſitis arida guttur
Urit: & inviſo meritus torquetur ab auro.
Ad cœlúmque manus, & ſplendida brachia tollens:
Da veniam Lenæe pater, peccavimus, inquit:
Sed miſerere precor, ſpeciosóque eripe damno,
Mite deûm numen: Bacchus peccâſſe fatentem
Reſtituit, factíque fide data munera ſolvit.
Néve malè optato maneat circumdatus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,
Pérque jugum ripæ labentibus obvius undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus
Spumigeróque tuum fonti, quà plurimus exit,
Subde caput, corpúſque ſimul, ſimul elue crimen.
Rex juſſæ ſuccedit aquæ: vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore ceſſit in amnem,
Nunc quoque jam veteris percepto ſemine venæ
Arua rigent, auro madidis pallentia glebis.

Ethica.

Duplicem hæc fabula Morali Scholæ doctrinam ſuggerit. Prior, *ſtulta mortalium vota.* poſterior, *divitum infelicitatem.*

I. (*a*) VecordiamMidæ imitantur, qui divitiarum cupiditate abrepti, in id omnibus incumbunt viribus, ut velut gryphes, aut formicæ Indicæ, coäcervent theſauros; quorum poſſeſſio deinde ipſis non modò oneroſa, cùm non minor labor ſit: *quàm quærere, partà tueri;* ſed etiam non rarò

(*a*) *Infelicitas divitum.*

rarò exitiosa. Non frustra pallet aurum, cùm insidiatores habeat plurimos. Hujusmodi Midæ cœnam, quondam Pythiniorum regi *Pythæ* apposuit uxor, qui rusticos ab agricultura, cives ab opificijs abstractos, aurum effodere coëgit. Refert ex Plutarcho Caussinus in Symbol. lib. 2. Uterque jejunus in mensa aurea, typum exhibet avari, summam inter opulentiam, & reconditos thesauros egentis. Rectè Claudianus in Ruffin. lib. 1.

Semper inops, quicunque cupit.

Et Horat. lib. 3. Od. 16.

Multa petentibus, multa desunt.

Beatior est, non qui plura habet, sed qui pauciora cupit. Nemo pluribus eget, quàm qui plurima possidet. Adde, quòd opes nunquam ferè possunt, neque parari sine injuria, neque exerceri sine luxu, neque haberi sine periculo, neque amitti sine dolore. Anacreon, celebris Poëta, Polycrati Samiorum tyranno quinque talenta, quibus ab eo donatus fuerat, restituisse fertur, quòd ob ea duabus noctibus somno caruerit. Aurei Midæ ac Pythis cibi me faciunt meminisse alterius mensæ huic proposito convenientis, quam Heliogabalus parasitis apposuit sæpe ceream, sæpe ligneam, eburneam, fictilem, etiam marmoream, escis ex varia illa materia effictis; nonnunquam pictas ciborum tabulas exhibebat, inter quas convivæ fame macerarentur, & per singula fercula, tanquam comedissent, bibere cogerentur, ac manus lavare. *Lampridius.* En imaginem avaritiæ, quæ miserè torquet, quos ipsa possidet, & amatores suos cogit inter opes esurire & bonorum tantùm umbris frui. De qua re plura in Tantalo. De Avaro Horat. serm. 1. sat. 1.

mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca

Et mox:

Congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere Sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

II. (*b*) De stolido Midæ voto eleganter Maximus Tyrius, dissert. 30. Quanti suum, inquit, sibi exitium accersunt grandibus votis! ut consequantur, petunt; damnant, cùm consecuti sunt. Multi violenter impetrant, quod cupiunt, & id donum interpretantur. Errant fatui; supplicium est, non donum. Sapienter Socrates apud Val. Max. Lib. 7. c. 2. nihil ultra petendum à dijs immortalibus arbitrabatur, quàm ut

(*b*) *Stolida mortalium vota.*

ut bona tribuerent; quoniam ij demum scirent, quid cuique esset utile: nos autem plerumque in votis expetere, quod non impetrâsse, melius foret. In talia vota meritò dentem stringit Satyricus.

Evertêre domos totas optantibus ipsis
Dî faciles, nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ

Is inter stulta votorum numerat avarorum, qualis erat Midas,

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant, & opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro.

Idem quomodo sit optandum docet:

Nil ergo optabunt homines? si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dî.

Et concludit:

Orandum est, ut mens sit sana in corpore sano. Juvenal. Sat. 10. Senecæ monitum est, epist. 10. Tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cùm eò perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quòd rogare possis palàm; & epist. 2. In hoc excusabiles sunt dij, quòd ista, quæ urunt, quæ cruciant, optantibus data sunt. Lucianus in Dialogo, quem Icaro-Menippum inscripsit, falsè fingit diversissima hominum vota ac desideria in cœlum ad Jovem ascendere; & justa quidem ab illo per apertam fenestram admitti, iniqua verò & noxia, aut inepta flatu deorum in terras remitti. Optatis imprudentibus accensendum id, quod Aurora, quanquam Dea, concepit, quæ marito suo Tithono vitam quidem immortalem impetravit, sed non senectutis expertem; hinc in cunis infantulorum more agitandus fuit; & nomen Tithoni usurpatur de senibus infelicibus ac laboriosis. Quare viderint, quid petant, qui canas in capite hiemes petunt.

SYMBOLVM V.

Midas auritus.

11. Metam.

Ethicè.

1. Dives indoctus. 2. Vide, cui fidas. 3. Occulta patefiunt.

STOliditati Midæ in optando, ſubjungit Poëta ſtultitiam in judicando; nam *ex uno abſurdo ſequitur alterum*; & corruptæ mentis labes variarum eſt parens aberrationum. Paulò ſuperiùs audivimus Marſyæ tibiam, Apollineæ citharæ impudenter obſtrepentem; nunc videamus, quid Pan, Deus paſtorum, ſeptemplicis inflator & inventor fiſtulæ tentaverit, eundem Apollinem provocando.

Midas pertæſus opes, quarum infelicitatem expertus erat, adeò de cætero abhorruit ab auro accumulando, ut etiam hominum conſortium devitans, urbes fugeret, agris, ſilvis, montibus vitam mandaret, & Pana, Deum monticolam veneraretur. Ille quidem ſtolidi voti culpam, & aurum Pactolo flumine abluit, tarditatem tamen & ſtuporem ingenij non abſterſit. Jam gemini ad canendum conſtiterant, *Phœbus* & *Pan*; Judex ſederat *Tmolus* mons & Deus, canitie venerandus, in cujus clivo certamen muſicum erat committendum. Aderat & Midas, perpetuus cornigeri & capripedis Panos aſſecla. Prior hic inflat fiſtulam, pluribus è cannis cerâ compactam: carmen ruſticum & agreſte adeò oblectavit Midam, pingui ſenſu præditum, ut præconcepto judicio palmam victoriæ deſtinaret Pani. Prodijt in medium Phœbus,

Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus,
Verrit humum Tyrio ſaturata murice ſpalla:
Diſtinctámque lyram gemmis, & dentibus Indis
Suſtinet à læva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis ſtatus iſte fuit: tum ſtamina docto
Pollice ſollicitat: quarum dulcedine captus,
Pana jubet Tmolus *citharæ ſubmittere cannas.*

Tmolo aſſenſerunt, quicunque ſilveſtrium deorum præſentes aderant; unus inventus eſt Midas, qui Pana non dubitabat Apollini præferre, Tmoliique ſententiam tanquam injuſtam reprehendere. Quam ob rem indignatus Apollo, aſininas ei auriculas addidit.

Inſtabi-

Inſtabilesque illas facit, & dat poſſe moveri,
Cætera ſunt hominis.

Midas ut advertit oblongam temporum utrinque appendicem, pudore & dedecore plenus, ſeſe ſubter frondes abdidit, neque priùs è Silvis in regiam redijt, quàm ſucreſcente longiore coma, auriculas tam ſcitè texit, ut ea turpitudo neminem, niſi tonſorem, adverteret. Qui rem tam novam neque tacere potens, neque proloqui auſus, foſſam fecit, cui immurmuravit hæc verba: *Aſininas aures habet Midas.* Deinde ſcrobem terra operit, & recedit. ſucceſſu temporis excreverunt illic arundines, quæ commotæ vento, vocem, quam tonſor infoderat, ſibilò reddiderunt.

Ethica.

Triplex hîc doctrina. 1. (*a*) Midas auriculis longioribus damnatus, imago eſt hominis *divitis*, ſed *indocti*. Rectè Salomon Prov. 17. *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, cùm ſapientiam emere non poſſit?* Unde ejuſmodi homo, *truncus argentatus* appellatur à Xenophonte. Eſt autem aſino naturale, ſubinde movere auriculas, tanquam daret indicium, ſibi probari cantum; cùm bardum ſit & ſtolidum animal, nec niſi fuſtibus docendum. Hinc fluxit adagium: *aſinus ad lyram.* Cui affine alterum: *ſus tubam*, ſcilicet audivit: cujus clangore equi concitantur ad pugnam, ſues ad fugam. Debuerat Midas ſapere ex ſtultitia voti ſui, quo omnia vidit in aurum verſa. obſtitit ingenij obeſitas, canente Poëta.

Pingue ſed ingenium manſit, nocituraque, ut antè
Rurſus erant domino ſtolidæ præcordia mentis.

Unde factum, ut cantum Cuculi, quod in proverbijs eſt, prætulerit philomelæ, cygnique ululæ, & Pana Apollini. Quantò modeſtius ille in Bucolicis Virgilianis Palæmon Eclog. 3. arbiter inter Menalcam & & Damœtam, quanquam paris conditionis, conſtitutus.

Non noſtrum, inter vos tantas componere lites. At Midæ ſtoliditas etiam natalibus debetur, ruſtica fuit progenies. In adagijs teritur: *Arcadium germen.* Arcades enim malè audierunt olim ob ſtuporem ingenij: qui teſte Athenæo lib. 14. nec muſicam, nec ullas diſciplinas liberales, quarum culturâ manſueſcunt hominum ingenia, in civitatem ſuam receperunt, Midæ gemelli fratres, & auribus aſininis digniſſimi; unde Arcadicum pecus illis terris notiſſimum. Similia ſunt, *Bœoticum ingenium*,

(*a*) *Dives indoctus.*

nium, Bœotica auris, quod detorqueri potest in quosvis stolidos, & crassis auribus.

II. (*b*) Alter in hac fabula Ethicæ locus est, ut *quisq; videat, cui fidat;* suaq; committat auribus & linguis, quæ non perfluant instar rimosi dolij, ut Plautus loquitur, memores illius Horatiani epist. 1.

Commissúmne teget?

In amicitia certè gravissimum crimen est, prodere arcana. Demosthenes laudatur, quòd, cùm ei quispiam exprobraret oris graveolentiam, responderit: Benè dicis, multa enim in eo secreta computruerunt. Monentur præsertim Principes, & magnates, ne sua facilè credant secreta ministris, quorum perfidiâ permânent ad alios, & quod in occulto habendum, fiat *lippis tonsoribúsque notum*. Horat. in sat.

Huc etiam revocantur illi, quorum auribus, tanquam pertusis, nihil tutò concredas. Qualis fuit *Battus* ille, equarum custos; qui cùm vidisset boves, Apollini Admeti regis armenta pascenti clàm à Mercurio abactas, eásque in silva occultatas: cujus rei ut indicium premeret, vaccam nitidissimam à Mercurio acceperat, discedenti affirmavit lapidem proximè jacentem, quem digito monstrabat, priùs indicaturum, quàm arcanum ut ipse proderet. Mercurius hominis fidem experturus, susceptâ aliâ figurâ, ad eum paulò pòst redijt, simulansque boves se amissas quærere, pollicetur, si monstraret eas, vaccam se illi cum tauro daturum. Battus igitur spe corruptus, sub quo monte pascerentur, indicat: ob quam perfidiam Mercurius ipsum in lapidem, qui *Index* dicitur, commutavit. 2. Metam. Hominis loquacis, & titubanter eadem verba repetentis linguam expressit Poëta in responso Batti illius:

Sub illis.

Montibus, inquit, erant, & erant sub montibus illis.

Cui non sine stomacho regessit Deus:

& me mihi, perfide, prodis?

Me mihi prodis? ait

Quæ inanium verborum iteratio βατιλογία & βατιλαζειν appellatur; quo vitio plerumq; laborant, qui linguatiores sunt, & quidquid in buccam venit, deblaterant. Quòd verò Battus in lapidem *Indicem* (scilicet Lydium aut, Heraclium, Latinis coticulam) quo utimur ad aurum, argentumque probandum, conversus sit, indicatur, fidem secreti per promissa & munera explorari, expugnarique. Sin' per Indicem intelligatur lapis, viæ & milliarium monstrator, admonentur prætereuntes

(*b*) *Vide, cui fidas.*

tes exemplo saxeo, ut perinde caveant labi & errare linguâ quàm pedibus.

III. (c) Tertius in hoc figmento morali institutioni locus est: Ne quis putet sua vitia & peccata, perpetua nocte sepelienda, etsi aliquantisper occultet; nam juxta conculcatum versiculum:

Quidquid nix celat, solis calor omne revelat. Nihil est enim tam abditum, & tam abstrusum, quod non vel proferat ætas, vel manifestent libri. Quid enim aliud per arundines loquaces, quàm scriptorum calami designantur, qui vitia, quamlibet occulta, non sinunt in umbra latere? Ubi iterum sibi caveant, qui quò sublimiores sunt, tantò conspectius, suo tempore, crimen habent. De Davide ex sacra Historia constat, quid ei, post alienum thorum, occultè, ut credebat, violatum, in faciem ingesserit *Nathan* Propheta: *Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis* 2. Reg. 12. Publica scilicet pœna sceleris, inflicta per Absalonem incestum, ostendit crimen, quod patraverat parens. De C. Julio Cæsare scribitur, eum calvitio suo celando, gestare coronam lauream solitum fuisse. Sed nimirum arundines scriptoriæ produnt magnorum etiam capitum seu deliria, seu flagitia. Sic (ut aliquid in gratiam eruditionis delibem) ex Suetonij Tranquilli calamo habemus, Caligulam Imp. Rom. capillamento & veste longiore, celatum, noctibus ganeas perreptâsse; pulchros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitiô rasô deturpâsse; equo suo, cui nomen *Incitato*, præsepe eburneum instruxisse, consulatum quoque destinâsse. Contrectandæ pecuniæ cupidine flagrantem, sæpè super immensos aureorum acervos aut nudis pedibus spatiatum, aut toto corpore volutatum fuisse. Vitellium abdomini natum, patinam, cui fornax in campo ædificanda erat, dedicâsse, eamque ob immensam magnitudinem *clypeum Minervæ* appellâsse. Ex Quinto Curtio Rufo intelligimus, Alexandrum illum Magnum Persepolin urbem Persiæ nobilissimam in gratiam vilissimi scorti incendisse; ipsumque Babylone in potatorum certamine extinctum fuisse. Hæc aliaque coronatorum capitum olim commissa dedecora, quis sciret, nisi scribentium arundines ea prodidissent? Adeò nihil est tam profundè in antiquitate, & abdita scelerum fovea defossum, quod non eruatur per calamos, & propaletur in orbe. Huc facit Satyricus:

(c) *Occulta revelantur.*

O Corydon, Corydon secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canes, & postes, & marmora claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia tollito lumen
E medio; clament omnes.

SYMBOLVM VI.

Prometheus ἀνδρωποπλάστης, seu formator hominis.

Ovid Metamorph. 1. Horat. lib. 1. Od. 3. Hesiodus, alij.

Ethica.

1. Hominis indoles. 2. Quinam meliore de luto ficti. 3. Pectus hominis vivarium ferarum. 4. Hominis nobilitas. 5. Sciendi curiositas.

IApetus proceriſſimæ ſtaturæ gigas, natione Theſſalus, Atlantem, Epimetheum, & Prometheum ſuſcepit; hic Deucalionem genuit, de quo infrà Primus hominem è luto finxiſſe fingitur Prometheus, felici adeò ſucceſſu, ut ipſius ſolertiam admirata Minerva, obtulerit ultrò, ſiquid ad ſui abſolutionem operis deſideraret eorum, quæ in cœlo ſunt. Cui Prometheus, negat ſe poſſe dicere, quid ſibi ex ijs foret utile, quæ nunquam uſurpâſſet oculis. Itaque Minervæ auxilio in cœlum evehitur: omnia ibi curiosè circumluſtrat; ad ſolem ipſum defertur; advertit ignem in illo puriſſimum ſplendeſcere. & quoniam homo ab ipſo effictus, adhuc inſenſilis erat ſtatua, & nullo motu prædita, exiſtimavit ſimulacro ſuo animando convenientiſſimum eſſe vigorem illum igneum, quem in ſole contemplatur. Ferulam igitur corripit, ſolari rotæ admovet, flammam rapit, eamque in terras delatam, ubi luteæ imagini inſeruit, cœpit illa protinus ſe movere, & ipſum artificem ſtupore defigere. Graviſſimè tulit id furtum Jupiter, ideóque generis omnis peſtes in orbem immiſit, uti teſtatur Venuſinus l. c.

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætheria domo

Sub-

Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.
Semotique priùs tarda neceſſitas
Lethi, corripuit gradum.

Idem canit lib. 1. Od. 16. corpus humanum à Prometheo conflatum fuiſſe è decerptis ac deſectis variorum animalium particulis, præſertim leonis iram, ſtomacho inditum ab eo.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

Neque contentus eâ pœnâ Jupiter, quòd ob audaciam furti mille calamitatibus mortale genus afflixerit (id mox in Pandoræ pyxide narrabitur) ſed ipſum etiam Prometheum, per Mercurium, in Caucaſo monte religandum curat, aquilamque adhibet, jecur ejus aſſiduè depaſcentem; quibus vinculis & tormentis, eum denique Hercules liberavit, volucre interfecta.

Ethica.

I. (*a.*) Ovidius 1. Metam. vocat hominem *ſanctius animal*, mentis præſtantiſſimæ compotem, cæterorum animantium principem ac dominum, divino ſemine oriundum (quod per ignem cœleſtem indicatur) deorum ſimilem, ſolum erecto vultu, & contemplatorem ſiderum.

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Homo ab *humo* dicitur, & juxta SS. literas Gen. 1. è luto ſeu pulvere formatus eſt, ut memor originis ſuæ, ne ſe immoderatiùs efferat. Pavo gemmatam caudam demittit, cùm atros pedes aſpicit; homo arrogantiam ponit, cùm oculos in ortum ſuum reflectit. Benè S. Greg. Nazian. orat. περὶ φιλοπτωχίας. Homines, inquit, ſumus ampliſſimi & contemptiſſimi: terreſtres & cæleſtes, mortales & immortales, hæredes lucis, & ignis ſeu tenebrarum, prout in hanc, vel in illam partem inclinaverimus. Talis eſt noſtra mixtio, & ob hanc cauſam, quantum ego diſpicere poſſum, conflata, ut ſi quando extollamur propter *imaginem*, contrahamur ob *pulverem*. Nyſſenus verò Gregorius expendens illas voces Geneſis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, unum

(*a*) *Hominis indoles.*

num in *creatione*, alterum in *electione* positum docet. Nam ut fieremus ad *imaginem* Dei, dum principiò procrearemur, obtinuimus: ut autem efficiamur ad ejus *similitudinem*, proposito, voluntatéque consequimur. Hanc hominis dignitatem etiam seneca perspexit, qui epist. 77. Omnia, ait, suo fine constant; vitem fertilitas commendat, vapor vinum, velocitas cervum. Quàm fortia dorso jumenta sint quæris, quorum unus hic est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & invadere. Id in quóque optimum est, cui nascitur, quô censetur. Homo Deo fruendo nascitur, ratione antecedit animantia cætera; virtute ergo & pietate præstare debet. Phidias præstantissimus artifex in Minervæ à se elaboratæ clypeo suam impressit imaginem tanto artificio, ut nemo delere posset, aut divellere, quin totam statuam imminueret. Cœli, terræque opifex suam impressit soli homini imaginem, quam nemo potest erradere & delere, quin se ipsum funditus perdat.

II. (*b*) Poëtæ *de meliore luto fictos* appellant, quibus melior indoles, & perspicacius ingenium. Juven. Sat. 14.

Forsitan hæc (vitia) spernant juvenes, quibus arte benigna
De meliore luto finxit præcordia Titan:

Id est, Prometheus, Titanis nepos. Claudianus 2. in Eutrop. canit Epimetheum quoque, Promethei fratrem, homines formâsse,

Sed nihil ætherij sparsit per membra vigoris;
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident: accepta clade queruntur,
Et serò transacta gemunt.

Salomon Prov. 17. *in facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ.* id est, modestia & gravitas elucet in vultu bonæ indolis; vecordia, petulantia, levitas quaquaversum evagans indicium est pravæ naturæ. Mens enim per corpus & faciem perlucet, sicut fax per laternam, sol per vitrum; juxta illud Sapientis: *In speculo frontium imago extat animorum.* Sed quia *ipse* (Deus) *fecit nos, & non ipsi nos.* psal. 99. meritò gratias tantò majores debemus Conditori nostro, quantò præclarioribus naturæ bonis nos instruxit. Agnovit id rex sapientissimus sap. 8. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Indoles quippe ejus, instar boni soli, radijs cœlestibus calefacta probitatis & sapientiæ semina probè concipiebat, concepta confovebat, confota in fructus felices explicabat. Optimè Seneca lib. 4. de

(*a*) *Quinam meliore de luto picti.*

de benef. Insita sunt nobis omnium ætatum, omniúmque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Hic mihi occurrit, quod de Platone meminit Plutarchus in Mario, qui dicebat, se naturæ gratias agere, quòd homo natus esset, non mutum animal: quòd mas, non femina: quòd Græcus, non barbarus: quòd Athenienſis, non Thebanus: quòd temporibus Socratis. Potuisset addere, se Autori naturæ gratias debere, quòd animam sortitus esset bonam, hoc est, ingenium docile, acutum, ad sapientiæ hausſtus excipiendos natum & factum; non tardum, stupidum, stolidum, fatuum, solis plagis emendandum. Ingenioſi signa ex Aristotele sunt: Caro mollis, cutis subtilis, statura mediocris, oculi cœrulei, fulvi, color candidus, capilli molliores, longiores manus & digiti, mitis aspectus, supercilia conjuncta, modicus risus, frons exporrecta, tempora modicè concava, caput in figuram mallei ex lato in acutum desinentis, concinnatum. E contrario hebetis figura est, carnosa frons, collum, brachia, facies, lumbi, costæ, pectus: occiput cavum aut rotundum, nec extans ullo modo, oculus pallidus, articuli pusilli, nares obstructæ, parvæ, arrectæ, risus multus, manus breves, latæ oculorum pupillæ, caput enorme, aut nimis exile, nasi imum crassum, mandibulæ magnæ.

III. (*c*) Ingeniosè Venusinus Vates varias animalium particulas hominis compositioni admiscet; nam ut quidam recentiorum Poëtarum scribit, Vivarium ferarum est pectus hominis, frementium in Appetentiæ sede. *Delectatio* Siren, *Dolor* Hyena, uno, eodemque stabulo claudúntur. Mugit *Amor* Europam portans cum tauris: rugit *Ira* cum leonibus: *Audacia* tigrides antevolat: Philomela, *Spes* bona dulcè canit: sed *Desperatio* latrat instar molossi in rabiem acti: ululant mœsti *Timores*. Et verò eum, qui à virtute deflectit, in tot bestias, quot pravas libidines sequitur, transformari, jam olim SS. PP. docuerunt. Inter quos D. Chrysost. hom. 4. in Matth. An hominem, inquit, agnoscam, qui ut asinus calcitrat: ut salaciſſimus equus in feminam hinnit; ut ursus voracitati studet: ut mulus corpus saginat; ut camelus injuriarum memoriam retinet; ut leo irascitur; ut lupus rapit; ut scorpius ferit; ut vulpes subdolus est; ut nequitiæ venenum tanquam aspis & vipera servat? Quod ad eruditionem historicam attinet, putat Isidorus fabulam hanc ab origine idololorum profluxisse, quæ primitus hominum figurâ fabricari cœpta, cùm essent inania simulacra, quasi animari sint visa, postquam dœmones ex ijs responsa dederunt.

(*c*) *Pectus hominis Vivarium ferarum.*

IV. (*d*) Non fruſtra fingitur Prometheus ignem, tanquam animam, inſenſili ſimulacro indidiſſe. Nam ut ignis eſt elementorum puriſſimum, ſubtiliſſimum, ſimpliciſſimum, actuoſiſſimum; ſic Spiritus ſeu animus hominis, eſt ab omni concreatione & compoſitione terrena remotus, purus, ſimplex, vividus, mobilis, & inſtar flammæ ſurſum enitens ad Conditorem ſuum, unde profectus eſt. Hinc de animis Maro Æneid. 6.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo.

Errat, inquit Origenes c. 19. de Opificio Dei, quiſquis hominem carne metitur. Nam Corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptàculum eſt. Mens ipſa neque tangi, neque comprehendi poteſt, quia latet intra hoc, quod videtur. Qui (homo) ſi delicatus magis & tener in hac vita fuerit, quàm ratio ejus expoſcit: ſi virtute contempta, deſiderijs ſe carnis addixerit, cadet & premetur in terram. Sin' autem ut debet, ſtatum ſuum, quem rectum ſortitus eſt, promptè conſtanterque defenderit; ſi terræ, quam calcare ac vincere debet, non ſervierit, vitam merebitur ſempiternam.

In hunc ſenſum Horatius Sat. 2.

quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animum quoque prægravat unà,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Juxta veterem trochaicum:

O quàm homo contempta res eſt, ſe niſi ſupra homines erigat!

Egregiè Lactantius lib. 7. cap. 8. Solus ex omnibus cœleſte ac divinum animal homo, cujus corpus ex humo excitatum, vultus ſublimis, ſtatus erectus originem ſuam quærit, & quaſi contempta humilitate terræ, ad altum nititur, quia ſentit, ſummum bonum in ſummo ſibi eſſe quærendum, memorque conditionis ſuæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem ſuum ſpectat. Vidit hoc ipſum Tullius 2. de Nat. Deor. Quæ (Providentia) primùm eos humo excitatos & erectos conſtituit, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere poſſent.

V. Sed quid hoc ſibi vult, quòd Jupiter virum de humano genere optimè meritum, vinculis conſtrinxerit, rupi alligârit, voraci voluceri prædam objecerit? Nihil hîc attingam de phyſica hujus rei ratione (nam aliud inſtitutum proſequimur) quòd Prometheus primus Aſtrologiam Aſſyrijs indicârit: ſiderum ortus & occaſus in monte altiſſimo Caucaſo diligenter obſervârit: quòd ad hanc rem ingenio duce, hoc eſt, Mercurio

(*d*) *Hominis nobilitas.*

Mercurio sit usus: quòd cœlestem ignem credatur suffuratus, dum primus rationem fulminum hominibus explicavit: quòd aquilam perpetuò arrodentem paverit, dum multiplices curas, sollicitudines, vigilias, & lucubrationes suscepit in indagando *Vero*, quibus laboribus viri docti impallescunt & emaciantur. Nam Ecclesiaste teste c. 1. *qui addit scientiam, addit & laborem.* Hæc, inquam, Physiologis relinquimus. *Ethicè* significant, nimiam sciendi curiositatem abesse debere à sapientiæ studiosis. (e) Si Prometheus ingenium intendere voluisset, potuisset ignem in silice reperire, ut non fuerit necesse cœlum invitis superis conscendere, & ad solis usque rotam penetrare. Monet Siracides: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* cap. 3. Et Salomon Prov. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Extat hac de re elegans emblema apud Alciatum, inscriptum: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* Imago est aquilæ jecur Promethei exedentis; versus hi additi sunt.

Caucasea æternùm pendens de rupe Prometheûs,
Diripitur sacri præpetis ore jecur.
Et nollet fecisse hominem, figulúmque perosus,
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur variis prudentum pectora Curis
Qui Cœli affectant scire, Deûmque vices.

Torquetur hoc, inquit Claudius Minos emblematis explicator, maximè in Philosophos, & Astrologos, qui vulgò *Iudicarij* nominantur, qui, quæ Deus voluit homini esse tecta, perquirunt anxiè, & miserè se conficiunt. Sed quid explicationis habet Hercules aquilam interficiens? Solam scilicet speculationem parùm prodesse, nisi accedat actio, quæ per manum jaculantis Alcidis denotatur. Pierius lib. 36. c. 21. ex Luciano refert, Prometheum ea lege perpetuis vinculis à Jove solutum, ut memor commissorum annulum è lapide rupis (cui alligatus fuerat) & ferro compactum gestaret. quod est Symbolum ultricis conscientiæ, quæ instar circuli digito inditi stringit & arctat, ac quasi monet & vellicat.

(e) *Sciendi curiositas.*

SYMBOLVM VII.

Pandoræ doloſa Pyxis.

Heſiodus. Pauſanias. Natalis Comes Mythologiæ lib. 4. c. 6.

Ethicè.

1. Spes in Pandoræ pyxide reſidua. 2. Uxor mala. 3. Prudentia, præſertim in uxore ducenda.

POſt hominem à Prometheo è luto efformatum, Jupiter, ut meminimus, audaciam furti cœleſtis plexurus, Vulcano imperavit, ut ſimili ex materia effigiem mulieris effingeret. Quod ubi factum, Dij pro ſuis quiſque opibus eam ornare juſſi ſunt. Prima omnium Minerva animam ſenſu carenti ſtaturæ impertivit; ceteri Dij alius aliud contulerunt: Venus formam, Pallas ſapientiam, Apollo Muſicam, Mercurius eloquentiam; eamque *Pandoram*, hoc eſt, *omnium donum* appellârunt. Hæc à Jove pyxidem accepit, omnium malorum plenam, quæ debebat in orbem terrarum effundere. Principiò ad Prometheum adducta, in uxorem ei offerebatur. Sed is pro ſua prudentia inſidias veritus, & peſtem latere ſuſpicatus, tam mulierem, quàm donum recuſavit. Igitur formoſa nympha, ad *Epimetheum*, fratrem Promethei, ſe contulit, ſeque ac munera ſua obtulit. Mox rapuit hominis incauti oculos venuſtas feminæ: rapuit blanda comitas, quâ vaſculum auro & gemmis diſtinctum, in arrham & dotem oſtentabat. Quid multis? placet puella, puellæque donum. Sed vix in manus accepit pyxidem, vix aperuit, cùm malorum genus univerſum inde evolavit. Vidit, indoluit, illicò clauſit, ſed tamen ſerò. Erupit in terras, quidquid peſtium intus erat abditum. Sola *Spes* hærebat in fundo; hanc, ne elaberetur, commodùm retinuit; nec diu pòſt ſenſit calamitates, quas cum eleganti uxore domum duxit. Ingemuit quidem crebrò imprudentiæ ſuæ; ſed, quod in adagijs eſt, *malò acceptò ſerò ſtultus ſapit.*

Ethica.

I. (a) Hanc Pandoram aliqui non immeritò ad Evæ hiſtoriam referunt, quæ omnibus naturæ & gratiæ dotibus ornata, ubi vetitum pomum

(a) *Spes in Pandoræ pyxide reſidua.*

mum admordit, & donum exitiale marito porrexit, omnium malorum iliadem in orbem invexit. Hinc illæ mortalium lacrimæ: hinc tot animarum naufragia, & commune exitium, nisi pro sacra anchora, aut confractæ navis tabula, relicta fuisset *pœnitentia*, & *spes* placandi Numinis.

II. (*b*) Ingeniosè hanc ipsam Pandoram ad mulierum arrogantiam & fraudes transferas. Malè viro! si uxori accedant dotes, nobilitas, census, forma, facundia; simul enim cum his Superbia limen subit & perfidia. Satyricus dentem stringit: Juven. Sat. 6.

Malo Venusinam (*c*) quàm te Cornelia, Mater
Grachorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Idem ibidem caveri jubet à femina, plus æquo sapiente.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Aut quæ

Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

De divitijs addit:

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quàm femina dives.

De insidioso Pandoræ munere suprà audivimus Horatium. Quis nescit; primæ feminæ pomum in quas miserias nos præcipitârit. Nimirum omnium ferè calamitatum autores mulieres viris extiterunt. Sive ament, sive oderint, timendæ sunt. Cùm maximè blandiuntur, maximè insidiantur. Per illecebras sibi aditum faciunt ad nocendum.

timeo Danaos & dona ferentes.

Ait quidam apud Maronem 2. Æneid. Sed nulla peræque dona timenda ac muliebria. Primæ feminæ donô, quod dixi, adhuc morimur. Nemo fidat; ubique Pandoræ pyxides suas ad fallendum instruunt. Quoties fit, ut adolescentes, ætate florentes, morbis incognitis, absumantur, quia munusculis amatorijs incautè capiuntur. Sic Medea misit Creusæ, uxori à Jasone superinductæ, scriniolum, è quo subitò prorumpens

(*b*) *Vxor mala.* (*c*) *Pauperem & ignobilem ex Appulia.*

rumpens flamma, Creusam cum tota regia combussit. Sic Dejanira Herculi vestem, Nessi Centauri cruore infectam dono dedit, quâ ille indutâ, versus in furias, seipsum in monte Oeta concremavit. Sic Rosimunda Longobardorum regina, Helmigio, delicio suo, vinum & pestem in aureo poculo propinavit. Sic Fenella Kennethum Scotorum regem per occultas insidias occidit, dum statuam ei munere misit, pomum aureum manu tenentem; quod ubi manibus contigit, statim inde jaculis erumpentibus confossus est. Cardan. de rerum variet. lib. 12. c. 56. Verè Juvenalis:

veniunt à dote Sagittæ

Exitiales, lethiferæ, fatales. Epimetheus si sapuisset, suam Jovi Pandoram remisisset, ipse de pane, fidáque sibi conjuge circumspexisset. In quo tamen delirio nimiùm quàm multos imitatores habet, qui formæ & opulentiæ pellaciâ abrepti, pro Pandora Furiam, & mille pestes in thalamum inducunt; quibus, extremis in angustijs unica Spes restat scindendi aliquando odiosi vinculi Parcarum forfice.

III. (*c*) Fuit prudentissimus Prometheus, ut ipsum nomen indicat, ἀπὸ τῆς προμηθείας, à providentia sumptum. Qui quòd rudes & agrestes homines informârit ad humanitatem, dicitur finxisse hominem è luto; Et ignem cœlo surripuisse, dum docuit artem, varia opera, ignis beneficiò efficiendi. Vidit is Pandoram, sed non fidit speciosæ ac blandæ mulieri. Et quamvis (quod Poëtæ canunt, capillos ejus ornârint Charites auro fulgente, bina lumina scintillarint instar siderum: vultum Citherea rosis pinxerit: collum ebore induxerit: Pitho seu Suada favos per ora sparserit; non fidit tamen Prometheus, nec se falli passus est, illud sibi, quod postea Poëta retulit, occinens:

Plus aloës, quàm mellis habet. Juven. Sat. 6.

IV. (*d*) Meminimus suprà proverbij: *Malò acceptò stultus sapit.* Videtur hoc, inquit, Chiliastes, ex Promethei & Epimethei fabula manâsse, quando Pandora omnibus, formæ, cultûs, ingenij, linguaéque dotibus cumulata, frustra sollicitatô Prometheô, (qui Græcis eum significat, cui priùs quàm rem aggrediatur, suppetit consilium, nam προμηθεύεσθαι est consilio malis imminentibus occurrere) Epimetheum ad aperiendam pyxidem induxit, cui juxta nominis etymon, re peracta, tum demum consilium in mentem venit. Enimverò nimis quàm multos hic albæ mentis homo fraterculos habet, tum maximè, quando in ducendis uxoribus tantùm cortex aspicitur, nec attenditur, quæ caries intus in nuce lateat.

Plautus

(*c*) *Prudentia* (*d*) *Præsertim in uxore ducenda.*

Plautus monet: *Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.* Et Tibullus:

Felix, quicunque dolore
Alterius, diſces poſſe carere tuo.

Huc alludunt & illæ ſerò ſapientium voces: *Nunc ſcio quid ſit amor. Nunc & ego illam ſceleſtam, & me miſerum eſſe ſentio. Ah vix tandem ſenſi ſtolidus* &c. Plautus. Interrogatus Democritus cur puſillam uxorem duxiſſet, reſpondit: Ego ex omnibus malis minimum elegi. Ariſtippus mulierem parvam, ſed pulchram conſpicatus: Parvum, inquit, pulchrum, magnum autem malum. Et Pythagoras quæſitus, cur inimico filiam dediſſet nuptui: quia nihil, ait, dare poteram deterius.

SYMBOLVM VIII.

Quatuor Ætates ſive ſæcula.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Quatuor Monarchiæ. 2. Quatuor ætates ex S. Scriptura. 3. Quatuor ætates ex Seneca. 4. Quatuor ætates ex Juvenale. 5. Aſtræa imago & officium.

FInxerunt has Ætates Poëtæ, totidem gradibus bonorum & malorum, quot metallorum, inter ſe diſcretas. Primum & antiquiſſimum ſæculum, propter præſtantiam vocant *aureum*, Saturno tenente cœli, terræque imperium; quo tempore in ſumma rerum omnium affluentia, quiete & felicitate vivebant mortales, ſine turbis, ſine bellis, ſine curis & moleſtijs, ſine ullis animorum perturbationibus. Unde Ovidius loc. cit.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectúmque tenebat.

Et lib. 1. Faſt.

Nondum Juſtitiam facinus mortale fugârat:
Ultima de Superis illa reliquit humum.
Proque metu populum ſine vi, pudor ipſe regebat:
Nullus erat Juſtis reddere jura labor.

Et Virgilius 1. Georg.

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni,

Nec

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant: ipsaque tellus
Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.

Excepit hoc sæculum *argenteum*, Saturnô à Jove pulsô; qua ætate contractum est ver illud perpetuum: secuta æstas: æstatem autumnus: autumnum hiems, & in quatuor tempestates divisus annus. Tum caloribus, frigoribúsque uri corpora, vestes contexi, domus ædificari, quibus & illorum molestiæ sedarentur, & horum vis arceretur. Tum necessitas subegit serere frumenta, vites, arbores: occare, sarrire, putare, pastinare, optareque de cœlo soles maturos, pluvias opportunas ad maturandas fruges. Mores fuêre non æquè candidi, faciles, integri, moderati &c.

Pergit Ovidius:

Tertia post illam successit *ahenea* proles,
Sævior ingenijs, & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen.

Denique subijt quarta, seu *ferrea* ætas, omnium pessima. Poëta cit. de duro est ultima ferro.

Protinus irrupit venæ peioris in ævum
Omne nefas; fugêre Pudor, verúmque, fidesque;
In quorum subiêre locum fraudesque, Dolique;
Invidiæque, & Vis, & Amor sceleratus habendi.
Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet Pietas: & Virgo cæde madentes
Ultima Cœlestûm, terras Astræa reliquit.

Nimirum perjurium, perfidia, impudentia, avaritia, rapinæ, cædes omnia inundârunt: Jus & Fides profligata: Virtus & Probitas in exilium ejecta; Connixit aliquantùm Justitia, demum & ipsa migravit è terra, & in *Zodiaco* locata *Virgo* nominatur.

Ethica.

I. (*a*) Credibile est, hoc ætatum discrimen, quatuor metallorum comparatione declaratum ex historia Danielis manâsse, de statua regi Nabu-

(*a*) *Per quatuor sæcula quatuor monarchiæ denotantur.*

Nabuchodonosori per quietem oblata. In qua, prima Monarchia, per *aurum* : secunda per *argentum*: tertia per *æs*: quarta per *ferrum* exhibetur, videlicet Assyriorum, Medorum, Macedonum, Romanorum.

II. (*b*) Quidam explicant, olim in Paradiso omnia fuisse aurea, & ad humani corporis, animique felicitatem pertinentia. Postea cum peccato argenteam successisse ætatem, utcunque quidem innocentem, ut in Abele, Enocho, Mathusalemo apparebat, multò tamen inferiorem illâ justitiâ originariâ. Æneum dehinc factum esse sub Tubalcaino, *qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* Gen. 4. Nec diu fuisse, cùm ferrei mores subintrabant : *Corrupta est enim terra coram Deo, & repleta est iniquitate.* Gen. 6. Ita defecerunt gradatim Virtus & Pietas, eorúmque loco subiêre omnium scelerum portenta. Seneca epist. 90. eleganter depingit hunc ætatum in deteriora prolapsum, quare non pigebit plusscula huc transcribere. Statum quidem, inquit, generis humani, non alium quisquam suspexerit magis, nec si cui permittat Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probaverit, quàm quod apud illos Priscos fuisse memoratur:

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni &c. Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum naturâ fruebantur: sufficiebat illa, ut parens, in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum secura possessio. Quid ni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim, in quo pauperiem invenire non posses? Irrupit in res optimè positas avaritia: & dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena, & in angustum ex immenso redacta, paupertatem intulit, & multa concupiscendo, omnia amisit. Licet itaque velit nunc convertere, & comparare quod perdidit: licet agros agris adijciat, vicinum vel pretio pellat terris, vel injuriâ : licet in provinciarum spatia rura dilatet, & possessionem vocet, per sua longam peregrinationem: nulla nos finium propagatio eò reducet, unde discessimus. Cùm omnia fecerimus, multum habebimus: universum habebamus. Terra ipsa fertilior erat illaborata, & in usus populorum non diripentium, larga. Quidquid natura protulerat, id non minùs inveniisse, quàm inventum monstrare alteri, voluptas erat: nec aut illi superare poterat, aut deesse inter concordes dividebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum, nondum avarus abscondendo, quod sibi jaceret (sine usu & fructu) alium necessarijs quoque excluserat: par erat alterius, ac sui cura. Arma cessabant, incruentæque humano sanguine manus, odium omne in

(*b*) *Quatuor ætates ex divina scriptura.*

feras verterant. Illi, quos aliquod nemus denſum à ſole protexerat, qui adverſus ſævitiem hiemis aut imbris vili receptaculo tuti ſub fronde vivebant, placidas tranſigebant ſine ſuſpirio noctes. Sollicitudo nos in noſtra purpura verſat, & acerrimis excitat ſtimulis; mollem ſomnum illis dura tellus dabat. Non impendebant cælata laquearia: ſed in aperto jacentes ſidera ſuperlabebantur, & inſigne ſpectaculum noctium, mundus in præceps agebatur, ſilentiô tantum opus ducens; tam interdiu illis, quàm noctu, patebat proſpectus hujus pulcherrimæ domûs: libebat intueri ſigna, ex media cœli parte vergentia, rurſus ex occulto alia ſurgentia. Quid ni luberet vagari inter tam latè ſparſa miracula? At vos ad omnem tectorum pavetis ſomnum, & inter picturas veſtras, ſi quid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant domos inſtar urbium; Spiritus, ac liber inter aperta flatus, & levis umbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes, rivique non opere, nec fiſtulâ, nec ullo coacto itinere obſolefacti, ſed ſponte currentes, & prata ſine arte formoſa; inter hæc agreſte domicilium, & ruſtica poſitum manu. Hoc erat ſecundùm naturam domus, qua libebat habitare, nec ipſam, nec pro ipſa timentem: nunc magna pars noſtri metûs tecta ſunt. Hæc vir ille ſapiens, Romanorum ſui temporis luxum, & vivendi mollitiem perſtringens, per quam longiſſimè ab illa ſimplici majorum frugalitate, innocentiáque deflexerunt; hodieque deflectimus.

(*a*) In hanc ætatum improbitatem, & in pejus prolapſionem, acriter quoque invehitur Satyricus Aquinas Sat. 13.

Quondam hoc indigenæ vivebant more, priuſquam
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc cùm virgunenla Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris:
Nulla ſuper nubes convivia cœlicolarum,
Nec puer (*b*) Iliacus, formoſa nec Herculis uxor. (*c*)
Ad cyathos, & jam ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæâ nigra tabernâ.
Prandebat ſibi quiſque Deus, nec turba Deorum
Talis, ut eſt hodie! contentáque ſidera paucis
Numinibus, miſerum urgebant Atlanta minori
Pondere: nondum aliquis ſortitus triſte profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum (*d*) conjuge Pluto:
Nec rota, nec Furiæ, nec ſaxum, aut vulturis atri

Pœna

(*a*) *Quatuor ætates ex Iuvenale.* (*b*) *Ganymedes.* (*c*) *Hebe.* (*d*) *Proſerpina.*

Pœna. sed infernis hilares sine regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si Juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & majoris glandis acervos.
Tam venerabile erat, præcedere quatuor annis;
Nunc si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides, & Thuscis (*e*) digna libellis
Sunt qui fortunæ jam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Atque ideò intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur,
Hic putat esse Deos, & peierat, atque ita secum:
Decernat quodcunque velit de corpore nostro
Isis (*f*) & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos.

Hæ falsi Poëtæ querelæ etiam hæc tempora nostra petunt, quæ ab illa Majorum religione, candore, temperantiâ, justitiâ, modestiâ procul recesserunt. Apud illos quæcunque nefas erat facere, nefas quoque dicere: honor habebatur senibus, laboribus assuescebant juvenes; tum temporis inter agrestes non numerabatur, qui prandium cum fame finiebat: nec aliud erat linguâ promptum, aliud clausum pectore; contentus quisque suo, non invidebat alieno; marmoris cælati & rudis idem erat pretium; maximum vectigal ex parsimonia: honestas, pudor, frugalitas in dote ac patrimonio numerabantur. Juvenalis, Deorum sub larva, Magnates potissimùm perstringit, apud quos generis omnis luxus, fraudes, fallaciæ; ambitio, odia sic invalescunt, ut meritò Satyrici in eos torqueantur aculei, Horatius de posteris temporibus vaticinatur lib. 3. Od. 6.

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Decrescunt hominum corpora, crescunt vitia, canente Satyrico:

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

(*e*) *Thuscorum aruspicum libris.* (*f*) *Dea Ægypti.*

III. (c) Quia Aſtrææ ſeu Juſtitiæ facta mentio, pluſculum de ea dicendum eſt. Aliqui volunt Jovis & Themidis (quæ Græcis idem quod *fas*) eſſe filiam: alij rege *Aſtræo*, viro juſtiſſimo (unde nomen habet) & *Aurora* natam ſcribunt; quidam Icarium, Oebali regis Laconiæ filium, & Auroram, parentes ejus faciunt, aiuntque ab ipſis Erigonem vocatam. De quo Icario memoratur, ipſum à Libero patre utrem vini accepiſſe, ut ejus uſum cum mortalibus communicaret; qui in Atticum agrum ſeſe contulit, ibíque paſtoribus, qui æſtu ſolis ſitim contraxerant, vinum propinavit: hi cùm novo potûs genere delectati, largiùs hauſiſſent, altiſſimóque primùm ſomno, dein & crapula correpti eſſent, toxicum ſibi datum rati, Icarium interfecerunt, occiſúmque in puteum projecerunt. Aderat fortè Icario canicula, nomine Mæra, quæ ad Erigonem reverſa, veſtem ejus mordicus arripuit, illámque ſequentem ad patris cadaver perduxit: quæ tantum ex paterna nece dolorem concepit, ut mala multa eius percuſſoribus imprecata, laqueo vitam finierit. Mæra quoque tam heri, quàm filiæ herilis deſiderio contabuit, Jovíſque miſeratione in cœlum translata, in *Caniculæ* ſtellam (quæ à Græcis, quod ante majorem Canem, de quo ſymbol. 42. agemus, oriatur, προκύων appellatur) converſa eſt. Icarius autem in Bootem, Erigone in Zodiaci ſignum, quam Virginem nominamus, abijt. Pingitur Aſtræa erecto corpore, oculis velatis, dextra bilancem pondere æquatam, lævâ ſcipionem aut virgam tenens, ut hac veluti menſurâ æquet omnia. De ea ex Chryſippo Gellius lib. 14. c. 4. Forma atque habitu eſt virginali, aſpectu vehementi, & formidabili luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed ſeveræ cujuſdam triſtitiæ dignitare. Ex imaginis autem iſtius ſignificatione intelligi voluit Judicem, qui juſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contráque improbos, nocentéſque immiſericordem, atque inexorabilem, erectúmque & arduum, ac potentem vi, & majeſtate æquitatis, veritatíſque terrificum. Hæc Gellius.

De eadem Claudianus:

Pax avibus, quacunque volat, rabiémque frementes
Depoſuere feræ: lætatur terra reverſo
Numine, quod priſci poſt tempora perdidit auri.

Et Seneca in Octavia.

Neglecta terras fugit ac mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus

Aſtræa

(c) *Aſtræa imago & officium.*

Aſtræa Virgo, ſiderum magnum decus

De hac eadem Epigramma.

Libra Diem, Noctemque pari diſcrimine ducit,
Non plus ille tenet, non habet iſta minus.
Judicis eſt æquâ trutinâ ſuſpendere, nigram
Sive Dies, albam Nox referátve notam,
Vicinas nimiùm ſed torquet ſcorpio chelas,
Et trahit amplexu pondera juſta libræ

Ubi alluditur ad æquinoctium autumnale, quod exiſtit Sole ingrediente ſignum Libræ. Scorpius autem ſignum cœleſte adeò portendit ſua brachia, ut Libram ſtringere videatur: quod illis eſt notandum, qui cauſas vel judicant, vel agunt, ut ne brachia ſua, id eſt, habendi cupiditatem plus æquo extendant, & quaſi manum Libræ ſeu Juſtitiæ injiciant, alteramque lancem nimis attollant, alteram nimis deprimant. Virgilius Auguſtum Cæſarem in cœlo collocaturus, locum ei aſſignat. 1. Georg.

Quà locus Erigonem, inter cheláſque ſequentes
Panditur, ipſe tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli juſta plus parte relinquit.

Atque hoc ethicè. Quis enim locus convenientior Principi, quàm qui medius inter Libram, id eſt, æquitatem, moderationem ac Juſtitiam; & Scorpium, venenum in cauda habentem, ictúque lethifero ferientem: per quod, Pierio teſte, deſignantur doli, fallaciæque, quibus, niſi Principem prudentia contra inſidias obarmet, facilè circumveniatur. Dicitur autem Scorpio brachia contrahere, & cœli regionem amplam permittere, quòd contra virtutem nihil valeat fraus & nequitia.

Pingitur etiam Aſtræa altera manu gladium, altera ſpicas præferens, cum lemate: *Pacem & bella fero.* adjunctum epigramma hoc:

Infames vitijs terras Aſtræa reliquit,
Sidereóque ſuos fixit in orbe lares.
Non tamen aut gladium dextrâ, vel ſpicea lævâ
Hinc fugiens poſuit munera Virgo manu.
Mitis & ulciſcens ex alto deſpicit, utrùm
Jura colant homines, Rura colántque boves.

SYMBOLVM IX.

Gigantomachia.

1. Metam.

Ethicè.

1. Contemptus Religionis. 2. Stolida arrogantia. 3. Lethifera noxa. 4. Inconsulta ferocia. 5. Temeraria cæpta. 6. Seditio populi in Magistrat°.

GIgantes è Terra matre feruntur progeniti, unde dicti sunt *Terrigenæ*, & Vrano, qui Cœlus latinè. Titanem, qui Saturni frater erat, patrem habuere: nomen ipsis à γίνομαι nascor, & γαῖα, seu γῆ Terra; homines staturæ celsissimæ robore prævalido, aspectu horribili, capillo barbaque promissis, pedibus anguineis (unde anguipedes) in perniciem & contemptum deorum procreati, superis bellum intulerunt, Jovémque de cœli possessione deijcere conati sunt. Vnde etiam *Titanes* dicti, à verbo τιτάινω extendo, quòd extendentes manus suas, & vi agentes, injuriam facerent. Quidam ἀπὸ τῆς τίσεως, à pœna seu ultione denominatos putant. Montes imponendo montibus invaserunt cœlum, & Deos omnes in magnum metum conjecere. Denique tamen Cœlicolûm armis, Jovis præsertim fulmine prostrati, inque Tartarum detrusi, pœnas impietatis suæ luêre.

(a) Fabulandi occasionem sumpsere Poëtæ ex historia sacra, in qua Gen. 6. dicitur *Gigantes autem erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt; isti sunt potentes a sæculo viri famosi.* Ubi Commentatores exponunt, fuisse vastos ac proceros homines, viriúmque fiduciâ in alios, violentos; qui nati sunt ex filiabus Caini, quibuscum inconcesso amore filij *Sethi*, viri religione præstantis, consueverunt, & per ardorem libidinis vastissimos ac validissimos homines progenuerunt. Qui, cùm non minùs libidine, quàm parentes furerent, demum iram Dei, & vindices Diluvij aquas provocarunt. Dicuntur autem molitiones suas usque ad cœlum eduxisse, quia progenies ipsorum militare quasi classicum adversus superos cecinit, dum mutuò se hortantur: *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.* Gen.

(a) *Gigantes ex SS. literis.*

Gen. 11. Ita montibus montes, saxis saxa sunt superimposita, & aggeres erecti, ad cœlum gigantæo more oppugnandum. Ovid. 1. Metam.

Affectâsse ferunt regnum cœleste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes

Virgil. 1. Georg. canit Terram partu nefando creâsse Nam

------Conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum imponere Olympum:
Ter Pater extructos dejecit fulmine montes.

Et Ovidius:

Jupiter omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.

Originem Gigantum idem describit lib. 5. Fastor.

Terra feros partus, immania monstra, Gigantes
Edidit, ausuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues,
Atque ait, in magnos arma movete Deos.
Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.
Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce,
Vertit in autores pondera vasta suos.

Tradunt eos habitâsse in campis Phlegræis Thessaliæ, atque inibi bellum cum dijs commisisse, altissimos montes conscendisse, ignitas arbores & ingentia saxa in Deos jaculatos esse; quorum ea, quæ in mare deciderunt, insulas: quæ in terram, montes esse factos; primóque conspectu suo, audacia atque temeritate tantum dijs metum injecisse, ut cùm primùm Typhoëus eis visus, omnes in Ægyptum aufugerint: ubi longo itinere defessi, ac spe fugæ destituti, se in varias animalium formas transformârint & occultârint, uti canit Ovid. lib. 5. Metam. atque ob eam causam Ægyptios ea ipsa animalia, in quorum se dij speciem induerant, pro Numinibus coluisse, Cùm verò tandem ex fuga se collegissent superi, occisos gigantes, alios quidem ab alijs Dijs, sed præcipuè Palladis consiliô, & viribus Herculis, ac fulmine Jovis in Tartarum deturbatos. Virgil. lib. 6. Æneid.

Hic genus antiquum Terræ Titania pubes
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Porrò

Porrò Gigantes, de quibus mentio in SS. Scriptura, notantur quinque maximè rebus fuisse insignes, nempe vastitate corporis, robore virium, superbiâ, crudelitate, libidine. De vastitate Typhoëi, seu Typhonis Ovid. 5. Metam. scribit, eum tantæ fuisse magnitudinis, ut cùm Sicilia tribus promontorijs claudatur, tota supra corpus ejus fulminatum posita sit; & quidem supra dextram ejus manum *Pelorus* mons, Italiam prospectans: supra lævam *Pachinus* Græciam respiciens, supra crura *Lilibæus* Libiam versùs porrectus; supra caput Ætna, in ipsa insula altissimè eminens, ubi pars gigantum trisulco Jovis igne perijt. Quod Ovidius de Typhone, id de Encelado Maro 3. Æneid. tradit:

Fama est Enceladi semjustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentémque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam spirare caminis,
Et fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.

Non minùs eleganter Claudianus de raptu Proserpinæ

Ætna gigantæos nunquam tacitura triumphos
Enceladi bustum; qui saucia membra revinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur,
Et quoties detrectat onus cervice rebelli
In dextrum, lævúmque latus, tunc insula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.

Inter gigantes celebrantur centimanus Briareus Æneid. 6. & Ægæon Æneid. 10.

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenásque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribúsque arsisse: Jovis cùm fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.

Horatius lib. 3. Od. 4. meminit Mimantis, Porphyrionis, Rhœci, centimani Gyæ, Tityi &c. Hæc ad eruditionem, nunc ad mores.

Ethica.

(a) Habet hæc fabula multiplicem explicationem. Nam primò Macrobius lib. 1. Sat. c. 20. ait, Gigantes fuisse hominum quandam gentem impiam, Deos *negantem*: & ideò existimatam, Deos è cœlo pellere voluisse,

(a) *Gigantes sunt Athei, & contemptores religionis.*

fuisse. Horum pedes in draconum seu serpentum volumina definebant; quod significat, nihil eos *rectum*, nihil superum aut sublime cogitâsse, totius vitæ eorum gressu & processu in inferna vergente. Hæc ille. Idipsum jam antè S. Historia de gigantibus, Terræ filijs, nihil nisi terrena cogitantibus indicavit Gen. 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Cicero quoque eos gigantibus comparat, qui Mundo providentiam seu Rectorem præesse inficiantur; nam in Catone majore ait: Quid enim est aliud, Gigantum more bellare cum Dijs, nisi naturæ repugnare? Hæc enim docet, Mentem aliquam esse supremam, quæ cuncta gubernet. Deum verò negare, est idem, ac Deum cœlo pellere velle. Nempe juxta regium Psalten, *Dixit insipiens, non est Deus.* Psal. 52. Explicat hoc Natalis Comes in Mythologia lib. 6. c. 21. Gigantes inquit, crudeles & temerarij, qui nihil honestum esse putarunt, nisi quod placuisset; vel Jovem ipsum de cœlo pellere ausi sunt. Id ego nihil aliud esse crediderim, nisi væcordes homines, quibus libido & impetus animi dominatur, Deos omnes contemnere, ac pro viribus suis religionem evertere, cùm religio omni temeritati & improbitati sit adversaria. Nam sine religione, & Deorum metu, nihil neque justum, neque pium, neque sanctum fieri potest. Verùm quia scelerum omnium comes est supplicium & pœna, & miseriæ (Deus enim est gravissimus flagitiorum vindex) illi non injuria ab Hercule & Pallade, & dijs cæteris profligati, acerbissimisque supplicijs addicti sunt, cùm nemini esse scelerato impunè denique liceat. Ita ille contra Atheos, etiam nostri temporis Gigantes.

II. (*b*) Secundò dicuntur illa hominum monstra montes imposuisse montibus, & simul cum aggestis illis molibus, fulmine fuisse dejectos: quod superbis meritò contingit, quibus Deus resistit, tantóque profundiùs eos deprimit, quantò altiùs eniti conantur. Jobus cap. 26. ait: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Docuit hoc Diluvium, quando fluctus immanes contra væsanos mortales insurrexerunt, & in imo sepelierunt. De quibus etiam Isaias c. 26. *Terram gigantum detrahes in ruinam.* Et Siracides c. 16. *Antiqui gigantes destructi sunt, confidentes suæ virtuti.*

III. (*c*) Tertiò, sicut Lucifer in cœlo suis cum assecls bellum movit Deo, ita contra æternum Numen insurgunt in terra, quicunque lethifero sese crimine obstringunt; perditi, projectique Terræ filij. Unde

(*b*) *Per gigantes denotantur Superbi.* (*c*) *per gigantes indicantur peccatores scelesti.*

Psal. 118. vocantur *Peccatores terræ*; quippe qui terrestribus & brutis cupiditatibus abrepti, cœlestia contemnunt, Deum ipsum cœlo detracturi, si possent vindicem ejus manum exarmare. De his psalmus 36. *Gladium evaginaverunt peccatores.* Sed gigantes hos potentior Gigas debellat, de quo Jobus c. 16. *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Et Isaias 41. *Ecce confundentur, & erubescent omnes, qui pugnant adversùm te: erunt, quasi non sint: peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tuos, erunt quasi non sint: & veluti consumptio homines bellantes adversùm te.*

IV. (*d*) Quartam Horatius doctrinam suggerit, dum canit:

Vis consilî expers mole fuit sua.

Vanæ sine viribus iræ, & vanæ sine mente vires: Proxima ruinæ est inconsulta ferocia. Ut cœlum oppugnarent, cæca temeritas impulit gigantes, è terra ortos, in terram redituros: Polyphemus quale corporis monstrum! ab Vlysse tamen delusus & interemptus est: cur? unoculus fuit, cui lumen rationis ademptum. Quis robustior Milone Crotoniate? stolida virium præfidentia ipsum perdidit, dum conatus fissam quercum manibus divellere, intra fissuram hæsit, miserriméque perijt. Nimirum, plerúmque ubi plus est corporis, ibi minus est mentis. Et verum est illud:

Vis multa, sed consilium plura perficit.

In cælo propugnando plurimùm potuere Pallas & Hercules, Sapientia cum Fortitudine juncta. Ex Ovidio disce, Jovem in sua oratione de extinguendo genere humano, boni Principis officium ostendisse, dum ait:

Cuncta priùs tentanda; sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est; ne pars sincera trahatur.

Rectè Seneca: Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Et Tullius in Catilin. 2. Quæ sanari poterunt, quacunque ratione sanabo: quæ resecanda erunt, non patiar ad pernitiem civitatis manare.

V. (*e*) Quintò non malè accommodabitur Gigantum fabula ad illos, qui nimis ardua consilia suscipiunt, & fiduciâ ingenij elati, pede suo se metiri nesciunt; nec antè in altum eniti, & ipsum Jovis solium captare desinunt, quàm vi & mole cœpti temerariè negotij obruti, turpiter deficiunt ac succumbunt. Tales gigantes proponit nobis historia Romana in Cornelio Sylla, C. Mario, L. Catilina, M. Manlio, L. Lentulo,

(*d*) *Vana sunt vires sine consilio* (*e*) *Stolida præfidentia.*

tulo, M. Antonio, C. Cassio, Bruto, Sext. Pompeio, aliisque, qui omnes montibus illis, quos congesserant, id est conatibus temerario ausu susceptis oppressi, pœnas dederunt.

VI. (*f*) Sextò, non injuria θεομαχεῖν, seu cum Dijs pugnare dicuntur, qui per seditiones & motus intestinos, Principum ac Magistratuum, qui Dij nominantur in SS. litteris, autoritatem, opes, eminentiam, postremò vitam eversum eunt; qui vel suis armis, quæ injustè in superiores arripuerant, confossi intereunt; vel à populari multitudine, quam ipsi ad sceleris Societatem & ministerium exciverant, cùm res è voto non succedit, opprimuntur. Fulmen Jovis in Gigantes detortum, est vindicta divina à justissimo Deo de ijs sumpta, qui rebelles & contumaces vel in suam majestatem, vel in legitimè præpositos improba moliuntur ac machinantur.

Hic adverte ansam Gigantibus arma in cœlum moliendi præbuisse superûm inter se discordiam, quare defuncti hoc periculo aram inter Astra statuere, flore ac lemniscis redimitam, ardente flamma; in quam ita lusum:

Anguipedes postquam, perjura caterua, gigantes
Montibus exusti succubuêre suis.
Hanc aram statuere Dij, cùm mutua pacti
Fœdera, juratas conservêre manus.
Si priùs in superis concordia tanta fuisset:
In Superos nullus verteret arma Gigas.

SYMBOLVM X.

Lycaon in lupum abit: ejus filia Callisto in ursam.

1. & 2. Metam.

Ethicè.

1. Homo similis bestiæ. 2. Tyranni imago. 3. Gulosus & avarus. 4. Physiognomia causam præbuit Poëtis fingendi metamorphoses. 5. An fiat mutatio hominis in bestiam? 6. Quid intelligatur per has metamorphoses Poëticas? 7. Callisto cur in ursam?

FUit vir hic Arcadiæ rex, qui ob impietatem, perfidiam, inhospitalitatem in lupum transformatus est. Res ita contigit. Jupiter Deo-

(*f*) *Seditiones in magistratum.*

rum ſuprемus multa de generis humani improbitate inaudierat; quippe Gigantum propago, contemptrix Superûm, ſanguine & cædibus omnia miſcuiſſe ferebatur. Igitur conſilio cum cœlicolis habito, conſtituit ipſe, relictô olympô, in terram deſcendere, & certiùs, quæ ſpargebat fama, cognoſcere. Jam cum Mercurio, quem comitem itineris aſſumpſerat, peragratis aliquot regionibus, in Arcadiam devenerat, & ad ipſam adeò Lycaonis regiam. Abjerat in crepuſculum dies, & cœleſtes viatores, tametſi mortali habitu incederent, non obſcura tamen divinitatis indicia præferebant. Plebs altiore pietatis ſenſu commota, ad vota cepit & Sacrificia dijs facienda ſe accingere, irridet ſimplicem credulitatem Lycaon, jactátque, ſe ea ipſa nocte de hoſpitum conditione periculum facturum. Itaque tecto receptos, ut profundiùs indormijſſe credidit, adrepit ad lectum, conatúrque ſopitos opprimere. Id cùm non ſucceſſiſſet, inſidias alia via aggreſſus arripit unum ex obſidibus à gente Moloſſorum ad ſe miſſis; hunc jugulat: partímque aſſum, partim elixum Dijs epulandum apponit. Tantam indignatus immanitatem Jupiter, regiam tyranni immiſſo fulmine exurit, ipſúmque in ſilvas fugientem, transformat in lupum.

Colligit os rabiem: ſolitæque cupidine cædis
Utitur in pecudes, & nunc quoque ſanguine gaudet;
In villos abeunt veſtes, in crura lacerti;
Fit lupus, & veteris ſervat veſtigia formæ,
Canities eadem eſt, eadem violentia vultûs,
Ijdem oculi lucent; eadem veritatis imago eſt.

Ethica.

I. (a) In eam ſcilicet feram abijt Lycaon, cujus mores jam antè præferebat. Inſita feritas lupum effecit, antequam formam ſumeret lupinam. S. Chryſoſtomi hom. 1. In Joannem, dictum eſt: In tot beſtias migrat homo, in quot vitia à virtute deflectit. Quod quantum ſit malum, Tullius declarat, quem laudat Lactantius lib. 1. c. 11. Præclarè, ait, Cicero dixit: Si nemo eſt, quin emori malit, quàm converti in aliquam figuram beſtiæ, quamvis hominis mentem ſit habiturus; quantò eſt miſerius in hominis figura, animo eſſe efferato. Quod Severinus Boëtius fuſiùs proſequitur lib. 4. de conſol. philoſoph. proſa 4. Evenit igitur, inquit, ut quem transformatum vitijs videas, hominem exiſtimare

re

(a) *Homo ſimilis beſtiæ.*

re non possis. Avaritiâ fervet, alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigijs exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax metuenda formidat? cervis similis habeatur. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis, immundisque libidinibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate deserta, homo esse desierit, cùm in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Hæc ille.

II. (*b*) Lycaon, uti priùs humanum, ita postea pecudum, præsertim ovium, sitiebat sanguinem, quod proprium tyrannorum est, in eos potissimùm sævientium, qui maximè sunt innocentes. In adagijs est, *suade lupis ut insaniant;* rabiunt ultro. Quibus similes illi, quos conjuncta cum impietate crudelitas, in Divos, hominésque incitat & immittit. Talis lupus Herodes fuit Ascalonita, qui Deum ipsum mactaturus, tot millium infantium cæde, rabiem suam non tam exsaturavit, quàm irritavit. Tales sunt, omnes illi sanguinis humani helluones, quorum in vultu truculentia, in oculis rabies, in pectoribus furor, in manibus violentia sedem fixit; qui nunquam non spirant iras, anhelant cædes, & si non cruentam sicam, certè sanguinariam semper voluntatem gerunt. Agunt hoc tyranni, quod lupus in apologo. Ad profluentem levandæ sitis causa fortè convenerant lupus & agnus. Ille mox jurgij occasionem arripiens, quærit minitabundus, cur sibi aquam turbâsset. negat agnus id fieri potuisse, cùm ab ipso superiùs consistente, ad se inferiùs stantem, rivus delaberetur. Repulsus veritate lupus, ante sex, inquit, menses maledixisti mihi. Respondet agnus, se eo tempore necdum natum fuisse. Instat lupus: at pater tuus in me fuit maledicus: & cum dicto, corripuit innocentem, atque in frusta discerpsit. Sed denique hic Lycaones scelerum suorum conscientiâ exterriti, sese ipsos fugiunt, non effugiunt tamen, exagitante eas vindicta divina, & inter mille terrores, velut inter silvarum bestias circumagente. Cætera animantia à genere suo temperant; at *homo fit. homini lupus*, & in naturæ consortem sævit.

III. (*c*) Luporum tanta esse dicitur ingluvies, ut, etiamsi saturi sint, ad occursum tamen prædæ statim egerant, vel evomant, quod ingesserunt, ut vorare possint. Quid quod, teste Aristotele, hoc animal comedit non masticando cibum, sed devorando & glutiendo, unde tan-

(*b*) *Tyranni imago.* (*c*) *Gulosus & avarus.*

tum abdit in ventrem uno tempore, quantum ei in triduum sufficiat. En Symbolum hominis gulosi, avari, violenti.

IV. (*d*) Liceat hîc non nihil in signa Physiognomica excurrere, & à bestijs conjecturam de homine sumere, quæ causa inter alias fuit, cur Poëtæ transmutationes varias animalium, & aliorum in alia immigrationes excogitaverint. De his Carolus Scribanius vir eruditissimus in Politico-Christiano. lib. 2. cap. 5. Hic canino, inquit, vultu est, & domino suo fidus: iste lupino, non induet mansuetudinem, crudelem exspecta, & sanguinis avidum: alius asinino; & pingui gaudet otio, & stolida ferè mente est: leonino alius, & explicato pectore, & generosa mente est: nulla hunc humilia & sordida, delectant ardua & magna: præfert alter mulum, & recto vultu, immota cervice, in utrúmque latus oculos circumfert; astum, malignitatem, & calces vertere, ubi tutissimum te arbitratus fueris: taurum alter; & dura cervice est, & flecti nescià: cervum alter; fallit decor nihil in hoc excelsi animi, timoribus natat, & fugæ aptior, quàm bello: leporem nonnulli; solis pedibus se tuentur, semper pavidi: aprum nonnemo; ferociam & sordes reperies: quid? quod & ursum; deturpant hunc pili & libido, etiam ovem; simplicitas hunc vestit, & stupor. Equum referunt non pauci; quorum generositatem, ambitionem ignaviam è varia vultus formatione disces: alij simiam; dolos in his reperies & adulationes: quidam avium quarundam lineamenta ostendunt: etiam mores metu, suspicione, inconstantiâ plenos. Sed & aliquid è serpente in nonnullis invenies, venena etiam & insidias, infidam ac intutam mentem, nullis beneficijs vincendam, nec pauca in quibusdam è felibus; ungues cave, nec fortunas crede. Sunt, qui vultu mulierem mentiuntur; nihil in his virum sapit, ingenium vultui respondet, narrandis quàm gerendis rebus magis idonei. Hæc ille.

Humani corporis partes speciatim prosequitur Aristoteles in Physiognomia c. 9. & 10. alibique, qui ducta similitudine hominis cum varijs animantibus, parilique corporis conformatione, similes quoque mores & affectiones animæ auguratur; adeò, ut si quis corporis compositione, orisque filo leonem referat, generosum ipsum pronuntiet: si asinum capitis crassitie, eum stupidum affirmet: si capite pineato seu acuminato, quale upupæ est, stolidum & imprudentem dicet, ut Thersites ab Homero describitur; si orbiculato & extantibus oculis, noctuis & bubonibus simili, tanquam indocilem, obtusum, noctis & somnolentiæ amicum

(*d*) *Physiognomia causam præbuit Poëtis fingendi Metamorphoses.*

amicum damnabit; Si nimis parvo, referet ad bubalum, quod est exilis capitis, animal ferox & impotens sui; item ad camelum aut struthionem, stolida animalia; item ad vulpem, quacum comparatus homo aliquid astutiæ, sed modicum prudentiæ habet, ob paucitatem cerebri in minuto capite locum non habentis. Si faciem carnosam habet, referet ad bovem, & segnem ac tardum conijciet; si valde parvam, catto & simiæ comparabit, ridiculúmque & pusillanimem asseret; si frontis angustæ erit, imperitiam & stoliditatem ei objectabit, & ad suem referet, animal stolidum & indocile, quod nunquam erigit caput, nisi fortè cùm mactatur, & tunc rei novæ insolentiâ stupet. Hinc illud: *Sus Minervam.* si prominentioris, sagacem à similitudine canis dicet; si valde latæ, bovi assimilabit, & torpidum conjectabit; si magnæ & carnosæ, stuporis asinini arguet: unde veteres stolidum hominem per truncum humanum asini capite superimposito significabant. Si frontis ad amussim quadratæ, mediocris, & in medio aliquantùm subconcavæ, ingeniosum & magnanimum putabit, nam talis ad frontem leoninam accedit; si protensæ & tranquillæ, adulationis insimulabit, quales sunt canes domestici, qui assentantes frontem explicant; qui torvæ & nebulosæ, audacem & iracundum ominabitur, qualem habent tauri. Idem indicium ducit è collo crassiore; quòd si verò sit tenue, prolixum, erectum ad cervum referet, & timidum appellabit; si brevius, voracitatis arguet, & ad lupos reijciet, quorum colla tanta brevitate contrahuntur, ut non nisi circumacto corpore retrò contorqueri possint; si collum sanguineis intumescat venis, iracundiam Philosopho signabit, qualis inest gallis Numidicis seu Indis; si plenum erit & rotundum, nec in medio concavum, manduconem notabit de porcino genere; si tenue & longiusculum, bibonem notabit, & Philoxeno similem, qui gruis sibi collum optavit; cervicem verò pilosam & hirsutam, fidentem & fortem credet, leoníque conferet. Cui humeri sunt lati, magni distantes laboriosum & robustum ab armis taurinis judicabit; Motus humerorum & curvitas eidem generositatem designat. Quod ipsum pectore amplo significatur, quali præditus erat Achilles Græcorum fortissimus; gracile verò & imbecille pectus cervinam timiditatem indicat; pilosum, robur & vires ursi; rubescens, iracundi est argumentum. Cui nasus crassior, hebes est, & ad sues accedit; cui acutior & oblongus, is Aristoleli contenosus videtur, & canibus similis, qui acutas habent nares, & in ipsam lunam ringuntur; pinnulæ nasi crassiores pigritiam bovinam innuunt; amplæ & rotundæ,

tundæ, leonibus comparantur, & moloſſis, procliviores ad iram; qualis Scipio Naſica fuit, qui cognomen inde hauſit, quod ipſum patula narium latitudine denotatur: itémque nasô rotundo, cujus extremum obtuſius; cui naſus ſubtilior, deſultorius eſt, & avibus aſſimilatur. Cui naſus à fronte mox diducitur, inverecundiæ & rapacitatis ſignum præbet, atque ad vultures & cervos refertur, cui concavus & ante frontem rotundus eſt, ad cervi intemperantiam reijcitur; cui nares apertæ, urſi naturam & iram præfert, de quo Martialis monet, *fumantis naſum ne tentaveris urſi.* Cui naſus ſimus, hoc eſt, in medio depreſſus, qualis eſt ſimiorum & canum, is Philoſopho cenſetur pronior ad intemperantiam, irritabilis ad iram, infidus ad amicitiam. Si naſus longior, & ad os productior, ſagacitate pollet, ut catelli Laconici, aut canes Gallici, odori ſive odoriſequi, indagandis feris excitati. Cui naſus aduncus ſeu aquilinus, in medio clementer aſſurgens, à Græcis Grypus appellatur, Symbolum animi magni, liberalis, & prudentis in facie circumfert, quali naſo fuit Apoſtolus Paulus, de quo Nicephorus lib. 2. c. 7. Paulus corpore parvo, contracto, & quaſi incuruo atque paululùm inflexo, capite modico, ſupercilijs deorſum vergentibus, barba denſiori, naſo pulchrè inflexo. Grypus fuit Cyrus rex Perſarum, longè laudatiſſimus, unde apud Perſas mos inolevit, ut neminem niſi Grypum ad imperij dignitatem eveherent. Frequens nictatio oculorum, ſicut etiam os parvum, timiditatem leporinam denotat; inconnivi oculi magnanimitatem leoninam; parvitas oculorum aſtutum & vafrum, vulpi ſimilem. Ingentes oculorum feneſtræ melanurum piſcem referunt, pigrum & timidum; magna pupilla hebetudinem noctuæ de die: parva, qualis ſerpentis & ſimiæ, ingenioſum & aſtutum; oculi concavi & in orbem reducti aquilinam aciem & acumen ingenij oſtendunt; id quod etiam celeritas motûs oculorum tacendo loqui videtur, & tarditas ſtupiditatem. Fætus, qui alterum oculum minorem habet, mollius aliquid de hirco præferre putatur; cæſius, qui oculis eſt cæruleis ſeu glaucis, qualibus eſt capra prædita, amicior Minervæ cenſetur, Muſarum Deæ, quæ ab Homero γλαυκῶπις, hoc eſt, oculos habens glaucos, appellatur. Hæc & plura Ariſtoteles, aliíque Phyſiognomi, de quibus doctè & eruditè in ſua Phyſiognomia P. Horatius Nicquetius S. J. Non quòd indubitata hæc ſigna ſint mentis bonæ, malævé; ſed quòd pronitatem quandam naturæ corporiſque deſignent. Aſſimilantur enim, ait Scribanius loc. cit. exteriora internis, ut hederam illa credas poſtibus defixam, vino ven-

dendo,

dendo, cellíſque recondito. Ita ferè in vultu mentem corpore reconditam, clauſámque, tanquam in ſpeculo legas, ut totum hominem, animámque totam in vultu poſuiſſe natura videatur. Scio dictum: *Fronti nulla fides.* Quod ut in adultioribus non negem, inquit memoratus Scriptor; in pueris tamen vix mentiri poteſt. Eſt tamen educatio altera & potentior natura, præſertim ſi è cælo accedant auxiliares virtutum copiæ. Benè Cicero lib. 1. de Orat. *Quæ bona ſunt, meliora fieri poſſunt arte; & quæ non optima, acui tamen & corrigi poſſunt.* Socratem ferunt vultu notam intemperantiæ prætuliſſe, ſed arte & virtute viciſſe naturam; unde dixiſſe memoratur: *Talis eſſem, ſi Philoſophus non eſſem.* Egregiè ad hunc locum Tullius in Tuſculana. 1. *Similitudo magis apparet in beſtijs, quarum animi ſunt rationis expertes; hominum autem ſimilitudo in corporis figura magis extat; & ipſi animi, magni refert, in quo corpore locati ſint, multa enim à corpore exiſtunt, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant.* Hæc ille.

Nobis ſufficit hic oſtendiſſe, Poëtas Metamorphoſes ſuas introducendi anſam non ex ſola fingendi libidine, ſed ex arcaniore naturæ ſcientia ſumpſiſſe.

V. (e) Quoniam verò in hoc libro ſæpius occurret hominum in beſtias mutatio; nec deſunt, qui putant hanc converſionem verè accidere, duximus aliquid ſuper hoc argumento paucis diſſerendum. M. Varro narrat, Arcades tranſnatâſſe ſtagnum quoddam, atque in lupos commutatos, inter feras, per illius regionis deſerta, vixiſſe, etſi carne humana abſtinuerint; decurſo novem annorum ſpatio, eodémque rurſus tranato ſtagno, in homines reformatos eſſe. Mira hujus rei teſtimonia refert Olaus Magnus Archiepiſcopus Upſalenſis. Inter alia ſcribit, ab hujus generis lupis ædificia in ſilvis oppugnari, fores effringi, obvia quæque proſterni, dilacerari, devorari, cellaria intrari, vino cereviſiáque ingurgitari. Et P. Georgius Stengelius recenſet Tom. 2. de Judic. divin. cap. 60. Sereniſſimo Archiduci Carolo immanem quendam urſum jaculatu plumbeæ glandis petenti vocem redditam femineam, *væ mihi*, reperiſſe; deinde urſum in anum converſum, globi jctu interemptam. Et tempore tumultûs ruſticorum in ſuperiore Auſtria, quidam è rebellium ductoribus magus, ſe in arboris truncum convertit, accliuantíque ſe ad illum bajulo vitriario, repentè fulcrum ſubduxit, vitra fregit; iterúmque mutatus in hominis figuram, lamentantémque conſolatus, in bovem ſe vertit benè paſtum & nitentem, ſéque vendi permiſit; reparat damnum

(e) *An fiat mutatio hominis in beſtiam.*

num vitrorum institor: lanio emptum bovem in stabulum abduxit, fœnum appositit; bos pulmentis se vesci ait; dum lanius attonitus currit, & arrepta bipenni ad prodigiosam pecudem recurrit, nihil præter funem reperit, quo se suspenderet, si pendere liberet. Taceo plura horum similia & causam inquiro metamorphoseos. Imprimis talia dæmonis ope & arte facta esse, negari non potest; non quòd orcinus artifex hominem in veram belluam, vel belluam in hominem convertere queat, cùm anima humana interitui non sit obnoxia; nec ea possit informare corpus belluinum, convenientibus scilicet tam nobili spiritui dispositionibus & organis destitutum.

Igitur transformationes, quas oculis mortalium veterator objecit, deluforiæ sunt, deceptio, fascinatio. Aliquando acheronticus nebulo magos & sagos aliò transportatos, vel domi relictos, altissimo somno consopit, insomnióque deludit, ut putent se ibi esse, ubi non sunt, & ea agere, quæ non agunt; cùm interea ipse vel corpus lupi, ursi, capri &c. ex aëre, aqua, aliáque materia formatum assumit; vel verum lupum, ursum &c. impellit, agit, excitat, trahit, ducit; vel in eo ipse facit, quæ sibi magi dormientes videntur facere. Quid quod ex humorum vitio, & atræ bilis excessu phantasia nonnunquam ita mutatur, ut nonnulli tristitiâ efferati, putent se in bestias esse commutatos, induántque affectus lupinos, odiúmque gregis, aut hominum, ac proinde etiam desiderium eos invadendi, lacerandi, vorandi. Quem affectum medici λυκάνθρωπίαν, latinè *insaniam lupinam*. Sic Aiax emotus mente in pecorum gregem sævijt, Vlyssem se putans discerpere. Potest etiam Panurgus stygius oculorum species seu simulacra corrumpere, aut eas per corporis alicujus interpositionem, vel per nimiam aëris agitationem impedire: aut formam objectam aliqua ratione vestire, ut non videantur proxima: aut si videntur, monstrosa appareant.

VI. (*f*) Quare fabulis accense Apuleium, in asinum migrantem, & Lycaonem in lupum, aliósque in alias bestias conversos. Quanquam, uti diximus, sæpiúsque dicemus, sub ejusmodi fabulosis involucris multa ad mores spectantia viri doctissimi exprimere, & veluti hieroglyphicè depingere voluerunt. Nam, uti suprà indicavimus, cùm Lycaon in lupum abijsse dicitur, significat feram regis illius crudelitatem, qua advenas & hospites immani scelere trucidavit. Hecubam Priami regis uxorem grandævam in canem mutatam perhibent. Cur? quia malorum pondere pressa, & oppressa, reique indignitate victa, victores Græcos con-

(*f*) *Quid intelligatur per metamorphoses Poëticas.*

convitiorum & maledictorum aculeis momordit, proscidit, dilaniavit. Midæ aures in asininas migrâsse diximus; quô depravatum aurium judicium, & stolidæ præcordia mentis insinuantur, qui Panis Fistulam solus omnibus dissentientibus citharæ Apollinis, hoc est, iniqua æquis, mala bonis solebat anteferre. Hæc clariùs patebunt ex ijs, quæ porrò in explicatione fabularum prosequemur.

VII. (*g*) Hîc loci adjungenda Lycaoni est filia sua *Callisto*, quæ comes fuit Dianæ, & nomen à *pulchritudine* accepit. Quæ cùm à Jove vitiata fuisset (nam hujus deorum Rectoris flagitia passim traducuntur à Poëtis, ut significarent, cum magna fortuna plerumque magna vitia conjuncta esse) Dianâ, quippe integritatis studiosissima, tantum abominata scelus, eam è consortio suo repulit. Non minùs detestata pellicem Juno, eam commutavit in horridam *ursam*. Poëtam audiamus; Juno furens ait:

Haud impune feres: adimam tibi namque figuram,
Qua tibi, quáque places nostro importune marito.
Dixit, & arreptam prensis à fronte capillis,
Stravit humi pronam, tendebat brachia supplex:
Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
Curvarique manus, & aduncos crescere in ungues,
Officióque pedum fungi, laudatáque quondam
Ora Jovi, lato fieri deformia rictu:
Nevé preces animos, & verba precantia flectant,
Posse loqui eripitur! vox iracunda, mináxque,
Plenáque terroris rauco de gutture fertur.
Mens antiqua tamen factâ quoque mansit in ursâ,
Assiduóque suos gemitu testata dolores,
Qualescunque manus ad cœlum & sidera tollit.
Ingratúmque Jovem nequeat cùm dicere, sentit.
Ah, quoties solâ non ausa quiescere silvâ,
Ante domum, quondámque suis erravit in agris?
Ah, quoties per saxa canum latratibus acta est,
Venatrixque metu venantûm territa fugit?
Sæpe feris latuit visis, oblita quid esset,
Vrsáque conspectos in montibus horruit ursos,
Pertimuítque lupos, quamvis pater esset in illis.

Ubi nota quædam ad moralem doctrinam pertinentia. 1. Juno, Zeloty-

(*g*) *Callisto Lycaonis filia cur in ursam?*

lotypiâ fervens, arripuit pellicem crinibus, quibus promiſcuè viris placere ſtudebat. 2. Strauit eam humi, pugnis contudit, pedibus protruſit altiùs ſeſe efferentem. 3. In beſtiam pilis & pelle horrentem, convertit, quæ venuſtate formæ luxuriabat. 4. *Mens antiqua manſit* in Calliſto; nam mutatâ figurâ, conſcientiæ nihilominus ſtimulis exagitabatur & urſorum ac luporum ſpectris, terrorum, inquam, phantaſiam, & animum perturbantium percellebatur. 5. Iu quibus peccavit, in ijs eſt punita; pro flavis cincinnis, nigros & horridos villos induit. Pro manuum & pedum geſticulationibus, deformes & ſævi ungues ſuccreverunt; pro faciei elegantia ſubjerunt rictus aſpectu terribiles. Et vox illa blanda, ſuavíſque, in fremitum, & murmur horrificum mutata eſt. 6. Et illi, quos antea in oculis & in ſinu ferebat, amatores ſcilicet libidinantis formæ, jam quales occurrebant? urſorum ac luporum ſpecie. In hæc monſtra vertuntur primæ laſcivi amoris blanditiæ. 7. Et tamen inter ſidera locus huic adulteræ datus eſt à Jove. Nempe ſcelus cùm autorem vel adjutorem habet illuſtrem, felix putatur. 8. Calliſto nomen in cœlo mutavit, & *Arctos*, ſeu *Vrſa major* (Græcis *Helice*) appellata eſt. Sæpe quidem mutato crimina palliantur nomine, ſed non extinguuntur. Haud ignoravit Thetis, maris dea, ſideris hujus adulterinos radios, non permiſit *Vrſam* cœleſtem æquore tingi (id eſt, aliorum inſtar aſtrorum occidendo, ſeſe undis mergere) ne ſcelerato contactu inficeretur aquarum puritas. Adeò deteſtanda ſunt flagitia ipſis etiam elementis, ut, ſi rerum omnium ſupremus moderator annueret, *Orbis terrarum pugnaret contra inſenſatos*, id eſt, ſceleribus contaminatos, aut ſi molliùs loqui placet, *illuſtres*, qualis inter aſtra Calliſto fulget. Quid quod *Vrſa* quoque Minor (quæ Cynoſura appellatur) è Jovis nutricibus fuiſſe dicitur. Natalis Comes lib. 2. cap. 1. ideóque cœlo recepta, in quam ingeniosè quidam luſit:

Hirſutos effæta ſinus, ſcabrámque papillam
Gnoſia lactenti præbuit Vrſa Jovi.
Hinc tenuit primam prima inter ſidera ſedem,
Navibus irato ſuſpicienda mari.
Sit vilis, ſit inops, ſit agreſti agreſtior urſa,
Quem regum extollit gratia, ſidus erit.

Huc facit, quod de Arcturo, ſeu Arctophylace ſive Bubulco Vrſæ majoris cuſtode canitur:

Quid facit iſte boum ſacra inter ſidera ductor?
Aula Deûm caula eſt? arua per aſtra colit?

Calliſto

Calliſto hunc pellex genuit: rigidúmque procaci
Cuſtodem matri præpoſuere Dij.
Lubrica res mulier. Rigido cuſtode remoto
Caſta nec in cœlo vivere poſſet Helix.

SYMBOLVM XI.

Homines è lapidibus orti.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Tutela probitatis. 2. Cognitio ſui. 3. Homo lapis. 4. Homini laborandum. 5. Informatio ad humanitatem. 6. Præmium probitatis.

Diluviô univerſali genus omne hominum, demptis illis, qui cum Noacho in *arca* ſervati fuere, divinæ ultionis immiſſu interijſſe, ſacra teſtatur hiſtoria Gen. 7. Neque homines duntaxat, ſed animantia pariter rationis expertia illo cataclyſmo perierunt. Cauſa tantæ cladis extiterunt ſcelera, quæ magis quàm aquæ terrarum orbem inundarunt. Neutrum hoc Poëtas latuit, qui, quod ſubinde monebimus, è quadam divinarum litterarum umbra anſam figmentis ſuis arripuerunt. Accipe fabulam, & lapideam hominum originem.

In horrenda illa, communique terrarum eluvione Deucalion, Promethei filius, Theſſalorum rex, vir pietate præſtantiſſimus, mira Deorum protectione ſervatus eſt. Nam cùm aquarum impetus omnia obrueret, & ipſa quoque montium cacumina ſuperaret, ipſe cum uxore Pyrrha conſcensô jam ante parvô navigiô (in quod parentis monitu neceſſaria comportârant) ad montem quendam in regione Phocide delatus eſt; qui quòd ibidem λάρνακος ſeu *arca* aut *ratis* Deucalionis appulſa eſſet, initiô *Larnaſſi*, poſtea *Parnaſſi* nomen obtinuit. Quo in loco, in montis culmine conſtituti, terræque ac fœdam rerum faciem conſpicati, tantam hominum ſtragem miſerantes, ſuámque ſolitudinem deplorantes, Numina loci cùm alia, tum imprimis Themidem, comprecati, & ſciſcitati ſunt, qua ratione genus humanum, quod jam exceptis duobus illis, interierat omne, reparari poſſet; id reſponſi tulerunt, ut uterque velati caput, Magnæ matris oſſa retro jacerent. Cujus obſcuritate oraculi cùm

diu perplexi hæsitâssent, Deucalion denique visus est sibi responsi mentem assecutus, &: Magna Mater, inquit, adeóque nutrix omnium, *Tellus est*: cujus ossa quid aliud, quàm saxa & lapides esse putabimus? Atque cum dicto, uterque sinus discinctos lapidibus impleverunt, eósque post tergum jacientes sparseruut. Qui à Deucalione missi fuerant, in mares: qui à Pyrrha, in feminas mutati sunt.

Non possum hîc omittere venustam & festivam diluvij descriptionem, ingenio Ovidiano dignam.

Jámque mare & tellus nullum discrimen habebant:
Omnia pontus erant: deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem; cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.
Ille super segetes, aut mersæ culmina villæ
Navigat: hic summa piscem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi (si fors tulit) anchora prato:
Aut subjecta terunt curvæ vineta carinæ.
Et modò quà graciles gramen carpsere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora Phocæ.
Mirantur sub aqua lucos, urbésque, domósque
Nerëides, silvásque tenent delphines, & altis
Incursant ramis, agitatáque robora pulsant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones:
Unda vehit tigres: nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quæsitísque diu terris, ubi sistere possit,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabántque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Hæc quidem lepóre poëtico. Tragicam universalis Diluvij historiam sacræ referunt litteræ, Genes. 6. 7. 8. Et nos in Floro nostro Biblico enarravimus Narrat. 6.

Ethica.

1. (a) Disce, virum bonum, justum, sanctum, amantem ac metuentem Dei, cui pietas, candor, integritas, cultus divinus cordi sunt, Provi-

(a) *Tutela probitatis.*

Providentiæ Numinis insigniter cordi esse; fluctuare illum quidem nonnunquam ingruentibus calamitatibus publicis, mergi tamen atque dispergi minimè posse, Deo vires emergendi sufficiente, illúmque quasi manu supposita fulciente. Talis fuit Deucalion & Pyrrha, de quibus Poëta.

Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illâ reverentior ulla Deorum.

Et:

Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem
Et superesse videt, de tot modò millibus unum,
Et superesse videt, de tot modò millibus unam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos.

Nimirum carebant omni vitio, & Deos sincerè colebant ambo. Ubi adverte, conjungi religionem cum innocentia, quæ sine illa constare non potest. Quem enim irreligiosum vidisti unquam benè moratum ac probum? Qui Deum non timet, homines timebit, & ab injuria inferenda temperabit? neutiquam.

II. (*b*) Hinc doceris Tellurem, communem omnium parentem, nemini erubescendam esse. Atque hoc est, quod Ethici *Cognitionem sui* vocant. E terra genus ducit nobilis perinde ac ignobilis. Etsi videaris cœlum pulsare vertice, memineris tamen te terræ filium esse. Ad rem facit, quod narrat Livius lib. 1. Tarquinios Sexti Tarquinij Romanorum regis filios, Delphos esse profectos: consulentibus quis eorum regnaturus esset Romæ, oraculo vocem redditam, imperium summum habiturum, qui primus osculum tulerit matri. Responsum ipsis aliter interpretantibus, Junium Brutum, quem ludibrium veriùs, quàm comitem (scitè enim stultitiam simulârat) secum duxerant, veluti si prolapsus cecidisset, terram osculo contigisse. Factum eventu rei probatum est; nam cùm impotenter se gerendo Tarquinius cognomento *superbus*, omnium in se odium concitâsset, Bruti maximè operâ, Româ expulsus est, & ab eo initium Romanæ libertatis factum.

III. (*c*) Rudes mortales, & religionis, cultúsque deorum ignari cùm à Deucalione & Pyrrha ad virtutem ac pietatem informarentur, dicti sunt è lapidibus orti, atque in homines conversi. Nam quid aliud est homo iners, incultus, rudis, impolitus, indoctus, agrestis, rerum divinarum, bonarúmque artium expers, quàm lapis quidam, & inutile terræ pondus? Id Aristippus, insignis philosophus ostendit, quando interrogatus à quodam, quid boni filio suo allatura esset eruditio, respondit: si nihil aliud, hoc certè, quòd in theatro lapis in lapide non sedebit.

(*b*) *Cognitio sui.* (*c*) *Homo lapis quis?* IV.

IV. (*d*) Ovidius narrationem de lapidum jactibus claudens, ait:

Inde genus durum sumus, experiénsque laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Ferendis scilicet, experiendisque laboribus natum est genus mortalium. Concordant SS. litteræ Job. 5. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Et Gen. 3. lata est à Deo in protoplastum sententia: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Dura quidem lex, sed ad virtutem & industriam exacuendam necessaria. Unde benè Maro 1. Georg.

------Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primúsque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Nimirum Jupiter aurei seculi tam paratam rerum copiam submovit.

Ut varias usus meditando extunderet artes.

Idem Poëta:

-----Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Consonat Horatius lib. 1. Sap. 9.

------ nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Et notum illud: *Dij omnia laboribus vendunt.* quod eleganter expressit Hesiodus.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάρειθεν ἔδηκαν
Ἀθάνατοι.

Ad verbum: Virtuti sudorem ex adverso posuerunt dij immortales. quod Tullius lib. 6. epistol. 1. ad Leptam, sic reddidit.

Virtutem dij immortales sudore parari,
Atque labore volunt.

Aptè ad hæc Claudianus de nuptijs Honorij:

Non quisquam fruitur verisodoribus,
Hyblæis latebras nec spoliat favis,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Amat spina rosas, mella tegunt apes.

Veteri apologo fertur rusticus cum curru & bobus luto altiùs hæsisse. Hîc miser circumspicere, caput scabere, malam fortunam accusare, adjutrices manus exspectare, pectus plangere, demum in genua ruere,

(*d*) *Homini laborandum.*

ruere, & dextram Herculis implorare. Adfuit vocatus Hercules, ſed hominem increpitans: O piger, inquit, ſic currum non extrahes: Abi, manus admolire, boves urge, currum promove; ita Dij aderunt vocati & juvabunt.

Procul igitur à duro mortalium genere torpor, ignavia, deſidia, mollities, qualis Sybaritarum fuit, quorum aliquis cùm vidiſſet in agro fodientes, animo ſcilicet defecit. Nullum illi homines in civitatem ſuam admittebant opificium, quod cum ſtrepitu exerceretur; atque adeò ne gallum quidem gallinaceum fas erat alere, ne quid eſſet, quod illis ſomnum interrumperet. Athenæus lib. 2. Et Smyndirides perditiſſimus ille juvenis jactare ſolitus eſt, ſe à viginti annis ſolem neque orientem, neque occidentem vidiſſe; aſſiduò ſcilicet vel in lecto, vel in menſa occupatus erat, ſi eſt occupatum eſſe, inerti otio tempus transmittere. Quod Æneas Aſcanio filio præclariſſimum documentum dedit, id ſibi quiſque adoleſcentum maximè, dictum putet:

Diſce puer virtutem ex me, verúmque laborem,
Fortunam ex alijs.

V. (e) Quòd ex lapidibus prodijſſe homines ferantur, admonemur, nonnunquam ex lapideis, feris, & ferreis mortalibus, aliquos manſueſcere, & ad humanitatem redire. Nota eſt hiſtoria Petri cujuſdam telonæ Alexandrini, hominis avariſſimi ac duriſſimi, qui mendicabulo panem petenti, cùm lapidem circumſpiceret, quem proijceret, lapide non invento, panem adjecit; à quo tempore mirè mutatus, atque emollitus eſt, ut totum ſe in pauperes profunderet, etiam veſtibus ſibi ad eos amiciendos detractis. Neque verò humanitas iſta, quæ ab homine appellationem habet, conſiſtit in ſolis, ut vulgus putat, verborum ceremonijs, aut neſcio quibus geſtuum elegantijs; ſed in eo maximè, quòd is, qui ea præditus eſt, nemini nocere, omnibus benefacere ac prodeſſe cupit; communes hominum nævos & infirmitates novit, non odit, & æquo tolerat animo, quoad poteſt, alios conſilio & opera juvat: manſuetè ac mititer agit: affabilis eſt in congreſſibus, facilè alloquitur, leniter non faſtidioſè audit; nec duriter, ſed benignè ac comiter reſpondet; commiſerationem erga alios cum quadam ſuavitate oſtendit. Atque hoc poteſt recta ingeniorum cultura, & bonarum artium doctrina, quæ ad humanitatem expolit animos, & ab inſita torvitate & aſperitate, quod olim in Themiſtocle notatum, ad amabilem quandam comitatem traducit.

(e) *Informatio ad humanitatem.*

VI. Adverte laudem insignem Deucalionis ac Pyrrhæ á pietate ductam, de quibus Poëta:

Non illo melior quisquam nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa reverentior ulla Deorum:

Deinde vocat

Innocuos ambos, cultores Numinis ambos.

Ecce præmium probitatis, & cultus divini, de quo Seneca bene & sapienter epist. 95. Primus est deorum cultus, deos credere: deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire, illos esse qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt &c.

SYMBOLVM XII.

Phaëthon incendiarius.

2. Metam.

Ethicè.

1. Indulgentia vitiosa parentum. 2. Juvenilis ambitio & regimen. 3. Indomitæ cupiditates. 4. Vitia linguæ. 5. Juveniles conatus.

MAgnam hic Juvenis Poëtis occasionem præbuit ingeniosè mentiendi; si tamen, quod sæpius monemus, omnia mendacia sunt, quæ finxerunt illi; multa namque horum commenta originem ab historia, etiam sacra, trahunt. Docet enim Tertull. lib. Apol. c. 47. pleráque philosophorum sententias & poëtarum fabulas ex divinis litteris primitus acceptas, novísque cogitationum assutamentis corruptas esse. Vnde hæc, oro vos (inquit) philosophis & poëtis tam consimilia? non nisi de nostris sacramentis. Quis poëtarum, quis Sophistarum est, qui non omninò de fonte prophetarum potaverit? inde igitur philosophi sitim ingenij sui rigaverunt. Ita planè Græci, cùm legerent historiam lib. 4. Reg. cap. 2. de Helia curru igneo, & equis igneis in cœlum transuecto, ex nominis Heliæ, græcè ἥλιος, vicinitate & occasione condiderunr fabulam solis, Phaëthontis, & Heliadum (Phaëthontis sororum.) Quod ego ne somniare videar, ad testimonium B. Chrysostomum, & qui ex illo transcripsit, Bedam in lib. Reg. q. 28. cito. Ut autem,

tem, inquit Beda, eidem currus & equos tribuant, de miraculo sumptum est Heliæ prophetæ, qui curru igneo, & equis igneis raptus est ad cœlum, Joannes Constantinopolitanus Episcopus æstimat. Quod enim Græcis ἥλιος, dicitur Sol, Heliæ convenit. Audientes Græci ab Israëlitis, quos divinas habere litteras fama prodebat, prædicari, quòd Helias curru igneo, & equis igneis sit ad cœlestia translatus; vel certè hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes; crediderunt, viciniâ decepti nominis, hîc transitum per cœlum esse designatum; & miraculum divinitus factum in argumentum erroris humana stultitia commenta est. Hæc ex Beda Raderus in epig. 44. de vipera electro inclusa. lib. 4. De Mundo aquis punito in præcedenti fabula intelleximus; quod supplicium irrogat Jupiter apud Ovidium

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptáque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa labores.

Ad quos versus Lactantius de ira Dei c. 33. Non abhorret, inquit, à probabili, gentes quiddam de hoc igne in sacratissimis Christianorum libris inaudisse prædictum. Nam de futuro Judicis illius cœlestis adventu loquens David propheta psal. 96. *Ignis* ait, *ante ipsum præcedet.* Et Joël. 2. *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma.* Docuerunt item Stoici, quomodo mundus aquarum eluvio quondam perijsset, sic denuo exustione periturum. Seneca consolat. ad Marciam: Tempus adveniet, quo se mundus revocaturus extinguat, & omni conflagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex dispositio lucet, ardebit. Sed hæc ἐν τῷ παρόδῳ. Ad incendium Phaëthontis revertimur, quo nihil illustrius apud Poëtas, quóque magna terrarum pars combusta est. Huic Phaëthonti fortè *Epaphus*, Jovi ex Jo Inachi fluvij filia genitus, in jurgio objecerat, frustra illum *Sole* patre gloriari: commentum id esse *Clymenæ*, matris adulteræ, cum alio consuescentis. Pudore simul ac ira suffusus Phaëthon Convitio ad genitricem delatô, magis etiam incitatur atrocitate injuriæ, consiliúmque capit *Solis* ipsius adeundi, tam de contumelia expostulandi, quàm legitimi generis haud dubia signa inquirendi causâ. Igitur suscipit iter ætherium, & peragratis varijs cœli regionibus, tandem ad *Solis* regiam pervenit, auro, gemmísque radiantem. In penetralia, atque adeò ad ipsum Phœbi Solium admissus, conspexit Siderum regem admirabili fulgore coruscantem, stipantibus in orbem *Horis, Mensibus*, quaternis anni *Temporibus.*

Tantæ splendore majestatis attonitus pedes, oculósque repressit. Jussus dicere quorsum adesset, suæ stirpis ambiguitatem modestè exponit. Phœbus sepositis tantisper radijs, propiùs mandat accedere, amplexu venientem excipit, filium non modò agnoscit, sed etiam juramentô interpositô, optionem permittit quidlibet petendi. Adolescens non multùm cunctatus, petit sibi fieri potestatem paterni currûs uno die regendi. Ingemuit parens temerariæ petitioni, animóque prospiciens filij casum, cùm jusjurandum retractare non posset, proposita postulati difficultate, periculíque magnitudine, juvenem ab inconsulta optione dimovere conatur. Sed perstat ille, propositúmque premit, nec acquiescit priùs, quàm in paterno curru collocaretur. Victus & filij blanditijs, & juramenti religione Phœbus, imperat *Horis*, ut currum jungant; natúmque salubribus & necessarijs instructum præceptis, quadrigam inscendendi potestatem facit. Vix ille se locavit in vehiculo, & frenos laxavit equis, cùm isti contemptâ regentis imperitiâ, transversum à regia via currum rapiunt, excussóque imperio, hinc inde feruntur indomiti, primóque aëris regionem, deinde montes, mox planiora terræ incendunt:

Cúmque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt: Silvæ cum montibus ardent.

Quis hîc describat infelicis aurigæ pallorem, timorem, consternationem? Excitatis ubique tam atrocibus incendijs, & jam deficientibus cum ipso mari fluminibus, Tellus

Sustulit omniferos collo tenus arida uultus
Oppositque manum fronti, magnóque tremore
Omnia concutiens paulùm subsedit,

Jovíque dolentissimè conquesta est, se pro tot beneficijs in deos hominésque collatis, nunc unjus projecti juvenis temeritate perire. Audijt Jupiter querelas celeritérque correptum fulmen contorquet in temerarium aurigam, momentóque exanimat, & in Eridanum Italiæ fluvium præcipitat, sparsis hinc inde per cœlum equis, & laceri currus fragmentis. Triste fratris funus tam impatienter luxere sorores *Phaëthusa, Lampetie, Merope*, ut ad ejus fluminis ripam in populos arbores, ipsarum verò lacrimæ in electrum conversæ sint. Tantam cladem invexit juvenis claritate stirpis elati Superbia.

Ethica.

Ethica.

I. (a) Quænam hæc præpostera Phœbi in filium indulgentia, quòd sciens, prævidénsque ruinam petentis, concesserit tamen, quod rogabat: imò etiam juratus promiserit, se nihil negaturum postulanti?

----- Quodvis pete munus, & illud
Me tribuente feres.

Incertum, an inconsultior parens in pollicendo, an insipientior & importunior filius in exigendo; hinc illud:

----- Vtinam promissa liceret
Non dare!

Fecit hæc damnosa *Solis* facilitas, ut præsentissimo exitio involveretur filius. Quamvis enim dehortaretur ipsum à pernicioſis postulatis, dicerétque:

Nate cave, dum réſque finit, tua corrige vota:

Iterúmque inculcaret

----- Pœnam, Phaëthon, pro munere poscis;

Nihilominus tamen perstitit in temeraria petitione juvenis; utque blanditijs expugnaret pectus paternum, invasit colla; non ignarus, hoc ariete firmissima quæque percelli; unde pater:

Quid mea colla petis blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita, dabimus (Stygias juravimus undas)

Effigiem hîc habes parentum, qui quò blandiùs, hoc perniciosiùs educant liberos, dum pater genas ad oscula, mater ulnas offert ad amplexus; dum stringunt, dum premunt simij catulos, diligendo suffocant. Notus versiculus:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Neque segnes tantùm, sed pravos, sed miseros, & perditos. Sapienter Paschasius de virtut: & vitijs: Qui severiore educatione poterant fieri probi & mansueti, primò fiunt catellis iracundiores, mox pavonibus tumidiores, lepore meticulosiores, asinis petulantiores, felibus aut lupis rapaciores, gallis contentioſiores. Et inter apophthegmata habetur, puerum quendam apud Platonem educatum, cùm ad patrem ex intervallo redijsset, eúmque vidisset effusiùs ridentem, admiratum dixisse: se tale nihil unquam apud Platonem vidisse. Tanta res est, jam inde à teneris severiori disciplinæ assuevisse. Quod Phœbus Phaëthontem monuit, id sibimet occinere debuisset:

(a) *Nimia patrum indulgentia.*

—— fortiùs utere loris

Hoc est, severiùs age pater cum filio. Sed nimirum nec jusjurandum imprudentissimum infringere; nec filium contristare voluit; cujus rei exemplum Herodes Antipas dedit, qui dimidium regni saltatriculæ filiæ promisit, & ne tristitia Mimam afficeret, caput Sacratissimum Joannis Baptistæ petenti donavit, tam stolidus in pollicendo, quàm crudelis & impius in juramento præstando. Phœbus nimiâ indulgentiâ expertus est illud proverb. 19. *Filius stultus dolor est patris.*

II. (*b*) Exprimit hæc fabula imaginem ambitiosi juvenis illustri Majorum prosapia inflati præsertim Principis, qui gloriæ & regnandi cupiditate incensus cogitat sublimia, & concipit æthera mente. Alciatus emblem. 56. Malè summa regnorum & rerum publicarum imperia conceduntur tam ab ætate, quàm experientia infirmis. Quoties enim hinc incendia bellorum, discordiarum faces, & non unum miseriarum genus. Utque taceam profanas historias, cui non cognitus est è sacris libris *Roboanus* stultissimus sapientissimi Salomonis filius, qui spreto seniorum consiliò, illud quasi inculcantium, quod hîc Ovidius Soli tribuit

Medio tutissimus ibis.

Æqualium feroces secutus impetus, decem tribubus à se abalienatis, maximam regni Israëlitici partem perdidit. Quod parens ejus jam antè prævidens, dixit: *Væ tibi terra, cujus rex puer est.* Eccles. 10. qui nondum per ætatem ut quidam sapientum scribit, cepit experientiam, nec adhuc mens ejus casuum varietate decocta maturuit. Adolescentia, ait S. Ambrosius lib. 1. de Interpell. c. 7. est invalida viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs, atque æstu sanguinis vaporantis igneścens. Accedit Xenophon: sicut, inquit novelli citharædi multas perdunt citharas, sic cupidi juvenes rempublicam sæpe evertunt. Quibus pro lemmate addas: Quacunque incedunt, incendunt.

III. (*c*) Adaptari quoque potest hic Phaëthontis casus cuivis homini ambitioso, per suam & aliorum ruinam ad honores grassanti, cujus rei symbolum pyrausta vel pyralis, animalculum pennatum muscæ simile, quod ignis fulgore vehementer lætatur, & ad lucernas advolans, alludit ad flammam, donec vivus comburatur. Ælian lib. 12. c. 8. Ambitiosi ad honorum fulgorem propiùs accedentes, decussis temeritatis alis, plerúmque gravissimo lapsu corruunt. Abjeti proceram suam staturam

(*b*) *Juvenilis ambitio & regimen.* (*c*) *Indomita cupiditates.*

turam & pulchritudinem intemperantiùs jactanti Rubus:

----- Nunc læta quidem, bona sola fateris,
Et frueris nostris imperiosa malis
Sed cùm pulchra minax succidet membra securis,
Quàm velles spinas tunc habuisse meas.

In eum quoque convenit, qui res arduas, supráque vires positas temerè aggreditur, cum suo & aliorum exitio. Item ad illos pertinet, qui perturbationibus animi abrepti, velut è curru rectæ rationis excidunt. S. Ambros. lib. 3. de Virgin. cor humanum quadrigæ comparans: Sunt, inquit ejus velut quatuor equi, quatuor affectiones: Ira, Cupiditas, Voluptas, Timor. Miserrimè raptatur, quisquis has domare nescit. Scilicet evenit, quod de Phaëthonte Poëta canit:

Exspatiantur equi, nullóque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt: quáque impetus egit,
Hâc sine lege ruunt.

Cornelius à Lapide, in illa verba Ecclesiastici c. 30. v. 8. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus* (Græcè ὠνειμένος, id est, sibi relictus, carens fræno disciplinæ, dissolutus) evadit præceps, adducit hieroglyphicum juventutis, ejúsque effrænis concupiscentiæ & temeritatis. Pingitur, inquit, adolescens equo indomito insidens, à quo in omnes partes raptatur & jactatur. Huic occurrit quidam, quærens quò tam præceps abeat? respondet eques, equum digito demonstrans: *Quo lubet isti.* Nimirum equus effrænis est concupiscentia; eques est juvenis concupiscens, qui à suis libidinibus in varia scelera & pericula abripitur, si roges illum, *quò pergis?* respondebit: *Quò concupiscentia me rapit.* Hæc ille.

M. quoque Tullius de Officijs, accommodari potest ad equos Phaëthontis. Equos, inquit, propter crebras contentiones, præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, ut ijs facilioribus possint uti. Sic homines secundis rebus efferatos, sibi præfidentes, in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, ut perspicaciùs rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ ferre queant.

IV. (*d*) Eleganter Scriptor quidam religiosus Phaëthontis incendium & ruinam transfert ad vitia linguæ. Celeritatem, ait, Linguæ spectas? planè Phaëthon est; cœlum & terram momento brevi pervolat: quà impetus agit, hâc sine lege ruit. Horribilia Linguæ præcipitia intueris? ipsissimus est Phaëthon; seipsam & unà secum plurimos quotidie

(*d*) *Vitia linguæ.*

die præcipitat. In Lingua vim nocendi consideras? rapidissimus ignis, Phaëthon est verissimus. Innumera nocumenta cogitas? Orbem terrarum perdit, vastat, incendit, Orbis est exitium. Nec cœlo parcit, flammas suas & in astra spargit, superos, beatósque Cœlites, Deum ipsum lacessit. Nulla nocendi vi Phaëthonte inferior est. Quinimo terras penetrat, & ipsum quoque Tartarum, ipsos etiam manes ignibus suis involvit. Drexelius de Vitijs Linguæ.

V. Epitaphium quoque Phaëthontis doctrinam suppeditat, quod hoc est:

(e) Hîc situs est Phaëthon currus auriga paterni,
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Vsurpandum in eos, qui grandia conantur, medijs tamen in conatibus deficiunt. Politianus adolescens (ut hoc exempli causâ adducam) Homerum donare latino carmine instituerat. Quo conatu suo, cùm paulò insolentiùs gloriaretur, & eruditorum judicia exquireret, Cardinalis Papiensis jocosè ludens, ei in hæc verba rescripsit: Censeo operam inchoatam non esse deserendam: si enim non assequeris, quod affectas, æqualis tamen tui Phaëthontis laudem invenies, ut idem de suscepto à te Homero, quod de suscepto ab illo curru solari dicatur: *Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.*

(e) *Juvenilis conatus.*

SYMBOLVM XIII.

Argus centoculus sopitus & interfectus.

1. Metam.

Ethicè.

1. Fucata eloquentia. 2. Puellarum custodia. 3. Puellarum levitas, & sera pœnitudo.

INter alia pudenda Jovis facta, quæ cœlicolis ipsum terrigenísque infamem reddiderunt, etiam libido fuit, qua *Ionem*, Inachi fluvij filiam, fœdè deperiit. Flagitium subodorata Juno, Jovis uxor, in graves, ut par erat, iras exarsit. Iupiter pellicem oculis iracundæ conjugis subducturus, eam transformavit in juvencam. Juno tamen suspicata

cata id quod erat, vaccam à Jove ſibi dono dari poſtulavit; quàm cùm accepiſſet, appoſuit ei cuſtodem *Argum*, centum oculis præditum; à quo cùm moleſtiſſimâ cuſtodiâ premeretur, ægrè id ferens Jupiter per Mercurium curavit eum interficiendum. Quod ita contigit:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inde ſuis vicibus capiebant bina quietem:
Cætera ſervabant, atque in ſtatione manebant,
Conſtiterat quocunque loco, ſpectabat ad Jo.

Hunc igitur cuſtodem decepturus Mercurius, talaria pedibus, capite galerum induit, manum impedit virga, paſtorémque habitu ſimulans, ante ſe capellas agit in rura, carménque agreſte modulatur. Argus captus dulcedine cantûs, incognitum Deum invitat ad ſecum conſidendum in umbra. Mercurius quà fabulando, quà canendo jam longè protraxerat diem, & paulatim in ſomnum reclinârat Argum; ſed quia luminibus quibuſdam clauſis, vigilabant alia, non poterat totum conſopire hominem; donec medicatâ virgâ permulſit oculos, eóſque leniſſimo contactu, penitùs occluſit. Senſibus jam omnibus deſtituto, caput enſe falcato demetit. Jacet Argus extinctus; cui honorem ut aliquem ſervaret Juno, oculos exemit, & caudæ pavoninæ inſeruit.

Ethica.

I. (*a*) Relata hæc ad mores fabula docet, neminem adeò oculatum & prudentem eſſe, cui à Mercurio, id eſt, homine verſuto & eloquente imponi nequeat. Mercurius enim olim eloquentiæ & verſutiæ Deus habebatur. Serviebant ei plures ad fallendum Argum technæ. Primò, *ſimulatio*; nam ut dolum tegeret, ſimplicitatem paſtoris præ ſe tulit, & ſimilitudine habitûs ac fortunæ, ſeſe in amicitiam hominis inſinuavit. Deinde adhibuit inſidioſam *facundiam*; huic adjunxit illecebroſos *modulos*: virgam præterea ſoporiferam (ſcilicet caduceum) quæ varios in uſus ſerviebat; de qua Maro Æneid. 4.

----- hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimítque, & lumina morte reſignat,
Illâ fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

Quid enim non poteſt utrámque in partem eloquentia, ſive vera

Eucata eloquentiæ.

& ſincera : ſive fallax & fucata? ſalutem affert alijs, perniciem alijs. Hinc illa regnorum, & rerum publicarum commoda, hinc calamitates. *Orator*, Catone teſte, *eſt vir bonus, dicendi peritus*; qualis non fuit Mercurius, mendaciorum Deus. Hunc imitantur ſive *Cauſidici*, qui cum Tullio gloriantur, ſe Judicibus offudiſſe tenebras : Sive vafri Principum *Legati*, qui Suadam in ore, Fallaciam in pectore geſtant; quorum inſigne caduceus eſt, pacis quidem & amicitiæ Symbolum, ſed idem doloſa ſimul eſt Mercurij virga, ſerpentibus circumvoluta. Hac illi inſtructi quid non efficiunt? etiam vigilantiſſimos oculos faſcinant, & tenebris obducunt. Neque verò ſimul omne lumen auferunt; aliud poſt aliud claudunt, donec præſenti; ſed improviſo exitio malè cautos involvant. Vitâſſet periculum Argus, ſi auribus ſuis imperâſſet; ubi primùm cantu ſe capi ſenſit, & paulatim ſoporem oculis obrepere, debuit inſidias advertere. Atque hic Argus *paſtorem* agebat, quo nomine populorum quoque Rectores appellantur, quos ſæpius prodidit & perdidit Mercurialis hæc tam lingua, quàm fiſtula. Et utinam cum Politica profana, non etiam ſacra everteretur; ſenſit Europa ruinam, quam blanda Hæreſis verborum lenocinijs invexit, primò majora capita obtenebravit, poſtea vulgi oculos excæcavit, ut de Provincia non una cani poſſet illud Poëtæ:

Arge jaces, quódque in tot lumina lumen habebas,
Extinctum eſt, centúmque oculos nox occupat una.

Opus igitur eſt vigilantiâ adversùm fucatas & doloſas blandientium linguas. Incendium ſuum cui debet Troia, niſi compoſitis Sinonis perfidi fraudibus? De quo Æneid. 2.

Talibus inſidijs, perjuríque arte Sinonis
Credita res: captíque dolis, lacrimíſque coactis,
Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Unus homo Phrygiam exoculavit, quia Troianorum nemo vigilabat. Hinc Græci

Invadunt urbem vino, ſomnóque ſepultam

Neque fruſtra Poëtæ in galea Palladis gallum gallinaceum præfixerunt; docere namque volebant, viro ſapienti (qui per Palladem deſignatur) vigilandum eſſe. Euſtathius Iliad. 2. memorat Argum quendam Peloponeſi regem, quod ſapientiâ excelleret, παναόπλην appellatum, hoc eſt, *omnia videntem*, totóque oculatum corpore; quod ſibi dictum putent

tent Principes ac magiſtratus, quibus maxima opus eſt vigilantiâ & circumſpectione. Neque verò inſidiæ tantùm hoſtium, ſed etiam blandimenta adulatorum timenda ſunt illis. Mercurij virga erat auro incruſtata; cujus oculos non perſtringeret? erat pariter ſerpentibus cincta, Martiale teſte, lib. 7.

Aurea cui torto virga dracone viret.

Quis non timeret, & caveret? ubi draco, ibi venenum, ubi aurum, ibi exitium. Hîc fulgor quot excœcat, & ſubvertit! pro ſpeculo cautelæ, ſerviat nimiùm ſecuris, Turni clypeus, de quo Æneid. 7.

At lævem clypeum ſublatis cornibus Jo
Auro inſignibat, jam ſetis obſita, jam bos:
Argumentum ingens, & Cuſtos Virginis Argus.

II. (*b*) Alterum hîc documentum præbetur, Cuſtodia filiarum ſolicita. Mercurius non minùs nequiter, quàm crudeliter Jovis lenonem egit, & puellam ſopito primùm Argo, deinde occiſo ſubduxit. Idem nimis quàm ſæpe incurioſis parentibus accidit, quorum filias malè cuſtoditas ſeducunt, ac corrumpunt laſcivi juvenculi. Juxta Hugonem Cardinalem in Cant. 2. Virginitas eſt lilium inter ſpinas, hoc eſt, inter procos; plerúmque vulneratur. Quare? quia deeſt cuſtodientium oculus. Plutarchus tradit ſtatuam Veneris cum teſtudine ſeu cochlea ſub pedibus, fuiſſe effectam à Phidia, ut nôrint filiæ, domûs ſibi cuſtodiam curæ ac cordi eſſe debere.

Idem Palladis ſimulacro Draconem appoſuit, quem pedibus Dea comprimeret, quò ſignificaret, virgines pervigili cura continendas eſſe. Sanè draco ab acutiſſimo viſu nomen habet, παρὰ τὸ δέρκεσθαι acutè videre. Quò ſpectat etymon nominis παρθένος, quod Grammatici deflectunt à παραθέειν τῇ μητρὶ, quòd virgo apud matrem manere debeat. Monet Siracides c. 42. *Super filiam luxurioſam firma cuſtodiam, ne quando faciat te venire in opprobrium* Et ibidem: *Filia, patris abſcondita eſt vigilia, & ſolicitudo ejus aufert ſomnum.* In quæ verba Cornelius: Filia patri ſuo affert occultam vigiliam; hoc eſt, oportet patrem vigilare in ſtatum & mores filiæ, & perpetem Solicitudinem habere, ne filia à quopiam juvene decipiatur, & in flore juventæ flacceſcat. Nota eſt enim ſexus hujus levitas, infirmitas, inconſtantia. Triti verſiculi:

Quid levius vento? fulmen. Quid fulmine? fama,
Quid fama? mulier. Quid muliere? nihil.

Sunt enim multi Pharaones, Sichemi, Theſei, Parides, Jaſones, plu-

(*b*) *Puellarum cuſtodia.*

plurimique alij, puellaris pulchritudinis & pudicitiæ astutissimi exploratores, dolosissimi insidiatores, violentissimi raptores & corruptores, ut Argo centoculo custode opus sit, ad tutandam contra eos filiarum virginitatem. Hæc Cornelius. Possis usurpare de furibus pudicitiæ, quod de raptoribus coquis Plautus in Aulularia dixit:

Quos (aut quas) si Argus servet, qui totus aculeus fuit,
Quem quondam Inoni Juno custodem addidit,
Is nunquam servet.

Danäen filiam Acrisius Argivorum rex in turri ænea conclusit, & tamen per illa quoque tecta Jupiter libidinosus, in aureum mutatus imbrem, penetravit. De quo Horatius lib. 3. Od. 16.

Inclusam Danäen turris ahenea
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris.
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pavidum Jupiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens
Converso in pretium Deo.

Nempe ut alia omnia, sic etiam pudicitia expugnatur ab auro. Nil pronius in lapsum, quàm insita, quod diximus, huic sexui levitas.

III. (c) Mercurius Argum somno oppressurus sermonem intexuit de puella Syringe in calamos palustres mutata. Quod vir doctus explicans: Pan, inquit, Deus pastorum, Syringem inter Naiades nympham adamavit, quam dum insequitur, illa in arundinem conversa est. Quot inanes ac vacuas arundines, etiam hodie adolescentes insequuntur, dum vagas ac vanas, comptas, cerussatas puellas, arundinum simillimas depereunt. Neque eruditione caret Jûs in bovem conversio; parùm quippe distant juvencula & juvenca. Jo in lascivientem vaccam mutata larvis terrificantibus, toto penè orbe percursato, denique humanam formam recuperavit. Poëta canit:

Horrificámque oculis, animóque objecit Erinnyn

Nimirum Juno pellici. Hæc est pœna peccati; Hæc Erinnys, hoc œstrum, ut Virgilius appellat, est carnificina conscienriæ, quæ reas agit decoctæ pudicitiæ puellas, & non rarò ad ultima desperationis consilia perpellit. Felices, si denique resipiscant, & desertis luxuriæ pratis ac pascuis, sese per salutarem dolorem recomponant in homines, salutis

(c) *Puellarum levitas, & sera pœnitentia.*

latis suæ memores; & petulantes risus ac jocos, quasi salaces mugitus, in pœnitentis animi gemitus ac suspiria convertant.

SYMBOLVM XIV.

Cygnus, rex Ligurum in avem cognominem transit.

2. Metam.

Ethicè.

1. Laus Musicæ. 2. Scelerati non lugendi. 3. Moderandus luctus in funere. 4. Mors bona. 5. Poëtæ cygnis similes.

ERat hic materno genere Phaëthonti proximus, quippe cujus parens fuit soror Clymenes, (de qua suprà) qui cùm consanguinei tristem accepisset ruinam, relicta sede regia, ad Eridanum fluvium se contulit, ibique tam sepulchrum amicissimi capitis, quàm sororum ejus in arbores transformationem conspicatus, cæpit questibus liberiùs indulgere, & interitum propinqui sibi juvenis, monstrosámque puellarum cognatarum transmutationem acerbiùs deflere. Indignè hoc tulerunt superi, quippe quorum voluntate hæc acciderunt, quare immodicè lugentem momento convertunt in *cygnum* avem. Mox igitur homini tenuari vox, capilli migrare in plumas, collum à pectore longiùs porrigi, pedes in digitos latiores extendi, pennæ velare latus, os in rostrum obtusius excrescere. Ille tamen etiam in hac forma memor fulminis, quo Jupiter jracundus Phaëthontem percussérat, superos perosus ignes, nunquam se cœlo, sed paludibus tantùm ac fluminibus credidit.

Ethica.

Variè mores hæc informat fabula. Nam I. (*a*) Laus Musices hinc eruitur; Cygnus enim rex Ligurum arte canendi clarus, cùm decessisset; in avis figura, ab Apolline collocatus est inter astra, in quibus etiam hodie Cygnus illustrem locum obtinet. Vnde discitur, Principes non debere esse expertes optimarum artium, quæ *Liberales* vocantur, etiam Musicæ, cùm animum ad regias virtutes, & ad optimam rerum administratio-

(*a*) *Laus Musica.*

nistrationem ac prudentiam mirabiliter effingant, atque ad rerum vel secundarum, vel adversarum eventus æquo animo perferendos disponant. Musica nos monet, ut sicuti è varietate vocum & fidium, grata & consentiens oritur symphonia, ita omnes animi motus & actiones in dulcem virtutum conveniant harmoniam. Musicus est veluti Neptunus poëticus (quod infrà memorabimus) qui tumida æquora placat, cùm ventus ambitionis, ac furentis iracundiæ sævos attollit fluctus: cùm mœror subsidit, & furit æstus arenis; cùm libido inquietat: cùm aliæ perturbationes violentiùs incitantur, dulci modulamine componit tempestatem; coërcetur libido exultans, atque ruens in animi perniciem gloriæ ardor restringitur, implacabilis iræ vis, & cupido ultionis tranquillatur. Davidis equidem plectrum non furentes tantùm perturbationes, sed ipsum cacodæmonem è Saule ejecit.

II. (*b*) Deinde hîc docetur neque sapiens, neque pium esse, illorum sceleratorum lugere calamitates, qui divino consilio atque providentiâ propter illatas ipsis Dijs injurias, miseriam patiuntur.

III. (*c*) Tertiò brutis fieri similes, qui immodico luctu ex jactura charorum capitum abrepti, motibus animi temperare aliqua saltem ex parte non possunt: neque ferre nituntur æqua mente, quod statutum divinitus, nullâque potest ratione mutari.

IV. (*d*) Quartò *cygnea cantio* adagio fertur, & in eos convenit, qui mortem ipsam lætè, & cum cantu excipiunt: nam cygnus in funere suo suavissimè modulari fertur. Martial. lib. 13.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Et Ovidius:

Sic ubi fata vacant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Cygnum imitantur, qui extremum vitæ actum suaviter claudunt, moriendique necessitatem in virtutem vertunt. Qui, ut Cygni (quod Tullius ait in Quæst. Tuscul.) prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur. Prô Dij immortales, (idem exclamat) quàm illud iter jucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit! *Pretiosa mors Sanctorum*, ait Psaltes regius ps. 115. Nam, ut Bernardus loquitur, mors est finis laborum, consummatio victoriæ, janua vitæ, perfectæ securitatis ingressus. Et serm. 41. ex parvis: Bonorum mors optima, quoniam sit ibi quies à laboribus, sit jucunditas

(*b*) *Sceleratis non lugendi.* (*c*) *Moderandus luctus.* (*d*) *Mors bona.*

cunditas de novitate, & ſecuritas de æternitate. Mors verò peccatorum peſſima; mala in amiſſione mundi, peior in diſſolutione carnis, peſſima in tormentis inferni. Cygneo more canit, qui non neſcit, morte carcerem effringi corporis, ut in libertatem aſſeratur anima; mutari peregrinationem cum patria, & moleſtam navigationem cum exoptato portu; claudi tantiſper oculos, ut meliori mox pateant luci; ſatis diu vixiſſe, quiſquis benè vixerit: metiendam ætatem non annorum ſpatio, ſed virtutum: reddi corpus, ut denuo recipiatur, & quidem cum fœnore. Prudentius in hymno de S. Vincentio:

Non eſt, credite, pœna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citata tranſit,
Nec vitam rapit illa, ſed reformat.

Εὐθανασίαν Auguſtus ſibi Cæſar optâſſe fertur, hoc eſt, mortem facilem; hanc vir bonus conſequitur, qualibuſcunque fatis expellatur è vita; deſinit enim eſſe neceſſitas, cùm accedit voluntas; & fit levius, quidquid à volente fit. Optimo cuíque felicitatis principium, eſt mortalitatis finis, rectúmque ac breve iter ad præmium, *mori*. Ad hanc εὐθανασίαν, ſeu mortis felicitatem ac facilitatem perducimur, ſi hortante Paulo 1. Cor. 7. *utamur hoc mundo, tanquam non utentes*, id eſt, inter malos audeamus eſſe boni, cujus rei Symbolum Cygnus aquis innatans, cum lemmate: *Tangor, non tingor*, nihil ſcilicet ſordium contrahens, lacuſtres inter ac paluſtres undas.

Huc pertinet, quod de Cygnis Pierius in hieroglyphicis meminit, Socrates, inquit, apud Platonem Cygnos tum magis, dulciúſque canere affirmat, cùm ſe brevi præſentiunt morituros; quaſi lætantes Deo gratias agere videantur, quòd ad eum, cujus miniſtri ſunt, migrationem parent. In omni namque volatilium genere nulla eſt avis, quæ vel in eſuritione, vel in rigore, aut alio quopiam incommodo emoduletur, cantillétve, quàm cygnus. Et quia Phœbo ſunt ſacræ hæ volucres, concitatæ lætitiâ & quadam divinatione præditæ, alterius vitæ bona præſagiunt. Hinc M. Tullius in Tuſcul. quæſt. Cygnos ait non ſine cauſa Apollini dedicatos eſſe, ſed quod ab eo divinationem habere videantur: quia prævidentes, quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriantur.

V. (e) Cygni tunc ſuaviùs canere dicuntur cùm flante Favonio quaſi ad cantum invitantur. Convenit hoc Symbolum Poëtis, qui gloriæ ſtudio trahuntur, favoríſque ſunt cupidi;

Nec

(e) *Poëtæ ſunt cygnis ſimiles.*

Nec petitur ſacris niſi tantùm fama Poëtis. Imò etiam aliquid præter famam: nempe nummi. Conqueritur non uno loco Bilbilitanus Olor, raros ſpirare *Cygnis*, ſeu Poëtis, Favonios: lib. 1. Epig.

----- circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

Id eſt, præter laudem, acclamationes, & oſcula nihil noſtra poëſi referimus. Et lib. 10.

Pullo Mæuius alget in cucullo;
Cocco mulio fulget incitatus.

Cucullus pars veſtis à tergo pendentis, quo tegitur caput, vulgò *cappa*, pauperum habitus, ſicut & color paupertinus, hinc pullata paupertas, quæ *Mævium* Poëtam premebat, cùm agaſo, cui nomen *Incitatus*, coccinatus & purpuratus incederet. Favonij ſunt Mecænates, unde ad Flaccum lib. 8.

Sint Mecænates; non deerunt, Flacce, Marones.

Neque myſterio vacat Poëtico, quòd Orpheus, cùm à mulieribus fœdè diſcerptus exceſſiſſet è vita in cygnum migrâſſe dicatur à Platone: quo indicatur, liberalium artium peritos famâ ſuper æthera ferri. Hunc volatum ſibi auguratus eſt Horatius Carm. lib. 2. Od. 20.

Jam jam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Superne, naſcuntúrque leves
Per digitos, humeróſque plumæ.

SYMBOLVM XV.

Python immanis draco, Sagittis Apollinis confixus.

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Python ſymbolum pigritiæ. 2. Stratum Ignaviæ. 3. Labor præceptorum & honos. 4. Cura filiorum.

DIffluente aqua Diluvij, cùm ceſſantibus imbribus, ſuóſque in alveos fluvijs ſe recolligentibus, priſca terræ redderetur facies, patuit

tuit illa quidem sed illuvie squalida, uda paludibus, limo obscœna. Solum humidum ferventissimis *Solis* intepescens radijs, & quasi fermentatum, varia produxit animalia, partim antiquæ atque usitatæ speciei, partim planè nova & incognita; atque inter alia *Pythonem*, immensæ magnitudinis draconem, veneno noxium, & novis terræ incolis specie horrenda formidabilem. Hunc serpentem, è luto vel cœno genitum, cùm is fugaret omnes, Apollo haud procul Parnassi montis radice, plurimis sagittis confixum interemit; qui mortuus contabuit, & in fœdam putredinem diffluxit, unde nomen traxit, nam πύθεσθαι putrescere significat. In grati animi monumentum: reique gestæ memoriam Ludi sunt ab incolis Apollini instituti, qui *Pythij* à Pythone cognominati; in ijs victores esculeâ sunt coronâ donati.

Ethica.

Draconem hunc immanem nihil aliud esse putem, quàm *Ignaviam*, quæ inerti computrescit otio, ingentémque passim stragem, maximè in litteraria juventute edit: nec facilè vincenda, nisi Apollo Musarum Deus suam evacuet pharetram, & densis in bestiam jaculis pugnet. Magistrorum intelligo solertiam ac industriam, qui hortando, increpando, castigando non desistant, donec *Socordiam* ex animis adolescentum expellant atque interimant. Maffeus noster in hist. Indica, lib. 16. hoc monstrum repræsentat per animal, quod Lusitani à reipsa *Pigritiam* appellant. Est illud vulpeculæ magnitudine, rostro fœdo ad aspectum, unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus: cervicem velat coma ex occipitio defluens, lento ventris adipe verrit humum, neque in pedes exurgit unquam; tam lentè denique movetur, ut quindecim ipsis diebus ad lapidis jactum continuo tractu vix prodeat; victitat arborum foliis, & in earum cacuminibus degit plerúmque: quarum in ascensu biduum circiter, tantundem in descensu ponit. Neque verò ad hortationibus aut minis, sed ne plagis quidem, fustibúsve, vel tantillum de insita ignavia ac tarditate illud dimoveas. En typum pigritiæ genuinum.

1. (*a*) Quid enim fœditas rostri denotat, quàm os protervum & impudens, beneque monentibus obmurmurans? quid ungues excrescentes, & infusa cervici coma, quàm illuvies corporis, & impexi, illotique capitis horror? quid ventris adeps humum verrens, quàm voracitas hominum, otio & abdomini natorum? quid tarditas motûs, & incurui

(*a*) *Python Symbolum pigritiæ.*

curui pondus corporis, quàm desidia ad nullum laborem erigenda? quid foliorum depastio, quàm vita sine fructu exacta? quid denique verbera incassum adhibita, quàm obstinata ignavorum vecordia, nullis vel præmiorum vel pœnarum stimulis excitanda? Sapientissimus regum pluribus locis hominem pigrum acriter exagitat, dum Proverb. 9. comparat mancipio pannis obsito, lacero, squalido, manibus compressis dormitanti, quem *Egestas* tanquam miles armatus obsidet. Et Proverb. 26. proponit eum accumbentem mensæ, manum sub axilla prementem, nec ad os applicantem, quòd gravem laborem in eo motu positum esse putet. Item ad labores omnes restitantem & pavitantem, ac dicentem. *Leo est in via, & leæna in itineribus.* Præterea comparat agro tribulis & urticis obsito; nec non ostio in cardine suo stridenti, séque vertenti, quod piger facit affixus lecto; in quo licet volvatur & revolvatur, nihil tamen agit & promovet, stridorémque ac murmur edit, si ad opus faciendum excitetur. Hac de causa hieroglyphici pingunt acediam, quasi anum deformem, malè vestitam, sedentem, capite innixam in manum sinistram, quæ cubito incumbit, genibus, ac dextra tenet funem, sinistra torpedinem seu echeneidem, cum lemmate: *torpet iners.* *Anum*, quia senes sunt segnes; *malè vestitam*, quia *pigritia est nutrix egestatis*, ut ait seneca lib. de benef. *Sedentem*, quia facit desides: *capite devexo* & declivi, quia *per torporem vires & ingenium defluunt*, inquit Isidor. lib. 2. soliloq. Tenet *funem*, quia *ligat* homines, facítque inhabiles ad operandum. Gestat *torpedinem* pisciculum, quia hic remoratur naves, sistítque in medio cursu, unde & *Remora* dicitur.

Sed ad Pythonem, cui nomen, ut diximus, à putredine; hunc Deus arcitenens

Mille gravem telis exhausta pœnè pharetra
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.

Tantæ molis erat hoc monstrum interficere; quo non minùs horrida est *Pigritia*, quæ juxta Mantuanum

Sola sedens, oculósque solo defixa, malignum
Crispa supercilium, pallens, impexa capillos,
Phthiriasin patiens, scalpit caput unguibus uncis:
Os immunda, manus illota, cadente saliva
Barba madet, pluit imbriferis de naribus humor,
Debilis, & longo pendens in pectora dorso,
Fauce tumet, levat angusto sub pectore ventrem

Utris

Utris ad exemplum, morbíque intercutis instar:
Nil nisi terrenis hauſtum de fæcibus unquam
Cogitat, annales veterum, dubiámque futuri
Temporis ignorat ſortem: non ulla latentes
Cernere naturas, rerum causásque tueri
Cura ſubit; ſubjecta oculis vix aſpicit, ægrè
Palpebras levat hærentes: humore tenaci
Lumen habet: ſurdent aures, vox languida, ſermo
Barbarus, obſcuro verba intercluſa palato &c.

II. (*b*) Ubi verò ſtabulatur portentum iſtud? ubi naſcitur & alitur? In putredine, in paluſtri uligine cum Pythone. Transferas huc illud Jobi de *Behemothe* ſeu diabolo loquentis: *Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.* cap. 40. Per calamum intelligit arundinetum, quò latet abdita hæc bellua, quam *Pigritiam* interpretari licet; pigris enim, ignavis, & inertibus meritò pro ſymbolo applicatur arundo, quæ quolibet vento huc illuc agitatur; & quamvis ſupernè ſit criſtata, medullâ tamen intus ac fructu caret. Sic deſides & ſocordes aliquando forma corporis, aut generis nobilitate, aut fortunæ adventitijs bonis, veluti criſtis ſuperbiunt; quia tamen arundinum inſtar inconſtantes ad nullam veram laudem aſpirant, ſunt omnium honeſtarum artium vacui, & in paludibus velut excrementum citò naſcuntur, citò defluunt & pereunt. Et benè addit Jobus: *ſub umbra dormit*; hoc enim pigrorum eſt negotium, *dormire*; *in ſecreto*, nempe inter plumas ſeu calamos.

III. (*c*) Quid igitur facias, ut hunc Pythonem, Ignaviam aio, conficias? Opus eſt jaculis Apollinis, hoc eſt, varijs induſtrij Præceptoris hortatibus, reprehenſionibus, minis, etiam verberibus (nam mitioribus remedijs in obdurata, & deſidiæ veterno oppreſſa capita plerúmque minùs proficitur) donec *ſtultitia, quæ colligata eſt in corde pueri, virgâ diſciplinæ fugetur*, quod monet Sapiens Prov. 22. Quò facit illud Pſalmi 67. *increpa feras arundinis*, hoc eſt, beſtias ignavas, ventres pigros, inter arundineta plumarum jacentes, excita, ſuccute, exprobra, exagita, ſtimula, donec ſe moveant, & frugi fiant. Quô factô, reſtant *Ludi*, ſeu Honores, Pythij, Præceptoribus ac Magiſtris decernendi. In qua re Antoninus Imp. nobile paradigma grati erga Inſtitutores animi propoſuit, dum Magiſtrorum ſuorum imagines aureas domi habere, & eorum ſepulchra floribus conſpergere ſolebat.

(*b*) *Ignavia ſtratum.* (*c*) *Labor præceptoris & honos.*

IV. (*d*) Python draco ſagittis Apollinis trajectus admonet me alterius draconis ſeu ſerpentis, quem Alcon Cretenſis, artis jaculatoriæ peritiſſimus confixit. Sedebat fortè Alcon venator inter denſa dumeta abditus, feris inſidias parans, quarum exitio jam paratum in arcu jaculum tetenderat: nec inde procul filiolus, nomine Phalarus, per herbas effuſus, liberum in umbra captabat ſomnum; quando pater ſeu caſu, ſeu mentis occulta divinatione, converſis illuc oculis, videt nigerrimum draconem geminato volumine circa pueri collum irrepſiſſe. Hîc Alcon inter ſpem & metum hærens: cùm res longiori conſilio tempus non permitteret, ſtatuit filium diſcrimini, etiam majore cum periculo, eripere, nec ſuberat aliud auxilium, quàm quod eminus adferri poſſet: ſcilicet ſerpentem in ipſo gulæ complexu certo ſagittæ jactu conficere, ut non modò puerum non læderet, ſed ne tangeret quidem. Id quod feliciter ſucceſſit.

----- Qui nato, ſerpentis corpore cincto
Plus timuit, dum ſuccurrit: dum jactibus ijſdem
Interitum, vitámve daret; ſtabilémque teneret
Corde tremente, manum; totámque exiret in artem
Spe propiore metus, dans inter membra duorum
Unius mortem.

Qua narratione innvitur. 1. Puerum dormientem à ſerpente invaſum eſſe:

Nimirum juventutis corruptela eſt otium, & à labore ceſſatio facillimè pravitatis venenum in eos diffunditur, qui ſomno & inertiæ ſeſe permittunt. Deinde, parentis eſt attendere, quibus vitijs involvatur puerilis animus, ut præſentem ab eo perniciem ſapienti conſilio avertat. Serpens eſt improbus Socius, qui ſe familiariter imprudentis collo circumligat; ſerpens eſt laſciva puella, quæ molli amplexu natam ad meliora indolem ſtringit. Hîc pater, hîc mater officium ſuum faciat, peſtem à filio aut filia divellat, viperam è ſinu excutiat. Tertiò, quod P. Daniel Bartholus in Geographia Politico-morali inſinuat cap. 25. docetur ea dexteritate evibrandos eſſe reprehenſionis aculeos, ut in *culpam* feratur correptionis mucro, non in hominem *peccantem*. Tam felix ictus non ab arte ſagittaria profectus erat; nec ſanè ille Alconis *Venatoris*, ſed Alconis *patris* fuit. Amor eſſe magiſter debet, qui doceat, quibus telis inſtruenda lingua, qua lege moderanda pœna. Sapiens commonitio tempori adhibita ex fatuo ſapientem facit; importuna & in-

(*d*) *Cura filiorum.*

& intempestiva ex sapiente fatuum. Meminit hujus Alconis Virgilius Eclog. 5. & Manilius lib. 5.

SYMBOLVM XVI.

Iupiter in taurum vertitur.

2. Metam.

Ethicè.

1. Libidinis furor. 2. Corpus decipit animum. 3. Custodia pudicitiæ.

Qualia scelerum monstra pro Dijs colerent antiqui Gentiles, varijs commentis Poëtæ prodiderunt, in sui præsertim Jovis, Numinum supremi, flagitijs describendis non minùs impuri, quàm diserti. Nota est fabula de *Europa* Agenoris Phœnicum regis filia, quam rex ille Deorum flagitiosissimus in speciem bovis transformatus rapuisse, & in Cretam insulam transvexisse fingitur.

Ethica.

I. (*a*) Inest fabulæ turpi doctrina pulchra; ostendere namque Commentores ingenioſi voluêre, quanta vis, æstus, & furor sit libidinis; quæ ubi prævaluit rationi, ad nullum non dedecus atque turpidinem rapit, adeò, ut nonnunquam viri insignes, quasi è rationis humanæ domicilio exierint, non dubitent cum summa dignitatis & existimationis suæ jactura frenos cupiditatibus, brutorum in morem laxare; de quibus Ovidius

Non benè conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas, & amor. Sceptri gravitate relicta,
Ille Pater, Rectórque Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mistúsque juvencis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis,

Hic igitur Jupiter, tantus ac talis, libidinis impotenti dominio superatus, in *taurum*, animal lascivum, furibundum, & in Venerem

(*a*) *Libidinis furor.*

ſummo cum impetu ruens, abijt; prô turpitudo! è Deo factus eſt beſtia, & gramen, ut bos comedit. Huc deijcit impotentis amoris libido, & pudendæ voluptatis, excuſſa ratione, appetentia. Id quod Ægyptij ſuis figmentis docuere, dum *Iovem* capite arietino (etiam taurino) *Mercurium* facie canina, *Pana* totum hircum repræſentârunr. Nempe homo propter indomitas cupiditates *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* pſal. 48. Hoc effrænata laſcivia poteſt; unde regius Vates pſal. 31. hortatur: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Quaſi diceret, nolite abripi fœdis concupiſcentiæ motibus, & ſicut equi ac muli adhinnire ad uxores alienas, quemadmodum ego feci. Id etiam Jeremias Proceribus Hebræis exprobrat cap. 5. *Vnuſquiſque ad uxorem proximi ſui adhinniebat*, id quod Jupiter non habita ratione Numinis ſui, turpiter fecit. Adeò taurinus hic æſtus, an œſtrum dicam? etiam coronata capita inflammat, rapit, dementat.

Neque ſolùm potentibus, ſed etiam ſapientibus erubeſcenda eſt tam bruta, & inſana libido, quæ dicta eſt ab eo, quod *libeat*, ſive honeſtum ſit & conceſſum, ſive turpe & vetitum. Euripides in Hecuba Venerem nominatam cenſet *Aphroditen*, quaſi ἀφροσύνην, id eſt, imprudentiam & inſipientiam, hanc enim, turpium amorum Mater inducit. Vnde meritò fingitur Minerva, Sapientiæ Dea, è cerebro Jovis prognata, non ex abdomine, ubi libido æſtuat.

II. (*b*) Eruditus & pius Scriptor hanc applicat fabulam ad illecebras corporis, quibus anima in perniciem trahitur. Adfero ejus verba. Europa regis Agenoris filia, ut in fabulis eſt, ad littus Tyrij maris in prato nitidiſſimum taurum conſpicata, quamvis primò contingere metueret, tamen ubi mitem & abblandientem, nec minarum quidquam habentem vidit, dempto metu adire, tangere, manu demulcere ſuſtinuit, herbas etiam & flores in pabulum porrigere. Taurus variè alludens, & nunc blandus ſtare, nunc in genua procumbere, modò collum & palearia manu palpanda præbere, modò cornua ſerto impedienda offerre, jam etiam niveum tergum ſubijcere, & velut ad ſeſſionem invitare. Tam humanam pecudem experta virgo regia, auſa eſt etiam, neſcia quem premeret, tergo inſidere. Hîc taurus ſenſim atque fallaciter à ſicco littore abducere, & in primis undis falſa veſtigia ponere, inde ſubito impetu per medium æquor cum inſidente ſibi præda natare, Miſella littus relictum fruſtra reſpicere, & ſerò nimis ſui luſûs audaciam damnare. Veriſſima hæc effigies eſt hominis, carnis blanditijs jam

(*b*) *Corpus decipit animum.*

jam capti. Plato (uti Auguſtinus Cælius refert lib. 59.) Europam filiam, animam, Dei ſponſam interpretatur. Nam ſicut regia illa virgo, etſi patriam humentibus oculis reſpectaret, tamen à tauro, cui nimiùm blandita fuerat, à patria abducebatur: eodem prorſus modo anima, æterni regis filia, maximo ſalutis periculo per medios hujus vitæ vortices, per procelloſum hoc mare, ab indomito tauro, à ſuomet corpore in vitiorum præcipitia abripitur; & licet illa cœlum, ſuam patriam, licet Deum Conditorem ac parentem ſuum ſæpius reſpiciat, tamen à furente hac beſtia longè à patre abducitur. Sed ſibi culpam illa imputet, cur fictæ illius manſuetudini fidem habuit. Sic agit corpus, ubi ſuis nequitijs vires acquirit: ſic abducit miſeram animam, ſic ingemiſcentem abripit per voluptatum fluctus in lachrimabile exitium. P. Hierem. Drexelius in Triſmeg. lib. 3. c. 3. §. 2.

III. (c) Hinc etiam inſtruitur puellarum caſtitas, ut cautiſſimam ſui curam habeat, nec blanditijs juvenum, & inſidioſa familiaritate capi ſe ſinat. Monet S. Hieron. in Epiſtola ad Nepotian. Cave omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, antè devita. Crebra munuſcula & ſudariola, & faſciolas & veſtes ori applicitas: & oblatos ac deguſtatos cibos ſanctus amor non habet. Formulas ibidem amatorias, ac molles compellationes, ut ſuſpectæ familiaritatis indicia, etiam in litteris, execratur. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium: omnes delicias & lepòres, & riſu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdijs erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur. Hæc vir ille ſanctiſſimus; quid dicturus fuiſſet de laſcivis attrectationibus, baſiationibus, amplexationibus, ſaltationibus &c. quibus incauta caſtitas deluditur & deperitur. Præſenti ſe periculo expoſuit Europa. Primò, quòd ſola ſine comite, regis filia, in publicum prodierit: deinde, quòd extra mœnia egreſſa, obambulârit prata. Tertiò, quòd non attenderit, ſub inſuetis tauri blanditijs inſidias latere. Quartò, quòd beſtiæ doloſè ſubmittentis ſe, tergum inſederit. Quid hæc ſignificant aliud, quàm venalem ei pudicitiam puellæ, quæ domeſticos pertæſa lares, vagatur ibi, ubi non mortui, quod Plautus ait, ſed vivi boves incurſant homines.

In hunc locum congruit, quod Spondanus narrat in Annalibus. Apud Carolum Ducem Calabriæ juſtitiæ tenaciſſimum, puella juvenem nobilem accuſavit virginitatis ſibi per vim ereptæ. Vocatur nobilis, negat quidquam per vim actum; jubet nihilominus Carolus puellæ centum aureos

(c) *Cuſtodia pudicitiæ.*

aureos dotis nomine numerari. Abit illa; insequitur jussu Ducis abeuntem juvenis, simulat ei se pecuniam erepturum. Illa solicitior de nummis, quàm de pudicitia reluctando fortiter, eripit se manibus, redit queribunda ad Carolum. Dux feminæ petulantiam increpans, si tantum, inquit, studij in pudore, quàm in pecunia conservanda posuisses, illum nequaquam amissurus fuisses. Hoc ipsum fuerat Europæ occinendum., quæ apud Horatium lib. 3. Od. 27. amisso pudore frustra queritur:

----- Pater ô relictum
Filiæ nomen, pietásque! dixit
Victa furore.
Unde? quò veni? levis una mors est
Virginum culpæ.
Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratæ, lacerare ferro, &
Frangere enitar modò multùm amati
Cornua tauri.
Impudens liquî patrios penates,
Impudens Orcum moror. ô Deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones.
Quid mori cessas? potes ab hac orno
Pendula Zonâ bene te secuta
Lædere collum.
Sive te rupes, & acuta letho
Saxa delectant: age, te procellæ
Crede veloci &c.

Sed nimirùm seri sunt post facinus gemitus, seri dolores, semel elapsum non reducturi pudorem. Gravius S. Cyprianus: Dum ornari cultiùs, dum liberiùs vagari virgines volunt, virgines esse desinunt, viduæ antè, quàm nuptæ.

SYM-

SYMBOLVM XVII.

E seminatis draconis dentibus nascuntur milites.

3. Metam.

Ethicè.

1. Bos laboris Symbolum. 2. Semina belli. 3. Quale conjugium sit felix.

CAdmus à parente Agenore, rege Tyri ac Sidonis, quod memoravimus, missus ad perquirendam sororem suam *Europam*, quam Jupiter in taurum mutatus, abstulerat in insulam Cretam; eam cùm longa inquisitione indagare non potuisset frater, nec ad patrem iracundum sine sorore redire sustineret, non procul à Parnasso monte consedit; ibíque Appollinis oracula hausit, urbem id loci condendam, terrámque *Bœotiam* vocandam, (Aonia priùs dicebatur) ubi bos itineris dux in herba requiesset.

Dum longiùs puellam inquirendo progrediuntur, fortè Cadmum ac Socios viæ aqua defecerat; quare mittit quosdam ex illis, petitum undam è fonte proximo. In haurienda aqua occupatis, ecce tibi, horrendus draco deserti illius loci incola, ex improviso apparet, paventes subitò invadit, & ad unum omnes perimit. Cadmus comitum suorum reditum nequicquam præstolatus, cùm nulli comparerent, ad pervestigandos viros abijt. Quorum dum vestigia legit, videt immanem serpentem; in quem frustra missilibus conjectis, statuit cominus cum eo congredi. In virtutem cessit audacia; adacta per cervicem belluæ hasta, portentum interemit. Victoriæ lætitiam detrivit dolor ex amissione sociorum conceptus; quid jam ageret, fidæ manus præsidio destitutus, quam urbem in regione peregrina solus & ignotus ædificaret? Hærentem in dubio, Pallas (virorum fortium & bellicosorum fautrix) insperatò delapsa per auras monet, exemptos ut draconis dentes, ceu semina, spargat humi. Facit, quod erat jussus Cadmus, dentes è rictu virulento excutit, osseam sementem jacit, & inarat terræ. Quid mirius? repentè seges apparet virorum, hastis & clypeis armatorum, belli simulacra cientium. Cadmus terrore completus, ubi vidit vim parari, unus adversùm multos decertare constituit. Nec mora; quos ut hostes timebat,

bat, conſpicit mutuis in ſe cædibus coortos, ad unum omnes concidere, exceptis duntaxat quinque, quorum adminiculo, Thebas urbem eo ipſo in loco condidit, & regionem Bæotiam vocavit. Rebus tam præclarè geſtis, præmium meruit, ab ipſo Jove dandum. Et hoc non aliud fuit, quàm *Harmonia*; Martis & Veneris filia, virgo lectiſſima. Dona nuptialia à Dijs omnibus contributa. Ceres frumentum eſt largita, Mercurius lyram donavit, Vulcanus pretioſum monile, Pallas artis raræ flammeum: Cybele cymbala & tympana contulit: Apollo & Muſæ hymenæum cecinerunt.

Ethica.

Prima inſtructio.

I. (*a*) Cadmus bove duce ad Parnaſſum Muſarum montem, & Caſtalij fontis antrum devenit. Laborioſum bos animal docet eruditionem ſudore ac labore comparandam. Veteres ut Symbolum laboris exprimerent, bovis caput pingebant aut ſculpebant, Pierio teſte. Et verò inter ornamenta ſculpturæ etiam hodie videntur capita bovina, lemniſcis, floribus & coronis redimita: ut indicetur, honores eſſe fructum laboris. Equi celeritate, boves viribus & aſſiduitate pollent, denotántque laborioſam conſtantiam, non deſultoriam curioſitatem; fortiùs figunt pedem, & nervoſiùs ſulcant terram arando; hinc radices profundiùs actæ & copioſiùs inde ſurgentes fruges proveniunt Nec temere bos eſt Apollini ſacer, juxta illud Maronis:

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Nam ſi omnia alia labore conſtant, quanto magis ingenuæ artes conatum requirunt indefeſſum & pervigiles curas. Cadmus quærendo ſororem Europam, habuit Apollinem auſpicem itineris, ducem bovem. Quiſquis ſapientiam, quam regum intelligentiſſimus Sap. 8. *quæſivit ſibi Sponſam aſſumere*, & alibi ſororem vocavit, virginem utique lectiſſimam inquirit, is meminerit Apollinem, hoc eſt, viros doctos ſibi conſulendos de via: Ductorem verò ac comitem adhibendum bovem, id eſt, laborem. Neque eſt, quod lentitudinem hujus animantis incuſes; ſat citò progredieris, ſi ſat benè. Amor ipſe diſcendi ſi cum labore jungetur, *addet alas*, & bovem, qui D. Lucæ, liberalium artium Patrono, conſecratus eſt, pennatum reddet, & expeditiorem Pegaſô.

II. (*b*) Altera inſtructio, Væſana bellandi cupido eſt compeſcenda. Viri galeati è dentibus ſeminatis exorti, ſunt *Bella*, quæ concitantur Procerum ſævis & ambitioſis conſilijs, ac linguis vipereo veneno plenis.

(*a*) *Bos laboris Symbolum.* (*b*) *Semina belli.*

nis. Paucorum divitiæ, cunctorum faciunt inopiam: & de provinciarum lacrimis, funesta improborum gaudia saginantur. Istorum ambitio, populorum sanguine, urbium excidio, provinciarum vastirate saturatur. Quas parari classes, quæ arma moveri, quas urbes exscindi, quas gentes obrui oporteat, horùm sententijs agitur. Hi de fortunis & sanguine hominum decernunt, ut amplitudini suæ serviant; & privato odio res publicas gerunt, fortunæ suæ miserorum exitio litantes. Libido dominandi nunquam non causas bellorum habet; & ut habeat, occasiones seminat. Meritò Sallustius: *Vna, & ea vetus causa est bellandi, profunda cupido imperij, & divitiarum;* nempe *ambitio* & *avaritia.* Hæc est bellorum sementis, hæc milites velut malas herbas producit, sed non rarò in autoris calamitates, & intestinas clades erupturos. Non uno in loco S. Historia narrat, Israëlitarum hostes mutuis in semetipsos cædibus sævijsse. Judic. 7. Madianitæ ad militarem Hebræorum clamorem, ductore Gedeone, mutua se cæde truncabant. 1. Reg. 14. Philisthæorum *versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum.* 2. Paral. 20. Ammonitæ & Moabitæ ad preces religiosissimi Josaphati, *in semetipsos, mutuis occidêre vulneribus.* Hic fructus ex Cadmæa segete surgit.

III. (c) Tertia instructio. Cadmus in uxorem duxit *Harmoniam* seu *Concordiam* in concentu, Dijs, hominibúsque plaudentibus. O felix conjugium, in quo concors morum similitudo jungit amantes! Hac harmoniâ nihil est jucundius, nihil suavius. Huc quadrat illud Proverb. cap. 19. v. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens.* Septuaginta Interpretes vertunt: *Domum & substantiam dividunt patres pueris, à Domino autem aptatur mulier viro.* Græcè pro *aptatur*, habetur ἁρμόζεται, ab ἁρμόζω quod idem est, ac *congruo, adapto, quadro, compono, conglutino, tempero;* & maximè spectat ad Musicos, qui voces diversas, graves, acutas, medias inter se contemperant, ut suavem concentum & harmoniam efficiant. Hanc inter maritum & uxorem solus Deus efficere potest, qui solus novit & pervidet affectiones ac conditiones conjugum; unde nuptijs Cadmi & Harmoniæ finguntur ipsi Dij interfuisse, suáque dona contribuisse. Et verò non omnis uxor, etiam bona, cuilibet viro est congrua, v. g. tristis non est commoda læto, nec pauper diviti, nec plebeia Principi, nec liberalis tenaci, nec lenis austero, & ita de cæteris. Hæc harmonia si absit, quæ potest esse voluptas, quæ felicitas in connubio, ubi quod vult maritus, non vult uxor: quod ille amat, hæc odit;

(c) *Quodnam connubium sit felix.*

cùm ille lætatur, hæc triſtatur. Et, ut in re muſica perſiſtam, cùm ille vult fides contendi, hæc remitti poſtulat: ille ſubmiſſiùs tangi, hæc concitatiùs pulſari: ille carptim pecti, hæc pleno ſtrepitu verberari; ille cantum ſuſpendit, hæc tinnire nunquam deſinit. Quare ut in citharis, lyris, organis non ſatis eſt, ut chordæ, fiſtulæve gratum reddant ſonum, ſed opus inſuper eſt, ut contemperato inter ſe modulatu reſpondeant; ſic in ſocietate conjugali non ſufficit vel maritum ſibi, vel uxorem ſibi eſſe bonam, ſed ad dulcem concentum efficiendum requiritur conſenſio & concordia affectuum, velut fidium. Præclarè S. Ambroſius lib. 3. epiſt. 25. ad Eccleſ. Vercell. *Mulier*, inquit, *viro deferat, non ſerviat: regendam ſe præbeat, non coërcendam; Indigna eſt conjugio, quæ digna eſt jurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam conſortem vitæ honoret.* Sed quid hoc, quid Cadmus & Harmonia juxta votum ſuum in ſerpentes verſi, ſeſe mutuò lambendo in Elyſios campos beneficio Jovis irrepſerint? Ovid. lib. 4. Metam. Mythologus lib. 9. cap. 14. Nimirum, qui in vita conjunctiſſimi vixerant, etiam morituri, & in terram juturi, quod per ſerpentes humi repentes denotatur, noluerunt divelli, meritique ſunt ob raram concordiam Beatorum ſedibus admitti. Vide ſymb. 97. de caduceo Mercurij.

SYMBOLVM XVIII.

Actæon in cervum migrat.

3. Metam.

Ethicè.

1. Venationis damna. 2. Paraſiti & aſſentatores. 3. Ingratus animus. 4. Concitatores factionum. 5. Cura pudicitiæ.

FUit Actæon filius Ariſtæi herois, & Autonoës, Cadmi filiæ. Hic cùm venationis ſtudio ſupra modum deditus eſſet, & imprimis circa loca Garaphiæ vallis, & Megaris, Platæiſque urbibus vicina, feras numeroſa canum ſequelâ inſectaretur, accidit fortè, ut ſole æſtuans, ſudore madens, venatione laſſus vicinum fontem peteret, ibíque Dianam, perpetuæ virginitatis cuſtodem, cum Nymphis lavantem conſpiceret.

Senſit

Senſit Dea, ſe viro viſam, quod haud temerè ulli mortalium contigerat Nymphis pudore diffugientibus, ingenti excanduit ira; móxque reperto vindictæ conſiliô Actæonem mutavit in cervum; primi omnium in dominum ſuum ſtrinxerunt arma canes, quos tam ſtudiosè aluerat, & miſerum dentibus dilaniârunt, nequicquam exclamantem:

Actæon ego ſum, dominum cognoſcite veſtrum.

Ethica.

Hæc una eſt è notiſſimis & decantatiſſimis fabulis, & doctrinarum ad mores formandos prægnans.

1. (*a*) Prima detorquetur in Venatores, veros Actæonis filios. Etſi enim oblectationis hoc genus minimè abſurdum, miniméque illiberale eſt, modum tamen adhibendum, ut in omnibus, ſuadet antiquitas, ne in canes, ſervos, inſtrumenta venatoria (quod eſt aureo piſcati homo) patrius cenſus damnoſa prodigalitate profundatur; cùm apud mediocres homines nunquam tantũ emolumenti adferat venatio, quantum rei familiaris (ut pretioſiſſimi temporis jacturam taceam) conciliatur detrimenti. Haudquaquam igitur abſurdum erit dicere, eos, quorum facultates canibus, equis, venatorijs ſervis alendis, exhauſtæ ſunt, à proprijs canibus devoratos eſſe. Perſtringit hos recentior Lyricus, P. Jacobus Balde lib. 1. Silvar.

Iſta tamen magno, niſi fallimur, orgia conſtant
Oblita quo pretio,
Quantum metalli prodigunt?
Argentum ferro, plumbo conſumitur aurum,
Hæc Diomedis erat
Glaucíque permutatio.
Quantula res, cunctis animalia cernere nota,
Ut jaculante manu
Confixa, cervi palpitent?
Tantum oculo debes, ut tota paſcere ſilva
Sumptibus immodicis
Cogaris hunc Apicium?
Heu cave, ne renoves clamantem Actæona fruſtra:
Fabula nobilior
Cadmi futurus filio.

II. (*b*) Non minùs aptè ad paraſitos, Actæonis canes transferuntur,

(*a*) *Venationis damna.* (*b*) *Paraſiti & aſſentatores.*

runtur, damnosum genus hominum; qui eorum, quos adulando consectantur, bona abliguriendo, nutricios comesse suos, jam olim à Plauto dicti sunt. In hos non obscurè quadrabit dictum τρέφε κύνας, ὡς τε φάγωντι: nutri canes, ut te devorent. Et adagiô *blandiri cauda* dicuntur, qui specie commodi cuipiam adulantur, quod canes faciunt, qui caudâ alludentes cùm cœnam observant; te spectante aliò, devorant edulia, quod Aristophanes meminit. Hujusmodi canes venaticos Verres habebat *Tlepolemum & Hieronem*, Cicerone teste, qui odorabantur & perveſtigabant omnia. Si quod erat grande vas, & majus opus inventum, læti auferebant; si minus ejusmodi quippiam venari potuerant: illa quidem certè pro lepusculis capiebantur, patellæ, pateræ, thuribula. Et Pierius lib. 5. adulatorem blandiloquum, & mordacem simul scurram per *Canis* hieraglyphicum ostendit, quorum

Alter in obsequium plus æquo pronus, & alter
Quælibet in quævis opprobria fingere sævus.

Diogenes interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta *Canis* nomen vulgò sortitus esset: Quia inquit, dantibus blandior: non dantibus oblatro; malos etiam mordeo. Hoc agunt assentatores, qui lingua lambunt, cauda blandiuntur, ut emendicent escam, *amici ollares*, de quibus illud Græcum: ζεῖ χύτρα, ζεῖ φιλία: *fervet olla, vivit amicitia.* Hòc illi quidem sunt pernicioſiores, quò blandiores. De quibus Salomon Proverb. 29. *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.* Nam dum laudat non laudanda, facit ut alter superbiat, & sese stultè efferat, sibique cornua, velut Actæon, sumat. Confirmat Plutarchus tract. de differentia adulatoris, & amici. Adulator, inquit, trahit, & in laqueum injicit laudando; nec feram moratur, sed ipsum indagine cingit, & plagis implicat venatorem. Et Seneca nat. quæst. lib. 4. in præfat. Nec adulatoribus latus præbeas, artifices enim sunt ad capiendum; *Mihi crede irretieris, si proditioni eorum te tradas.* Atque hi maximè cavendi sunt Principibus, qui tot assentatoribus & parasitis ambiuntur, ut possint usurpare illud psalmi. 23. *Circumdederunt me canes multi*, quod Actæoni accidit. Eloquenter de illis Alanus in planctu naturæ: Hi sunt, inquit, Principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis: hi sunt, qui magniloquâ commendationis tubâ in divitum auribus insonant: qui ut emungant munera, caput potentis oleo adulationis inungunt: & eos, quibus placent, primùm mente, postea fortunis evertunt. De hisce canibus

bus argutè Philosophus Cynicus, ex quo cùm nonnemo aulicæ, liberæque vitæ ac linguæ homo rogaret, *quæ bellua morderet maxime?* ille responsionem retorsit in quærentem: *ex feris*, inquit, *obtrectator, ex mitibus adulator*, Laërt.

III. (*c*) Præterea refertur hæc fabula ad hominum ingratorum mores repræsentandos, qui omni beneficiorum memoriâ ex animis deletâ leviter impelli possunt, ut vel nutricios & eximios benefactores suos convitijs, noxis atque maleficijs mordicus appetant, non dissimiles Actæonis canibus, qui in herum suum invaserunt. Impium sanè genus hominum, qui pro bonis reddunt mala; cùm legamus & leones & dracones altoribus suis gratiam officij retulisse. Ciceronis dictum est: Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio, non dicam, indignus, sed victus esse videare. Juxta Senecam ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratus, qui oblitus est: ingratissimus & teterrimus, qui beneficijs maleficia rependit. Huc convenit lemma: *Quos pavit, pavet.*

IV. (*d*) Illos quoque notat hoc Actæonis schema, qui in Republica sibi per factiones potentiam quærunt, stipati seditiosorum civium, latronum & gladiatorum manu, quos illi ceu globos prædatorios, ut Actæon canes, longo post se trahunt agmine, quibus salutem & incolumitatem suam propè solis credunt; quos tectô, familiâ, mensâ recipiunt, secretorum & consiliorum suorum participes, à quibus flante adversæ fortunæ vento, tandem turpiter produntur, vel etiam jugulantur. De his Alciatus emblem. 25.

Latronum, furúmque manus tibi, Scæva, per urbem
It comes, & diris cincta cohors gladijs.
Atque ita te mentis generosum, prodige, censes,
Quos tua complures allicit olla malos.
En novus Actæon, qui postquam cornua sumpsit,
In prædam canibus se dedit ipse suis.

V. (*e*) Curiositatem insuper, præsertim oculorum, Actæonis pœna dedocet; qui quòd incautior aspexerit sine veste Dianam, mox enatis cornibus in cervum, timidum & effeminatum animal abijt. Contingit hoc ijs, qui lascivis oculis permittunt frenos. Quod de naphta, sulphureo bitumine Plinius scribit, ei magnam esse cognationem ignium, qui protinus in ipsam undequaque visam transiliant; hoc quoque de ardentibus

(*c*) *Ingratus animus.* (*d*) *Concitatores factionum.* (*e*) *Curiositas oculorum.*

dentibus oculorum tædis, & igne concupiscentiæ licet affirmare. Tertullianus lib. de cultu fem. ait: *Decor, naturâ suâ, libidinis est invitator.* Plotinus Philosophus ἔρωτα ἀπὸ τῆς ὁράσεως, *amorem ab aspectu seu visu deductum putat;* nam plerúmque ex eo nascitur. Hoc confirmat Græcorum parœmia: ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν: *ex videre fit amare.* Idipsum Propertius:

Si nescis, oculi sunt in amore duces,

Et alibi:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

Ita sanè est. Habet enim animus has duas fenestras, quibus ignem admittit, quo ardet & furit. Sensit hoc Damon pastor ille Maronianus, qui hausta per oculos amoris tyrannide, queribundus exclamat:

Ut vidi, ut perij, ut me malus abstulit error! Eclog. 8.

Quod arripuit Ovidius in Medea Jasonis aspectu æstuante.

Ut vidi, ut perij, nec notis ignibus arsi.

Experti sunt hoc innumeri in sacra, profanáque historia, quibus occini poterat illud Georg. 3.

----- urítque videndo
Femina.

Ita, quod Appianus refert, Cleopatra ussit Antonium, quem εὐθὺς ἐφθείσα statim visa in amorem impulit. Ita Judith Holofernem stravit. De Alexandro M. Plutarchus narrat, eum, cùm Persis subactis intueretur captivas, formâ, corporisque dignitate excellentes, dixisse, ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ περσίδες: *quanti oculorum cruciatus sunt hæ Persides.* Tertullianus severissimus castimoniæ doctor lib. de veland. virg. In vicem, ait, se eadem oculorum genera desiderant; ejusdem enim libidinis est videri & videre; tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit. Et meritò; nam teste S. Gregorio 21. moral. c. 2. Intueri non licet, quod non licet concupiscere. Actæon, quia oculis non imperavit, hominem exuit, bestiam induit, à tot malæ mentis libidinibus, quot canibus, discerptus.

V. (e) Pudicitiæ cura à Diana discenda est, quæ gravissimè tulit, se ab Actæone nudam fuisse conspectam. Hac verecunda ingenuitate etiam gentiles feminæ excelluerunt. Milesiæ certè virgines ne violentas sibi manus inferre pergerent, deterritæ sunt pudore cadaverum, vestibus exutorum. Ingenuis mentibus etiam post fata, diémque ultimum suus

(e) *cura pudicitiæ.*

est

est castimoniæ amor. Unde Polyxena regia virgo dum interficeretur, magnam adhibuisse cautelam ut honestè caderet, ab Homero traditur. Et de Lucretia moriente Ovidius lib. 2. fast.

Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honestè,
Respicit: hæc etiam cura cadentis erat.

Vivit, æternúmque vivet in hominum memoria, Eleonora Emmanuelis Sosæ tristissimô naufragiô celebratissimi, conjux, quæ à barbaris piratis capta, & vestibus spoliata, sese arenis tumulavit; quidquid verò supernè corporis extabat, solutis sparsísque crinibus obvelavit, maluítque vitam priùs exuere, quàm verecundiam. Maff. lib. 16. hist. Indic. Contrà quàm faciunt multæ hujus ætatis feminæ, quibus pectoris, brachiorum, colli nuditas inter ornamenta puchritudinis habetur, cùm potiùs sint prostitutæ libidinis invitamenta. De quibus Clemens Alex. lib. 3. pædag. c. 11. Nullam partem feminæ nudari decorum est: neque enim honestum est, corporis pulchritudinem esse hominum aucupium. Et S. Hieronymus ad Demetriadem virg. Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse puchram, quæ negligit formæ bonum: & procedens ad publicum non pectus, nec colla denudat, nec pallio (aut pectorali) revoluto cervicem aperit; sed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. Et epistola 47. Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, celat festina, quod volens desiderat.

Castitas & pudicitia ubique vigilat; etiam cùm sola est, timet insidias; neque rarò contigit, ut inter lavandum quoque sordidaretur. Exemplum est Diana virginibus, quo studio sit propugnandus pudor. De ea Poëta:

----- ut vellet, promptas habuisse sagittas!
Quas habuit, sic hausit aquas, vultúmque virilem
Perfudit, sparsítque cõmas ultricibus undis.

Sic sic est agendum, cùm laborat integritas. Generosus furor arma ministret: tela sint ungues, dentes, lingua, clamor, quibus procantium vis arceatur. Audiatur vox illa: *Malo mori, quam fœdari*, quod à muris Armenij intaminata munditia desumptum est, qui sordes adeò aversatur, ut si ostium caveæ limo illinatur, citiùs mortem perpessurus sit, quàm se fœdari patiatur. Pier. lib. 13. hierogl. ex Æliano & Plinio. Atque hæc Dianæ severitas in tuenda virginitate meritis est laudibus prosequenda; quam etiam Tiresias vates sensit, qui in venatu sitiens, cùm

ad fontem bibiturus accessisset, imprudens in eo lavantem Minervam conspexit, & aspectum incautum cæcitate luit.

SYMBOLVM XIX.

Narcissus & Hyacinthus pueri in flores vertuntur.

3. Metam.

Ethicè.

1. Amor sui. 2. Vanitas formæ. 3. Cognitio sui. 4. Amoris inhonesti finis. 5. Ornamenta pueritiæ.

NArcissum præstanti forma adolescentem fuisse, & cum semet in fonte limpido (naturali speculo) intueretur, admiratione & amore suæ pulchritudinis captum, expleri tuendo nequijsse, adeóque contabuisse, & in florem sui nominis abijsse, gens Poetarum fabulatur. Figmentum ita se habet.

Cephisi amnis & *Liriopes* Nymphæ filius fuit, puer omnium sui temporis longè formosissimus. De hujus futura fortuna cùm mater *Tiresiam*, vaticinijs per Bæotiam clarum, consuluisset, respondit senex fatidicus: *ad maturam senectutem perventurum, si se ipsum non novisset.* Cujus quamvis ambigui dicti veritatem, eventu certo comprobatam docent sequentia. Adolescentiam jam ingressus Narcissus, cum ipsas etiam Nymphas amore sui captas teneret, neque tamen ullius desiderijs se permitteret, denique seipsum nimiùm amando perdidit. Fortè lassus à venatione ad amœnissimum quendam fontem, loco umbroso & gelido scaturientem accessit inclinatúsque ad undas crystallino vitro perlucidas, ut sitim hausto liquore restringeret, aliam sibi accendit, nullis aquarum scatebris sedandam. Contemplatus enim suiipsius in undis quiescentibus formam, efflictim amare cœpit, quod vidit. Quis referat, quibus æstibus jactaretur infelix adolescens? quoties mirabatur seipsum, séque pariter accendebat, & à se ardebat! quoties irrita fonti libavit oscula! quoties umbram ipse suam vanis captabat brachijs! à fontano frigore crevit amoris flamma; nec potuit avelli ab illo, quem videbat & deperibat; qui discederet utique, si posset ipse Narcissus recedere! quoties tentavit amplexibus stringere, quem amabat; & tamen amatus

tus refugiebat. Mirus lusus imaginantis & imaginis. Quoties ridenti corrisit alter, & lacrimanti falsò, veras miscuit lacrimas? Denique cùm impatientia amoris excluderet cibum, potúmque, assiduas inter potiendi, raptíque voti querelas & planctus, lenta consumptus tabe adolescens, in florem purpureum, vel (ut vult Ovidius) croceum, candidis distinctum foliis, narcissum scilicet, Narcissus mutatus est.

Ethica.

I. (*a*) φιλαυτίαν seu *amorem sui* habes in hac imagine expressum, de quo Horatius lib. 1. Od. 18.

----- Subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem

Nimirum existimatio & admiratio suiipsius caput altiùs, quàm par est, attollit, sibíque supra verum indulget, & animos inflat, præsertim si adulantium & laudantium flabellum accedat. De qua re Seneca epist. 59. Citò, ait, nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos: agnoscimus, nec tumus modica laudatione contenti. Quidquid adulatio in nos sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus assentimur, cùm sciamus illos sæpe mentiri. Et Plutarchus, amor, inquit, proprius facit, ut quisque suiipsius assentator cùm sit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult sibi accedere testem, adstipulatorémque. De his Plautus in Mil. Glor.

Mihi ego video: mihi ego sapio: mihi ego credo plurimùm.

Laborant hoc maximè vitio adolescentes, feminæque, quæ sibi formosiores cæteris videntur, unde Poëta:

Fastus inest pulchris, sequitúrque superbia formam.

Quare se ipsum Narcissus ita deperierit, in causa fuit venusta facies ex undis reddita. Describit eam Ovidius:

Ac stupet ipse sibi, vultúque immotus eodem
Hæret, ut è Pario formatum marmore signum.
Spectat humi positus, geminum sua lumina sidus,
Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,
Impubésque genas, & eburnea colla, decúsque
Oris, & in niveo mixtum candore ruborem.

II. (*b*) Sed notanda Poëtæ verba, quibus vanitatem formæ, & admirationis suiipsius perstringit: Spem

(*a*) *Amor sui.* (*b*) *Vanitas formæ.*

Spem sine corpore amat, corpus putat esse, quod umbra est.

Quid fugacius umbrâ? quid labilius formâ? *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Job. 14. Id quod nomine ipso Narcissi denotatur, qui dicitur ἀπὸ τῆ ναρκᾶν, quòd marcescat citò. Pergit Vates Pelignus:

Quid videat, nescit; sed quod videt, uritur illo:
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.

Verissimè *nesciunt, quid videant*, quicunque aspectæ pulchritudinis amore capti, cæcas alunt in pectore faces, stygios aliquando rogos accensuras. *Error est*, qui decipit incautos oculos, fucus, larva, gypsus. Tritô versiculô:

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

Prosequitur Ovidius:

Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam: quod amas, (avertere) perdes.

Fugacissimum simulacrum forma est; perditur, dum amatur; propterea *flori* comparatur in quem conversus est Narcissus. Eleganter Tiraquellus lib. 2. connub. n. 19. Forma res caduca, evanida, fugax, decidua, velox, fluxa, rapida, eodem penè momento virescens & arescens; non secus ac flosculi, quorum vita dialis, qui matutino tempore pulcherrimi, ante vesperum evanescunt, magna (ut scribit Plin. lib. 21. c. 1. hominum admonitione, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere. Et Galeni dictum est: Qui formosus est, tantisper est, dum videtur. Propterea sapientissimus in Proverbijs cap. ult. *Fallax est gratia, & vana est pulchritudo.* Virgilius, vel quisquis est autor in carmine de Rosa, sic canit:

Collige, virgo, rosas, dum flos novus, & nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Et Ovidius lib. 2. de arte:

Forma bonum fragile est, quantúmque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ.

Socrates apud Laërtium in vita Aristotelis, formam appellat ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα, exigui temporis tyrannidem. Egregiè S. Hieron. epist. 139. in explicat. psal. 89. Species, ait, hominum fragilis, vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris, & repentè, dum

dum neſcit, incaneſcit caput, rugatur facies, cutis extenta contrahitur & exareſcit.

III. (c) Atque hæc de vanitate melioris formæ. Nunc quiſquis es, Narciſſule, exemplo ductus cognomine, *philautiam* cave; quamvis tibi blandum illud occinat Corydon aliquis:

Huc ades, ô formoſe puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Naïs
Pallentes violas, & ſumma papavera carpens
Narciſſum, & florem jungit benè olentis anethi.

Inſidioſum & multorum exitio periculoſum eſt carmen. Potiùs ex eodem Poëta audias:

O formoſe puer, nimiùm ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Naïs & Thaïs vicina ſunt nomina; flores ferunt, & auferunt. Tireſias monet:

Tempora maturæ viſurus longa ſenectæ
Fatidicus vates, ſi ſe non noverit, inquit.

Hæc ille Narciſſo. At tu, ſi me auſcultas, fac, *teipſum noveris*. Accipe ænigma: *cùm te benè noveris, minimè te noveris*, diſces enim,

----- quàm totus homuncio nil ſit.

Diſces, in deformi corpore, pulchrum latere ingenium, & hebes in formoſo. Ovid. epiſt. 15.

----- ingenio formæ damna rependo meæ.

Neque rarò videmus comptulos Narciſſulos, eſſe cerebro vacuos, & quod in adagijs eſt, *piſtillô retuſiores*. Euripides ait:

Animus ſpectandus eſt: nihil pulchritudo
Juvat, cùm quis mentem non bonam habet.

Et Senecca epiſt. 66. *Poteſt* è caſa vir magnus exire; poteſt è deformi, humilique corpuſculo formoſus animus ac magnus; ut intelligamus, non deformitate corporis fœdari animam, ſed puchritudine animi, corpus ornari. Simiæ, quod Ælianus narrat lib. 17. c. 25. obiectis ſpeculis capiuntur, quæ ſuæ formæ aſpectu delinitæ tamdiu aſpiciunt, donec hebeſcant oculi, & cæcutientes faciliorem ſui capturam faciant. *Amorem ſui* eſſe puta ſimium; videndo perit. Simiæ cùm pepererint dicuntur tanquam ſtatuas defixis oculis fœtus intueri, pulchritudinem admirantes. Faciunt idem, qui ſibi ſtultè blandiuntur ſive de formæ præſtantia, ſive proſapia generis, ſive opum affluxu, ſive honorum

(c) *Cognitio ſui.*

rum fulgore, sive ingenij felicitate, quibus omnibus occinas, quod Narcisso Ovidius:

Tua te fallit imago. Et illud: *Te perdis, dum te quaris.*

Huc facit, quod narcissus sit flos Dijs inferis sacer, ut qui floreat tantùm, & transeat, neque ullum ex se fructum edat: ita & ingenia præcocia (Narcissos puta comptulos & gratiosulos) haud facilè perveniunt ad frugem. *Farnabius.*

IV. Ad Narcissum adjungendus videtur alter adolescens, *Hyacinthus* nomine, de quo Ovid. lib. 10. Metam. Natus is erat *Amyclis*, urbe Laconiæ, Apollini comprimis charus. Qui dum cum adolescente exercet se lusu disci, fortè orbis luforius per inane giratus, in humum solidiorem incidit, indéque subsiliens, magna vi illisus est in frontem Hyacinthi, discum tollere properantis. Accepto vulnere puer collapsus, extinguitur. Cruor in florem cognominem, seu lilium purpureum vertitur. In folijs hujus floris ita discurrêre venæ, Græcarum ut litterarum figura αἰ αἰ legatur inscripta; quæ sunt voculæ lamentantium, nam Phæbus doloris sui argumentum perpetuum in hyacintho flosculo extare voluit. Eædem syllabæ initium sunt nominis *Aiacis*, qui Græcè Αἴας, de quo inferiùs symb. 74. Is præ indignatione, ob prælatum sibi in judicio Vlyssem, in suummet gladium incubuit.

----- rubefactáque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui priùs Oebalio fuerat de vulnere natus.

Scilicet de Hyacinthi sanguine; cujus nomen, quemadmodum Narcissi, pro venusto puero usurpatur. Diximus, quàm labile sit bonum Forma, quàm citò decidat, instar floris evanescat; Plinio teste, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt. Et aptè Veri respondet juventus; ipsa enim est quasi ver ætatum, sed breve & evanidum.

(d) Nec forma tantùm, sed voluptas etiam, quid aliud est, quàm flos temporis? dum ludimus, dum lascivimus cum Hyacintho, repentè nos destituit, & in terra deponit.

Est & hoc in Hyacintho observandum, quòd non minùs Zephyrus, quàm Apollo, ejus amore captus sit, & alter alteri delicium suum præripere studuerit. Zephyrus æmulatione concitatus, flatu suo discum à Phæbo emissum, in Hyacinthi caput impulit. Ita fieri solet minùs castè vel amantibus, vel amatis; Amor ipse carnifex est, si non corporis, certè animæ. Viveres, Hyacinthe, si minùs & tu placuisses rivalibus;

(d) *Amoris inhonesti fœtus.*

ibus; & tibi minùs placuiſſent Apollinis citharæ, ſagittæ, luſus: Zephyríque blandi ſuſurri. Te corculum ſuum appellabant, ut tibi vitam eriperent, alter jactu, alter flatu: à lætis principijs, quàm triſtis exitus! Quàm multi generis hujus floſculi in ſtygio torrentur clibano, quorum perpetuum αἰ αἰ, ſeu væ, væ! inter infelices umbras, & umbrarum pœnas reſonat.

V. (e) Et quia *Narciſſus* & *Hyacinthus* ſunt amabilia puerorum, ut diximus, nomina, locus hic monet, ut de pueritiæ ornamentis aliquid meminerimus. Inter ea, laus eſt præcipua modeſtiæ, verecundiæ, innocentiæ. Sicut ex aquis reſplendet vultus, ita ex vultu animus. Index horologij loquitur, quales rotularum intus ſint converſiones & revolutiones. Siracides ait cap. 8. *Sapientia* (id eſt probitas & innocentia) *lucet in vultu ejus* Verecundia in moribus eſt tanquam gemma rutilans, pudicitiæ comes, naturæ commendatio, famæ cuſtos, virtutis decus, honeſtatis nota, innocentiæ teſtis, ornamentum vitæ, rerum decentium honeſtarúmque procreatrix & alumna, omnis turpitudinis inimica. Hujus color eſt pulcherrimus, ut accepimus interrogatam reſpondiſſe filiam Ariſtotelis Pythiadem. Eſt quippe virtutis color, uti confirmabat Diogenes, cùm verecundo rubore perfuſum adoleſcentem intueretur. Et profectò nihil fieri poteſt pudibundo adoleſcente amabilius. In quo quidem ætatis gradu, magis ſe prodit hic affectus: propterea quòd & tenera frons eſt juvenum, pudoris ſedes; & calor aliquantò major, qui ſeſe cum ſanguine in faciem ſpargit, quoties erubeſcunt. Præterea in corporibus naturaliter venuſtis ac decoris, neſcio quomodo magis decora, magiſque pulchra eſt verecundia, & veluti ars probati artificis in materia commodiore ac meliore perfectiùs eminet, atque elucet; non ſecus, atque ebur incluſum auro, aurum gemmis, duplici ſplendore clariùs eniteſcit. Accedit formæ & verecundiæ tertium decus, mundities cordis. Præclarè S. Bern. tract. de ordine vitæ, ſive de doctrina pueorum: Pueri, inquit, à puritate dicti ſunt, & decet, ut regnet in eis ſimplicitas, & innocentia, & puritas, hoc eſt, virginitas; cum his creſcant, & in his perſeverent, ut mereantur ſequi *Agnum*, quocunque jerit.

SYM.

(e) *Ornamenta pueritiæ.*

SYMBOLVM XX.

Prodigiosa navis Bacchi.

3. Metam.

Ethicè.

1. Vini commoda. 2. Vinum secreta revelat. 3. Vinum accendit ferociam. 4. Mulier vinosa. 5. In vino scurrilitas & impudentia. 6. Vinum efficit bestiam. 7. Naufragium in vino.

BAcchus, Deus vini, ἀπὸ τῦ βακχεῖν, ab incondito clamore, quem bacchantes. seu Bacchi sacra obeuntes, edere solebant, dictus est. Filius fuit Jovis & Semeles, quæ nuncupata est ἀπὸ τῦ σείειν τὰ μελη, à *concutiendis membris*, quod vinum facit. Fœtum partui maturum Jupiter ex matre fulmine combusta exemisse, suóque insutum femori, enixus esse fingitur, unde Bacchus *Bimater*, & *Dithyrambus* dicitur, παρὰ τὸ δύο θήρας βῆναι, quod bis natus, velut per duas januas transierit. *Bromius* quoque vocatur, ἀπο τῦ βρέμω, *sono*, *strepo*. Item *Liber* & Lyæus, quòd curis liberet, & animum solvat. Lenæus quoque, ἀπὸ τῦ ληνῦ à torculari. *Nyctelius*, ἀπό τῆς νυκτὸς, quia ejus sacra noctu celebrabantur. *Dionysius*, quasi mentem feriens, pungens, lancinans; nam δία, mens, νύσσων à νύσσω, pungo. *Iacchus* nominatur ab ἰάχχω, clamo. *Euchius* ἀπο τῆς εὐχῆς à voto vel *Euchyus*, à χύω, fundo, quia fundit in cyathos. *Eleleus*, quia furoris & pugnarum plerúmque auctor; nam utebantur hac voce ελελεῦ ab ἐλελίζω vociferor, in hymnis & pæanibus, quibus homines impellebant ad bellum. *Thyoneus* dicebatur ἀπὸ τῦ θύειν, à sacrificando. *Eujus*, *Euan* & *Evoë*, interjectionis voces, quasi *hui*, *hoë*, quibus sese mutuò incitabant Bacchico numine afflati. Alia cognomenta Deus hic sortitus est à locis diversis, ubi colebatur. Fertur educatus à Nymphis, & perpetua juventute floruisse, unde imberbis, comatus & instar formâ florentis pueri pingitur, tibiam manu, vel thyrsum (hastam pampinis circumflexam) cornua capite præferens, hederâ vel pampineis foliis coronatus; insidet currui, quē tigres, linces, pantheræ trahunt, comitantibus petulcis Satyris, ridiculis Silenis, furiosis Bacchidibus cum cymbalorum & tympanorum strepitu, tædis accensis crinibus passis; quarum varia nomina, *Mænades* à μαίνομαι,

μαίνομαι, ferocio, insanio. *Thyades*, ab impetu & furore, Baccho sacrificantium: *Mimallones*, à μιμέομαι imitor, quia ad imitationem Bacchi cornua ferebant. *Bassarides* à Bassareo seu Baccho, qui utebatur genere vestis demissæ ad talos, quam Thraces *Bassarin* dicunt, aut à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur, nam Thracibus vulpes appellantur *bassares*. Atque hæ Sacerdotes hæc Sacra curabant. Quidam *Semelæ* Bacchi parenti quatuor sorores adjungunt, quia sunt totidem ebrietatis genera & effecta. Primum *Vinolentia*, unde prima soror *Ino*, ab οἶνος *vinum*. Secundum *Rerum oblivio*, unde *Autonoë*, quasi αὐτὴν ἀ γοῦσα, id est, seipsam non agnoscens. Tertium *Libido* nempe tertia soror, dicta & ipsa *Semele*, quasi σωμάλυσ, seu *corpus solvens*. Quartum *Insania* scilicet *Agáve*, nam ἀγανὸς significat apud Hesiodum in Theogon. *voce horribilem*. Ipsa verò Bacchi Sacra sunt *Orgia* nominata, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, ab iracundia, furore, impetu.

Cæterùm inter alia celebratur ab Ovidio *Bacchicæ navis* prodigium, & nautarum in Delphinas mutatio. Cùm enim Baccho ob eximium *vini inventum* Bæotia sacrificia instituret, & cuncta tibijs, tympanis, ac tumultu bacchantium perstreperent, *Pentheus* rex Thebanus, aperta vi resistebat, & captum abripi Bacchum, atque ad se deduci imperabat. Bacchus sub habitu famulari, ducentium manibus elapsus, ad littus maris effugit, navímque, quæ Tyrrhenorum erat, nactus, conscendit, in insulam *Naxon* abnavigaturus. Convenitur de naulo; solvitur è portu, & in altum provehitur. Verùm perjuris nautis non constitit fides pacti; cùm enim aliquid in adolescente adverterent augustius homine plebeio, constituerunt ipsum spoliatum, & exutum in deserto aliquo loco exponere. Non potuit fraus latere Deum, quare meritas de perfidis pœnas repetiturus, repentinô portentô, vela navis, antennas, rudentes, remos, cum universo instrumento nautico, vitibus, hederis, & racemis obtexit. Remiges cùm nec remis, nec velis, quippe pampineo frondium flexu impeditis, quidquam proficerent laborando, insuper spectris ferarum à Baccho objectis perterrefierent, præ consternatione in undas se præcipitârunt, inque delphinas migrârunt. Rex autem Pentheus in Cytheronem montem Orgia seu bacchanalia disturbatum se contulerat; ibi à matre Agáve, duabúsque sororibus, furore correptis, & aprum se laniare opinantibus, miserandum in modum frustillatim concisus, crudeles Baccho pœnas dedit.

Ethica.

Jam doctrinam ſubijciemus non unam. I. (*a*) Bacchus fingitur ſpecie venuſti pueri, hilaritatem vultu præferentis, tibiam, lætitiæ inſtrumentum, manu tenentis. *Vinum* enim, teſte regio Vate, *lætificat cor hominis.* pſal. 103. Et Siracides cap. 31. *Vinum in jucunditatem creatum eſt, & non ad ebrietatem.* & ibid. *Exultatio eſt animæ & cordis vinum moderatè potatum.* Ideò Bacchus à Nymphis educatus fertur, ut ſcilicet lymphis mitigetur, ſi ferventiùs incaleſcat. *Lyæus*, quod diximus, à ſolvendo dicitur, nam ſolvit animum curis. Unde Horatio vocatur *Lætitiæ Dator.* Notum eſt illud Anacreontis: *Quando bibo vinum, dormiunt curæ.* Et illud Zenonis: Sicut lupini amariſſimi crebra aquarum aſpergine macerati dulceſcunt: ita animi triſtes vino irrigati molliuntur atque miteſcunt. Ovidius canit:

Cura fugit multo diluitúrque mero.

Et Tibullus lib. 1. eleg. 7.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos,

Aſſonat Horatius lib. 1. Od. 18.

Quis poſt vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?

Apud Ciceron. 3. Tuſc. legimus: Huic calix mulſi impingendus eſt, ut plorare deſinat. Monet Salomon Prov. 31. *Date ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt corde: bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui.* Sed hæc lætitia limites moderationis ne excedat, nam fiſtula manu Bacchi geſtata quosdam longiùs extra temperantiam abripit; & fit, quod Prov. 23. dicitur: *Vinum ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordet ut coluber, & ſicut regulus* (ſeu baſiliſcus) *venena diffundet.*

II. (*b*) Nuditas Bacchi ſignificat vinô ſecreta revelari. Hinc Ovidius:

Tunc aperit mentes ævo rariſſima noſtro
Simplicitas, artes (*c*) excutiente Deo.

Et Horatius Od. 21. lib. 3. de vino:

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerúmque duro: tu Sapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.

Idem

(*a*) *Vini commoda.* (*b*) *Vinum ſecreta revelat.* (*c*) *Aſtutiam expellente.*

Idem ad Pisones de arte Poëtica:

Reges dicuntur magnis urgere culullis
Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

Aptam ad hoc similitudinem inducit Romanus Philosophus. Quemadmodum, inquit, musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Et Plinius lib. 14. c. ult. Cùm vinum solverit rigorem, vigorémque mentis, animi secreta proferuntur, redituræque per jugulum voces non continentur. Vulgóque *veritas* attributa vino est. Et S. Ambrosius: Pleríque vino utuntur ut eculeo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. Nam quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat? Clytum strenuum Alexandri Ducem quid perdidit, nisi liberior & solutior inter pocula lingua?

III. (*d*) Baccho cornua tribuunt Poëtæ, quia qui liberaliùs biberint, ad pugnam sunt parati & animosi. Hinc Ovidius:

Vina parant animos, faciúntque caloribus aptos,

Et Horatius lib. 1. epist. ad Torquatum:

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Et lib. 3. Ode 21. de Baccho:

Tu spem reducis mentibus anxijs,
Virésque & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

In hanc rem graviter Salomon Prov. 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & studeut calicibus epotandis?* Vinum scilicet fumos calidos in caput exhalat, qui cerebrum, indéque bilem ac furorem accendunt: unde ira, lites, rixæ, cædes & verbera. Ita quotidiana docet experientia, gulonum Convivia & Symposia desinere in jurgia, cædes, vulnera. Quocirca S. Chrysostomus, sicut oleum, inquit, alit lucernam, sic vinum inflammat iram. Confirmat Salomon Prov. 20. *Luxu-*

(*d*) *Vinum accendit ferociam.*

uriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas. Inter exempla numerandus M. Antonius, vir, ut ait Annæus Seneca, magnus & ingenij nobilis. Hunc quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quàm ebrietas: nec minor vino, Cleopatræ amor? Hæc illum hostem reipubl. hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita principum civitatis cœnanti referrentur, cùm inter apparatissimas epulas, luxúsque regales ora ac manus proscriptorum recognosceret: cùm vino gravis, sitiret tamen sanguinem. Et Alexander ille Macedo non Clytum modò, quod indicavimus, sibi charissimum inter epulas, sed amicorum complures temulentus interfecit; merò appotus clarissimam ac nobilissimam Orientis urbem Persepolin ferrò & flammis destructam, solo æquavit. Cambyses rex Persarum, cùm à Prexaspe Satraparum uno admoneretur sobrietatis, ira correptus, jussit Prexaspis filium adduci, atque ad palum ligari, sic ad parentem pueri fatus; tum demum proba, si ebrius sim, cùm collimato hoc spiculo cor filij tui tetigero. Simul exoneravit sagittam mediúmque adolescentem vinolenta crudelitate trajecit. Quid? quòd integræ gentes, quales Scythæ & Thraces, tantò se immaniùs humano sanguine, quantò impotentiùs vino ingurgitant? Hæc cornuti Bacchi violentia est; unde κεράτης, quasi κεράτηρ, quod à nomine κέρας *cornu* deflexum est.

IV. (e) Cur in Sacris *Liberi*, feminæ pro sacerdotibus adhibitæ; Quia juxta Siracidem c. 26. nihil est fœdius & furiosius muliere vinolenta. *Nam mulier*, ut idem ait, *ebriosa, ira magna & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.* Cùm enim incaluit mero femina, plaustra convitiorum in maritum & domesticos jacit; causa, debilitas cerebri, quod ubi jctum est Bacchô, omnia se hujus sexûs vitia produnt. Omnino sic statuendum est, inquit vir doctus, eam quæ violatæ sobrietatis rea est, aut esse destinatione impudicam, aut jam sibi temeratæ pudicitiæ conscíam. Carol. Paschal. lib. de virt. & vitijs. Hunc furorem significant Mænadum sparsi capilli, armatæ facibus manus, ululatus, & clamor inconditus. De hisce Furijs Æneid. 4.

Sævit inops animi, totámque incensa per urbem
Bacchatur: qualis commotis excita Sacris
Thyas, ubi audito stimulant trieteria Bacchi
Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cythæron.

Neque immeritò Poëtæ Bacchidibus imponunt coronas è serpentibus circumflexas; vinum enim à serpentibus appeti Plinius docet. Et Juvenalis Sat. 6. de muliebri bibacitate: ---tan-

(e) *Mulier vinosa.*

..... tanquam alta in dolia longus
Decideret ſerpens, bibit & vomit.

Miſeros lares! in quibus ebrioſa femina tumultuatur. Orpheum & Pentheum hæ Mænades diſcerpſerunt. Admonetur vir ſapiens, ne quid negotij habeat, aut conſilij agat cum hoc ſexu, præſertim ſi plus æquò pitiſſavit; miniméque caret periculo ſi ſobrius ſe miſceat potis. Quid viroſius ſerpente, præſertim ſi venenum è liquore Bacchi incaluit? Plinius lib. 14. c. 17. Scimus, inquit, Romanos olim maritos & propinquos, feminis oſculum dare conſueſſe, ut experirentur *an temetum olerent.* Egnatius certè Metellus uxorem, quod vinum bibiſſet, fuſte percuſſam interemit. Hoc factum Feſcennia timebat apud Martialem lib. 1. quare cùm ebria vellet culpam velare, viníque odorem reprimere, vocavit aromata, paſtillos, diapaſmata, ſed fruſtra; auctus enim fœtor ex vini & aromatum ructibus, graviùs halavit. Epigramma hoc eſt.

Ne gravis heſterno fragres, Feſcennia, vino
Paſtillos Coſmi luxurioſa voras.
Iſta linunt dentes jentacula: ſed nihil obſtat,
Extremo ructus cùm venit à barathro.
Quid quod olet graviùs miſtum diapaſmate virus?
Atque duplex animæ longiùs exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprenſáque furta
Jam tollas, & ſis ebria ſimpliciter.

Alia quoque cauſa, cur his ſacrificulis uſus ſit Bacchus, dari poteſt; quia vinum, ſolvit linguas & loquaces facit, quod feminarum proprium eſt, unde picam avem garrulam Baccho conſecrârunt veteres. Lingua illarum velut molendini rota præſertim, ſi vino agitetur, omnem quamvis periti molitoris operam eludit; ſiſtere conantem, rapiet ſecum.

V. (*f*) Cur Satyri & Sileni, ridiculi & petulantes ſilvarum Dij, ſunt Baccho comites additi? Quia cum multo vino plerúmque conjungitur ſcurrilitas, petulantia, impudentia, procacia, libido, & ſimilia ac propria his ſtipatoribus flagitia. Seneca ep. 84. ubi poſſidet animum nimia vini vis, quidquid mali latebat, emergit. Et S. Hieronym. in regul. Monach. Venter mero æſtuans facilè deſpumat in libidinem. Curtius lib. 5. c. 5. ſcribit: Babylonij in vinum, & quæ ebrietatem ſequuntur, effuſi ſunt. Feminarum convivia ineuntium in principio modeſtus eſt habitus; dein ſumma quæque amicula exuunt, paulatímque pudorem profanant. S. Auguſtinus (vel quiſquis eſt auctor)

(*f*) *In vino ſcurrilitas & impudentia.*

tractatu de Virginitate & sobrietate: inter alia ebrietatis damna, etiam hæc recenset. Ebrietas flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subversio sensûs, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Exodi 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* qualem lusum? Veneris, Cupidinum, Salacium Capripedum, in lascivas choreas, & quæ cum his conjuncta sunt, prurientium.

VI. (*g*) Nunc ad navim Bacchi; in qua tigrides, pantheræ (pardi, pardali) lynces quid aliud denotant, quàm ebrios & temulentos in varias bestiarum naturas abire? Videas enim homines post vinum largiùs haustum in miras animalium formas converti: alios quidem leonum & tigridum more ferocire: alios in lascivos hircos transfigurari: alios in ridiculos simios migrare: alios canum instar rixas ciere: alios spurcos sues, alios timidos lepusculos imitari, & madidæ suæ pietati illacrimari: alios alias animantes referre: omnes tamen decoris & honestatis oblitos nihil in homine pro homine agere. Quid enim belluis similius aut abjectius ubi tremulæ manus, lubricus incessus? micant oculi, spumat os, diffluunt genæ, pedes titubant, incerta verba, vertigo capitis, oris fœtor, ructus, nausea, vomitus? profligata ratio? proscriptus pudor? Qui hæc alio Symbolo repræsentant, fingunt Noëmum vini inventorem miscuisse viti, vinóque sanguinem quatuor animalium, putà Simiæ, leonis, porci, & agni; nam liquor Bacchicus alios facit moriones, quasi simios: alios pugnaces & crudeles, quasi leones: alios lutulentos & fœdos quasi porcos: alios mites, blandos, & quasi agnos.

Nautæ in Delphinos conversi innuunt, potores vivere in humoribus. Plinio teste, hic piscis statim exspirat extra aquas; etiam bibonum vita natat in poculis. Delphines ludibundi circa naves saltus exercent; calicum remiges, Ovidio teste, Fastor. 3.

----- ducunt posito duras cratere choreas,
Cultáque diffusis saltat amica comis.

VII. (*h*) Prisci, Carneade teste apud Philostratum, lib. 3. de imag. Bacchum finxerunt vehi navigio, in cujus prora erat panthera, in puppi tigris, hinc inde hederæ & musica instrumenta; in medio canalis vino exundans: nulli in navigio remi, nullum velum, nullus gubernator, ut significetur, in compotationibus & commessationum tempestatibus navigari inter turbines & procellas, præsentissimum honestati ac virtuti naufragium intentantes. De hujusmodi navi Salomon loquitur

(*g*) *Vinum efficit ex homine bestiam.* (*h*) *Naufragium in vino.*

tur Prov. 23. *Et eritsicut dormiens in medio mari,& quasi sopitus gubernator,amissô clavô.* Quid enim?sicut dormiens jactatur in navi ventorum flatibus,maris æstibus ac fluctibus:& nunc videtur ad sidera ascendere,nunc in abyssum demergi; sic vino captus miris phantasmatum intemperijs agitatur, & sursum deorsúmque malè vaporato capite rotatur. Secundò,sicut nauclerus dormiens sinit navim in rupes, scyllas, & charybdes agi, quibus eliditur, circumrotatur, mergitur. Sic ebrius in mille fortunarum atque vitæ pericula abripitur; ultróque velut insanus ijs se ingerit conviciando, rixando. Rursus sicut nautæ in tempestate navim exonerant; sic ebrius onus vini, quo ventrem saburravit, evomit, iterúmque, quod vomat, ingerit. S. Ambros. lib. de Elia. c. 13. Cernas juvenes terribiles visu hostibus de convivio portari foras, & inde ad convivium reportari: repleri, ut exhauriant; & exhauriri, ut bibant. Tertiò, quemadmodum dormiens in navi sopita ratione non sentit piratas, ceteráque necis discrimina, neque contra ea se munit; sic ebrius vino, sopit,mergítque rationem, séque hostibus corporis ac animi in prædam objicit. Quartò, sicut navis dormiente nauclero, & clavum non regente, abit in vada, syrtes, scopulos, adeóque certum in naufragium. Sic ebrius suam in ruinam & exitium ruit. Nam primò vino mergit rationem; mersa ratione,velut amisso, mersóque clavo, mergitur voluntas, phantasia, sensus omnes; sequitur naufragium sanitatis, temperantiæ, castitatis, honestatis, sapientiæ, virtutis. Ita navigârunt juvenes illi Agrigentini in Sicilia (de quibus Athenæus lib. 2.) quos nimia vini ingurgitatio adeò dementavit, ut se in triremi vehi, & terribili tempestate jactari crederent. Quare cæperunt supellectilem omnem, quasi navigium exoneraturi, per fenestras ejicere, & præter domum transeuntes, tanquam Deos marinos in opem vocare; ipsum etiam Prætorem, qui fortè cum comitatu præteribat, velut propitium sibi Neptunum inclamare. Neque priùs ad mentem & portum rediere, calicum naufragi, quàm exhalatâ postridie crapulâ ad Judices vocati, & pridianæ stultitiæ admoniti, increpitíque, didicerunt se non in navi, sed decumanis poculis fluctuâsse.

VIII. (*i*) Cum navali Bacchi apparatu quandò similitudinem Cypris habere videtur? non abludemus à proposito, si *Cleopatram* Ægypti reginam, in undis lascivienten huc referamus. Erat hæc Alexandriam in Ciciliam à M. Antonio Triumviro evocata ad causam, non unius accusationis, dicendam. Nec dubitavit ipsa venire, conscia formæ,

(*i*) *Navis Veneris Baccho familiaris.*

mæ, & artis expugnandi viros. Sumit igitur cultum & comitatum pro ea re, quam agitabat. Cydno fluvio subvehi se molliter jubet navi aurata, remigio argentato, velis purpureis, ad modulos tibicinum, & citharœdorum. Ipsa recumbebat sub conopeo aureo, gemmis distincto: pueri formosuli, habitu Cupidinum adstabant, & ministrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ instar Nympharum per forulos & tabulata navis disponebantur. Ad ripam utrámque frequentes ab obvijs, & visoribus aræ & odores. Quid verbis opus? passim voces (& res ita erat) *Venerem ad Bacchum venire commessatum.* Lipsi. in Monit. Pol.

SYMBOLVM XXI.

Alcithoë & sorores, in vespertiliones.

4. Metam.

Ethicè.

1. Feminarum labor, lanificium. 2. Neglectus cultûs divini.

INdicta fuerant Bacchi (adeò Deus hic religione mentes tenebat) per Sacerdotes ejus, festa sacrificia. Fit undique concursus ad illa per omnem Thebaidis regionem, portentis, quæ memoravimus, attonitam. Tamen, ut pervicax est feminarum ingenium, non defuit mulier Thebana (nomen ei Alcithoë) quæ quamvis cum sororibus, otulis, auribúsque perciperet quantis ab omni ætate & conditione celebraretur Bacchus honoribus, noluerunt tamen animum inducere ad sua studia alijs attemperanda. Et quia lanificio dabant operam, tantò magis urgebant domi pensum, quantò frequentiores alias ex ædibus suis matronas evocabat colendi Numinis ardor. Viderunt

Immunesque operum famulas, dominásque suorum
Pectora pelle tegi, Crinales solvere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos.

Nihil ex eo sunt motæ Alcithoë & sorores, Minei filiæ; instant labori, pertexunt telam, contemnunt diem festum. Et ecce tibi! dum totæ sunt in deducendo filio, subitus tympanorum strepitus allabitur ad aures, tibiarum præterea cantus, & cymbalorum sonitus; neque tamen

unde

unde accideret, pompâ jam longiùs Bacchica ab ædibus dilapsâ, conijcere poterant. Jámque non aures modò mulceri modulis, ſed nares quoque odoribus myrrhæ, ſtoracíſque aſpergi, præſentiſſimo Dei in conclave ipſum adventantis indiciô. Quid, quod ſubitò telæ verterentur in vites & hederas, fila tranſirent in palmites, ſtamina verterentur in pampinos: uvæque maturæ de fuſis, tanquam de vitibus penderent. Et quoniam exactus dies in crepuſculum vergebat, terrorem augebant intendentes ſe tenebræ & nova cum his monſtra; nam viſa domus à fundamentis concuti, lampadum ardere faces, & horriſoni ferarum ululatus audiri. Igitur exterrefactæ fugere, & ubi ubi poſſent, latebras quærere. Quod dum faciunt, repentina metamorphoſi cæperunt in veſpertiliones mutari

----- parvos membrana per artus
Porrigitur, tenuéſque includunt brachia pennæ,
Nec qua perdiderint veterem ratione figuram
Scire ſinunt tenebræ; non illas pluma levavit:
Suſtinuere tamen ſe perlucentibus alis:
Conatæque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt: peragúntque levi ſtridore querelas:
Tectáque, non ſilvas celebrant, lucémque peroſæ
Nocte volant, ſeróque tenent à veſpere nomen.

Ethica.

1. (*a*) Quædam ſunt in his feminis laudanda, quædam vituperanda. Commendationem meretur, quod otij fugientes, manus lanificio occupârint. Romani veteres in nuptijs non ſecus *Thalaſſionem* ſeu *Thalaſſum*, ac Græci *Hymenæum* celebrabant; ut videlicet hac nuptiali voce provocarentur novæ nuptæ ad lanæ opificium; nam Varrone teſte Priſci thalaſſionem vocabant quaſillum ſeu calathum, vas vimineum, in quo feminæ reponunt ea, quæ ad nendum & texendum pertinent. In fœdere etiam inter Romanos & Sabinos percuſſo, lex & conditio hæc eſt facta, ut volentes, lubentes matronæ apud viros, à quibus raptæ erant, manerent, omnium operum atque munerum vacationem, præterquam lanificij habituræ, ut eſt à Plutarcho in Romulo proditum. Hinc ſponſæ, quod præter alios refert Plinius lib. 8. c. 48. *colum* & *fuſum* ſecum in domum ſponſi inferebant, virorúmque januam lanâ corona-

(*a*) *Feminarum labor lanificium.*

bant ac cingebant: hac quoque ceremonia indicantes, lanæ faciendæ laborem in domo maritali exercendum. Et conſtat è lib. 1. Livij Lucretiam illam, caſtimoniæ decus, ſera nocte lanæ deditam, intérque lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem à Collatino marito, juvenibúſque Tarquinijs inventam eſſe. Non minùs nota eſt alterius heroinæ, Penelopes, Vlyſſis uxoris in lanifio induſtria, de qua plura inferiùs. Virgilius quoque lib. 8. Æneid. bonæ matrisfamilias ſedulitatem laudat.

Cui tolerare colô vitam, tenuíque Minerva;
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes
Noctem addens operi, famuláſque ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, & poſſit parvos educere natos.

S. Hieronymus inſtituens nobiliſſimam virginem Demetriadem: Habeto, ait, lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis fila pollice deducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alueolis fuſi vertantur. Et alibi ad *Lætam* de inſtitutione filiæ: Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere. Magni illius Alexandri veſtem non aliæ manus, quàm ſororum texuerunt, ut memorat Curtius lib. 5. c. 8. Quin ipſa Pallas ſeu Minerva linum, lanámque tractavit, hinc & pro oleo, & lanificio uſurpatur. Vnde hîc Ovidius Alcithoën loquentem inducens canit:

Nos quoque, quas Pallas, melior Dea detinet, inquit,
Vtile opus manuum vario ſermone levemus.

Lanificium etiam Satyricus caſtis feminis attribuit. Juven. Sat. 6.

Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitijs contingi parva ſinebant
Tecta labor, ſomníque breves, & vellere Thuſco
Vexatæ, duræque manus.

Salomon Proverb. 31. encomia matronæ numeris omnibus abſolutæ depingens, lanificij meminit: *Lanam* inquit, *& linum quæſivit, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*, hoc eſt artifices manus admovit operi texendi, ultrò, ſine monitis, ſine juſſu mariti: laborem ipſamet quæſivit, & lineas ac laneas veſtes confecit.

II. (*b*) Cur igitur Alcithoë & ſociæ Mineides (Minei, ut diximus, filiæ) tam gravem laboris honeſti ac utilis pœnam dederunt? audi Poëtam:

----- Iſmenides (*c*) adſunt,
Juſſáque

(*b*) *Neglectus cultûs divini.* (*c*) *Thebanæ mulieres.*

Jussáque sacra colunt. Solæ Mineides intus
Intempestivâ turbantes Sacra Minervâ
Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant.

En causam. Intempestivæ Minervæ, seu lanificio labori operam dabant, eo tempore, quô curæ ad rem divinam convertendæ. Monet Ecclesiastes c. 3. *Omnia tempus habent.* Græcè καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι. Opportunitas est omni rei, vel negotio. Sapienter Boëtius lib. 2. de Consol. Metro. 6.

Signat tempora proprijs
Aptans officijs Deus;
Nec quas ipse coërcuit
Misceri patitur vices.

Peccârunt hîc Mineides, quæ qua superstitione alios colebant Deos ac Deas, hæc quoque sacra lanificio suo anteponere debebant. Quarum præposteram diligentiam ac laborem imitantur multi, dum neglectis divinis, nimium studium lucris impendunt terrenis. Diu, noctúque rotantur curis, agunt, satagunt, currunt, sudant, conquirunt: in eo sunt toti, rem ut familiarem augeant, immemores cœli, Deíque. Sed quo fructu? Denique *Vespertiliones* evadunt, qui neque aves sunt, neque mures: volant sine pennis, suúmque volatum crepusculo vespertino paucis circa tectum flexibus absolvunt, neque lucis patientes, neque noctis. Ita hi, quos nimia quæstûs cupiditas excæcavit, nec terram possident, à qua citò avelluntur; nec cœlum acquirunt, quod seriò nunquam quæsierunt. Videntur quandoque subvolare nonnihil, & frigidum in astra suspirium mittere; sed mox in terram amore habendi relabuntur. Sic dum curam ex cura, tanquam filum è filo trahunt, & nescio quas spes contexere videntur, post breve vitæ spatium exactum, serò deprehendunt *in vanum se laborâsse:* indignos esse, qui lucem sempiternæ felicitatis aspiciant: dignos, qui noctem illam horrendam, nullis unquam supplicijs finiendam ducant; fiétque verum lemma, quod vespertilioni volanti additur: *Sol absens dat mihi lumen.* Aperient denique oculos ad inferos damnati, & in tenebris videbunt calamitates nullo calamo describendas.

SYM-

SYMBOLVM XXII.

Pyramus & Thisbe, amoris impuri victimæ.

4. Metam.

Ethicè.

Principium, progressus, & exitus amoris pravi.

QUod Franciscus Petrarcha, vir doctissimus, dialogo 61. scripsit, *amorem impurum* esse latentem ignem, gratum vulnus, sapidum venenum, dulcem amaritudinem, delectabilem morbum, jucundum supplicium, blandam mortem, id *Pyrami* & Thisbes fabula exemplo non minùs luculento, quàm formidando, lascivè amantibus ostendit. Narrationem rei ex candidato Rhetoricæ P. Francisci Pomey accipe.

Pyramus & Thisbe apud Babylonios forma, ætate, moribus ac conditione pares, amare pariter inter se cœperunt ab ipsis penè cunabulis. Amorem peperit ædium vicinitas (erant enim contiguæ) consuetudo puerilis aluit, rara in utroque forma perfecit. Crescit tamen cum annis amor; & jam ætatem attigere nubilem, iniréntque nuptias, ni parentes abnuerent ob simultates veteres, quas jam pridem exercebant. Itáque ne quid moliantur liberi, contrà quàm parentibus placet, colloquio, mutuóque conspectu, ipsis interdicitur. Quid aget Pyramus? Quò se vertet Thisbe? paries erat *domui communis utrique*; & in pariete tenuis rima, domesticis hactenus ignota; per hanc

Murmure blanditiæ minimo transire solebant.

Transibant & suspiria. Sed amplior erat amor, quàm ut per rimam tam arctam commearet. Ergo statuunt proxima nocte libertatem, quâ potiri non valent domi, quærere foris, & in nemus mœnibus proximum perfugere. Constituitur locus, umbra *mori*, arboris proceræ, fontem opacans. Pacta placent; adventat nox; Thisbe elusis custodibus egreditur prior, & ad nemus advolat; (alas namque addebat amor.) Cùm ecce tibi leæna à boum cæde recens, venit,

Depositura sitim vicini fontis in unda.

E territa Thisbe, fugit in antrum quoddam; & fugienti, retro velum capitis cecidit, quod inventum leæna à fonte redux, ore, ut erat cruentato,

cruentato, laniat. Sub hæc Pyramus adest; cernit vestigia feræ altè impressa sabulo, móxque Thisbes amictum lacerum, & cruore tinctum. Licet, suam vitam extinctam ratus, & discerptam belluæ dentibus, amore in furorem verso, tendit amens animi ad condictam arborem; ibique non inventâ Thisbe, incumbit in ensem, & vitam profundit cum sanguine. Thisbe interea collegerat à pavore animum, & ad morum properabat; jámque propè aberat, cùm

----Tremebunda videt pulsare cruentum
Membra solum.

Hæret illa primùm, horrore perculsa, pedémque refert, stupenti similis:

Sed postquam remorata suos cognovit amores,

In amplexum morientis ruit, immiscet lacrimas cruori, & amantem amplexata:

Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde, tua te charissima Thisbe
Nominat; exàudi, vultúsque attolle jacentes;
Ad nomen Thisbes, oculos in morte gravatos
Pyramus erexit, visáque, recondidit, illâ.

Hic Thisbe, dolore exanimis, laniare genas, pectus tundere, capillos vellere, uberrimóque fletu rigare frigentis genas, nullúmque facere lugendi finem; quoad velamen cernit suum in dextra Pyrami, laceratum, cruentúmque. Tum verò, mortis causam facilè agnoscens, quidquid supererat virium, colligit; avulsúmque ferrum, quod adhuc hærebat in amantis pectore, altè defigit in suum, & collapsa supra jacentis corpus, extremum in ejus ore atque sinu, spiritum exhalavit. At arbor, mirum dictu! utriusque tepefacta sanguine mortem sensit & luxit. Et quæ jam erubuerat, fuso Pyrami sanguine, *moris*, quæ priùs alba fuerant, dolore rubefactis; geminato funere, atrata visa est, funebrémque traxere ac nigrum, mora colorem.

Ethica.

(*a*) Atque huc perduxit pullos suos malesuada Venus. Examinemus principium & progressus ad finem tam amarum perducentes. Primò, habitârunt Babylone; de qua urbe nobilis historicus: Nihil urbis ejus corruptius est moribus, nihil ad irritandas, illiciendásque im-

 modicas

(*a*) *Principium, progressus, & exitus amoris impuri.*

modicas cupiditates instructius. Curt. lib. 5. c. 5. adeò multùm interest, quo in loco quis educetur; non enim omnis fert omnia tellus; vitia quibusdam in locis, ut

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Multùm interest, quo ubere lactata sit proles, quo nata solo. Quid enim temperantiæ à Sybaritis, quid candoris ab æthiopibus, quid humanitatis à Scythis, quid fidei à Cretensibus exspectes? prima juventutis corruptela à cunis incipit; quòd si mala herba suffocetur in ortu, id vel indolis felicitati, vel boni curæ magistri tribue. Deinde amantibus istis primum libidinis invitamentum fuit, domorum propinquitas; teste Poëta:

Notitiam, primósque gradus vicinia fecit;
Tempore crevit amor.

Igniculi scilicet primi ex frequenti occursu, mutuóque aspectu gliscebant; hinc illud incendium, non nisi utriusque sanguine restinguendum. Monet Pelignus Vates epist. 16.

Dum novus est, cœpto potiùs pugnemus amori,
Flamma recens parvâ sparsa recedit aquâ.

Et lib. 2. de remed. amor.

Proximus à tectis ignis defenditur ægrè,
Utile finitimis abstinuisse bonis.

Sequitur in fabula:

Conscius omnis abest: nutu, signísque loquuntur,
Quóque magis tegitur, tantò magis æstuat ignis.

En indolem pravi Cupidinis. Parentibus vetantibus, quod palàm non licebat, occultis signis peragunt. Juxta Maronem Georg. 3.

----- alitur vitium, vivítque tegendo.

Hîc locum habet illud Sacrorum adagiorum: *aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Prov. 9. Nam quidquid non licet, magis desideratur. Pyramus & Thisbe cùm aliter convenire non possent, per interjuncti parietis rimas colloquebantur. Ad Pestem admittendam non opus est magno ostiô; lethale libidinis venenum per minimam aperturam instillatur. Religiosus castitatis doctor, non magni, inquit, nobis est una libidinosa cogitatio, aspectus feminæ curiosior, aliquot verba liberiùs prolata; sed ita cogitationes augentur & crescunt, aspectus iterantur, verba non jam licentiam tantùm, sed lasciviam olent: ab his paulatim transitus fit ad alia, quæ inter levia quoque numeremus,

mus, ut ſunt litteræ parùm virgineæ, annuli, chirotheculæ, floſculi, bullæ aureæ: munuſcula alia, dono miſſa, aut accepta; inde lectiunculæ & cantilenæ parùm pudicæ, inde tactus inverecundi, inde alia atque alia, mihi non nominanda. Hierem. Drexel. lib. 2. Nicetæ. c. 12. Ita per rimam, per tenuiſſimum foramen, primam mali labem traxere Pyramus & Thisbe, per anguſtiſſimum hiatum ſerpſit flammula, quæ mox in flammam excrevit; factúmque, quod Poëta de Didone Æneæ amoribus capta refert Æneid. 4.

At regina gravi jam dudum ſaucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Hic calor non tantùm in præſentes, ſed etiam in diſtantes & muris ſeparatos agit; experti ſunt amantes hi, jámque graviùs ſentiebant Veneris ſive facem, ſive jugum, quàm ut excutere poſſent. Seneca in Hippol.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recuſat ferre, quod ſubijt jugum.

Quid igitur? eò proceſſerat amoris vehementia, vel potiùs inſania, ut noctem conſiliorum ſuorum adjutricem adhiberent:

Multa priùs queſti, ſtatuunt ſub nocte ſilenti
Fallere cuſtodes, foribúſque excedere tentant.

Verè in Elegijs Ovidius:

Nox & amor, vinúmque nihil moderabile ſuadent,
Ille pudore vacat, Liber, Amórque metu.

De Thisbe proſequitur Poëta:

Callida per tenebras, verſato cardine, Thisbe
Egreditur, fallítque ſuos, adopertáque vultu
Pervenit ad tumulum, dictáque ſub arbore ſedit.

Jam propior fit exitio ſuo puella. Atque hoc ipſum eſt, quod caſtitatem vendibilem facit, nocturnus & clancularius ex ædibus egreſſus. Monet parentes Siracides. c. 26. *In filia non avertente ſe, firma cuſtodiam, ne inventa occaſione, utatur ſe.* Id eſt, ſi habes filiam non avertentem ſe ab intuitu & converſatione juvenum, ſed in omnes liberè oculos conijcientem, omnia petulanter circumſpectantem, omnia inverecundè luſtrantem: obſerva & cuſtodi eam, ne data occaſione, abutatur ſua libertate, laſciviâ, incontinentiâ, ſéque permittat ac dedat libidini. Quòd ſi pedem inſuper extra lares de nocte efferat, remedium adhibe, quod Maro ſuggerit lib. 3. Geórg. de ovibus loquens: quam videris

---- ſeræ

---- Seræ ſolam decedere nocti,
Continuò culpam ferro (bubulo nervo) compesce.

Nec minor filiorum & cæterorum domeſticorum habenda cura, ut omnes noctu ſub clave ſint. Origenes in cap. 1. Job. Omnia, inquit, quæ deliquerint filij, de parentibus requiretur, qui non erudierint, neque corripuerint eos. Hinc puella, quæ virginitatem ſuam prodidiſſet, jubebatur in lege veteri eijci extra fores patriæ domûs, & lapidibus obrui. Deut. 22. Atque, ut vult Oleaſter, ante ipſas parentum ædes ſupplicium irrogabatur, ut documentum ſumerent alij, qua cura, ſtudióque filiæ ſint ſervandæ.

Sed furtivi hujus amoris quis deníque finis extitit? Luſus ſuos Venus, ut ſolet, in tragœdiam mutavit, & animorum vulnera Cupidineis ſagittis facta, in corporis quoque interitum, carnifice gladio, vertit. Nec rara ſunt etiam hodie ejuſmodi funera, ſimul tumulo, ſimul orco inferenda. Romæ Veneris & Libitinæ templa conjuncta erant, ut ſciretur, brevem ab illa ad hanc eſſe tranſitum. Nota eſt hiſtoria de Lubecenſi juvene, qui exhauſtis opibus, proculcatis matris viduæ monitis, precibus, lacrimis: unius mulierculæ blandimentis eò deductus eſt, ut denique egens, mœrens, deſperatus, cultrum per medium pectus adigeret, hærentémque in orbem rotaret, ſupplicio in eam corporis partem incumbente, in qua primam ſceleris peſtem hauſerat. Cadaver in profano ſepulchreto humatum avexerunt mali dæmones, cujus indicium fuit labes tumuli, altera pòſt nocte vacui. Et verò quis amantium, an potiùs amentium ſtultitias & inſanias explicet. Hinc paſſim in libris, quod alibi ſcripſi, verſuti lenones, fallaces lenæ, pellaces Thaides, deceptæ Europæ, illuſæ Danaæ, victæ Atalantæ, infelices Thisbæ, ingenioſæ Ariadnæ, Zelotypæ Deianiræ, ultrices Medeæ, animoſæ Lucretiæ, rivalium pugna, Briſeides: amoris victimæ Pyrami, amandi artifices Leandri, defleti Adonides, mactati proci Penelopes, raptores Helenarum Parides, horúmque ſimilia propudia, in quibus Venus & Cupido paratragœdiatur. Leandri meminimus, juvenis Abydeni, quem puellæ Sebaſtenæ, *Erûs* ſeu *Herûs* amor adeò impotenter rapuit, ut, cùm ea in oppoſiti littoris oppido *Seſto* habitaret, non dubitaret noctu per fretum tranquillum ad eam tranare. Quod ubi aliquoties feliciter ceciderat, factus audacior, etiam mari tumido & impacato ſe commiſit; ſed vi ventorum, fluctuúmque victus, cùm ſubmergeretur exclamâſſe dicitur:

Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Adeò

Adeò ne inter undas quidem ignis ille, *qui devorat usque ad perditionem.* Job. 31. extingui potuit. Neque fabulæ modò, sed etiam historiæ amoris improbi tyrannidem produnt. Boterus refert lib. 9. c. 3. Politic. Galeatius Mantuanus, vir sanè impiger, Papiæ cùm hibernaret, fortè in ponte puellam, quam unicè amabat, obviam habuit. Ea, ut per blandam aliquam jocandi speciem, amantem ad colloquium invitaret: Quin tu, inquit, bellissime amator, qui tantùm tibi armatus in acie places, è ponte in amnem, amoris gratiâ, desilis? Hoc ille audito, concitato repentè equo, sese in flumen præcipitat; equo exanimato, vix Ticino natabundus emersit. Alius ex hoc Phrygum genere, illustribus natalibus oriundus, auricularem sibi digitum præscidit, eúmque litteris insertum, in pignus amoris ad amasiam misit. Hoc Bruxellis contigit; quod jam narrabo, Gandavi accidit. Prænobilis viri filius super puellæ, quam deperibat, pectus, fortè acum conspexit; quam sublatam ori inseruit, simúlque cum ea mortem deglutivit. Taceo plura hoc œstro percitorum in utroque sexu exempla; unum hoc, quod gravissimus historicus scribit, præterire nequeo. Granatæ servulus captivus herilem filiam in amorem sui, & fugam ex ædibus paternis pellexit. Insequente hero cum famulis, in altam rupem evaserunt; cúmque ad hortatus mitiores descendere nollent, sagittis in eos pugnatum est. Adacti desperatione, quod unum restabat, mori eligunt, & mutuo complexu arctè colligati, ab ea parte, quâ sævus pater imminebat, sese præcipites devolvunt. Sic in subjectam vallem delati, miserrimè sunt extincti. Nomen loco Petra *amantium*, imò *amentium* hæsit, nam ruinam hanc gravior secutus casus, ambos in imum tartarum præcipites traxit. Hunc ludum ludit Cyprius puer,

hoc toxico suum miscet philtrum & furiatas mortalium
mentes in exitium rapit. *Mariana in hist.*

SYMBOLVM XXIII.

Athamantis & Inûs conjugum furiæ.

4. Metam.

Ethicè.

A parentibus pernicies derivatur in liberos.

Athamas Æoli filius Thebarum rex, repudiata uxore *Nephele*, parente *Phryxi & Helles* (de quibus alibi) in matrimonium duxit *Ino*, *Cadmi & Harmoniæ* filiam (de quibus supra) Bacchi nutricem; ex qua geminos filios suscepit, *Learchum* & *Melicertam* seu Melicertem. *Iuno* Jovis conjux, dudum omnem Cadmi prosapiam perosa, & in ipsam præsertim Ino, inflammata, quippe alumni, scilicet Bacchi, nomine & numine superbientem; eam perdere statuit, communi feminarum genio causas inimicitiarum ab arrogantia trahentium. Igitur ad inferos se confert, memor injuriæ, immemor dignitatis; ibi *Tisiphonem*, Furiarum atrociſſimam offendit; hanc ad Athamantis regiam ablegat, cum mandatis, ut ipsum pariter atque Ino conjugem, ad insaniam atque furorem, tartareo veneno adigat. Accipit jussa infernalis Furia; nec mora: facem sanguine madentem arripit, cruenta se palla succingit, tortuosum serpentem pro cingulo adhibet; comites assumit *Luctum*, *Pavorem*, *Terrorem*, *Insaniam*, & ita ad limina Athamantis regia defertur. Horrorem & diritatem venientis tremuerunt postes, expalluerunt fores. Sol ipse fugit. Portentis territi conjuges fugam parabant. Obstitit in vestibulo Tisiphone, excussáque cæsarie, quot capillos, tot colubros sparsit, quorum duos lingua micantes, saniémque vomentes in Athamantis & Inûs sinum conjecit; simúlque venena, quæ coxerat è spuma Cerberi & Hydræ pestilentissima, ad rabiem concitandam valitura, in præcordia miserorum intima conjecit, gyratáque sæpius in orbem face, tanquam re benè confecta, recessit. Senserunt illicò furialem pestem conjuges; priórque Athamas insaniâ correptus, dum aulam perambulat, in silva se credit esse, & ad venatum famulos ac canes excitare. Fortè obviàm venit regina, gemina cum prole; ille ratus leænam se duobus cum catulis conspicari, alterum ex ijs, *Learchum* arripit è materno gremio, vicino allidit saxo. Mater Ino sive formidine, sive pari furore acta, mino-

minorem filium *Melicertam* amplectitur ulnis, citato fugit cursu, in cujusdam rupis summitatem enititur, & inde se cum puero in undas Hellesponti, dat præcipitem. Miserante infelicium casum Neptuno; cùm perijsse viderentur, in Deos marinos evasere, quorum illa *Leucothea* (Latinis *Matuta*) hic verò *Palæmon* (seu Portumus aut Portumnus, quod portubus præesse crederetur) dictus, & à nautis est cultus.

Ethicè.

Hanc fabulam, omissis parergis, disertus hujus ævi scriptor traducit ad parentes liberis suis pernicioſos. (*a*) Adfero ejus verba. Quænam hæc phrenesis ac furor est? Rex Thebanorum Athamas filios suos venatur, & captos pro fera occidit; Vxor Ino, Mænadis instar exululans, Melicertam natum suum, longè charissimum, in montem præruptum raptat, atque inde in subjectum mare excutit, eodem secum casu interiturum:

Imminet æquoribus scopulus; pars ima cavatur
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas:
Summa rigent, frontémque in apertum porrigit æquor.
Occupat hunc (vires insania fecerat) Inos
Séque super pontum nullo tardata timore
Mittit, onúsque suum.

Hæc parentum insania est; filios Deo natos venantur, dum Mundo inaugurant. Hic matrum furor est: & ipsæ in pericula insiliunt, & filios vix dum natos secum rapiunt in omne genus profundissimarum vanitatum. Vix lallare incipiunt, jam nobiles, illustres, generosi salutantur, & antè avos, atavósque possunt enumerare, quàm nominare SS. Trinitatem. Vix primam togulam induerunt, cùm jam sciunt se esse dominos in domo. Vix per scamna repere didicerunt, cùm jam audias dicteria contumeliosè jacientes. Jam chartas lusorias ordine, jam tribunos & vice-tribunos distinctè, jam reges & sues; frondes & glandes; corda & tintinabula pernoscunt accuratè; cùm tamen nesciant quid B. Virginis, quid Christi in cruce suspensi sanctissima effigies portendat. Nonne hoc est liberos præcipites in mare periculorum, & in orcum agere? P. Georg. Stengel. c. 7. Labyrinthi, Part. 1.

Addo ego ex libro Jobi c. 21. *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum* (Hebraicè, emiserunt quasi pecudes, parvulos suos) *& infantes eorum exultant lusibus &c. & in puncto ad inferna descendunt.* En præ-

 cipitium,

(*a*) *A parentibus pernicies dirivatur in liberos.*

cipitium, en barathrum, in quod blanditijs ſuis ac pravis exemplis parentes trahunt filios. Satyricus de his.

Si damnoſa ſenem juvat alea: ludit & hæres
Bullatus, parvóque eadem movet arma fritillo. Juven. 14.

De matribus Comicus in Heautom. *Matres omnes, filijs in peccato adjutrices, & auxilio in paterna injuria* (ita juſtam ſeveritatem interpretantur) *ſolent eſſe.* Ita fit, ut filij à patribus allidantur velut ab Athamante ad ſaxum: à matribus cum Ino, mergantur in profundum. Nam quid ex probroſis parentum moribus aliud conſequatur, quàm peſſimi mores liberorum; & ex his triſtiſſimus animorum interitus? Siracidis dictum eſt: c. 41. *De patre impio queruntur filij; quoniam propter illum ſunt in opprobrio.* Tum quia probrum patris tranſit ad poſteros; tum quia cum ſanguine ducuntur ſcelera, & digna his ſupplicia. Et ibidem: *Filij abominationum ſunt filij peccatorum, & qui converſantur ſecus domos impiorum.* Nam per impios filios, fit abominabile & infame nomen parentum. Idem accidit ijs, qui cum improbis familiariter verſantur, quorum pravos ſermones & actus imbibunt; Neque enim ſolùm ex malis naſcuntur mali, ſed conſuetudine quoque & inſtitutione tranſmittuntur vitia, diſcipulorum à magiſtris, ſubditorum à præpoſitis, civium à magiſtratu, familiarium à conſortio; quibus omnibus modis vel ætas, vel mens infirmior in præceps devolvitur.

SYMBOLVM XXIV.

Perſeus raræ virtutis heros.

4. *Metam.*

Ethicè.

1. Capillorum retia in feminis. 2. Capillorum vanitas. 3. Victor cupiditatum. 4. Concupiſcentia triplex. 5. Modus ſuperandi pravas affectiones. 6. Inhoſpitalitatis pœna. 7. Auſpicatum connubium. 8. Acer diſputator.

PHorcus Neptuni filius, rex Corſicæ & Sardiniæ inſularum, tres habuit filias, videlicet *Meduſam, Sthenonem, & Euryalen*, quæ Dorcades inſulas, in Oceano Æthiopico ſitas habitârunt, non procul Heſperidum

ridum hortis. Dictæ sunt *Gorgones*, à truculentia, quam Græci γοργότητα appellant, vel potiùs à γοργὸς, terribilis, formidabilis. Latini eas *Lamias* appellant. Anguium spiris impedita habebant capita: dentes aprorum, manus ferreas, alas aureas, pro Zonis viperas inter se connexas; uno utebantur oculo; atque ita fiebat, ut per vices eum capiti insererent, si quid videndum esset; Ex illis duæ erant immortales & invulnerabiles; Sola Medusa morti obnoxia. Hanc quomodo Perseus letho dederit, jam referemus.

Erat is Jovis ex Danaë filius, cui Pallas in mandatis dederat, vindictam ut sumeret de Medusa, femina arrogantissima, quippe quæ ob capillorum elegantiam, ausa esset sibi certamen offerre: ideóque crines illos fuisse à se in turpissimos, maximéque formidabiles angues, conversos; tanto quidem horrore, ut qui eos aspicerent, subitò in saxum obrigescerent; Quam calamitatem cùm multi subirent commiseratione se ductam, velle finem hisce malis imponere. Iret igitur fortissimus juvenis, & pro communi salute discrimen susciperet, se pugnanti adfuturam. Perseus obsequitur jussis, tantò promptior, quantò armis instructior; nam Mercurius ei talaria & falcatum ensem, Pluto galeam, Minerva seu Pallas ægidem ære fulgentissimam suppeditavit, qua velut speculo usurus, faciem Gorgoneam impunè intueri posset. Hac armatura fretus, confert se ad terribiles sorores; Medusam (nam hæc vulneri patebat) cunctante gradu adoritur à tergo, validissimo ferit ictu caput, & amputat. Advolant statim Stheno & Eucyale, & Perseum insequuntur; verùm cùm illum ob galeam Plutonis videre non quirent, ab incœpto destiterunt; erat enim hæc virtus illi cassidi (quam *orci galeam* vocant) ut, qui eam gestaret, quoscunque voluisset, aspiceret, ipse verò à nemine conspici posset, qua virtute etiam *Gygis* annulus fuit præditus. Cæterùm ex Medusæ capite sanguinante, repentè prosilijt equus alatus, nomen ei *Pegasus*; conscendit hunc ocyus Perseus, & per auras sublimis abit, secum defectum verticem asportans. Contigit autem, ut, cùm per Africæ solitudines faceret iter, guttæ sanguinis ex eo decidentes, mutarentur in serpentes, quibus deinceps illa pars orbis infestari cœpit. Exinde victor caput, ægydi præfixum, Palladi pro trophæo reddidit, postquam vires ejus non semel priùs fuerat expertus, præsertim cùm per Mauritaniam, regionem Africæ extremam, proficisceretur.

Regnabat ibi *Atlas*, vir staturâ giganteâ, Japeti filius, Promethei

& Epimethei frater. Hic, quòd ex oraculo didiciſſet, imminere ſibi perniciem ab uno è Jovis filijs, conſtituit neminem prorſus recipere hoſpitio. Perſeus Jove progenitus, cùm fortè per Atlantis ditionem, iter haberet, & Atlantem adijſſet officij gratiâ, excluditur ab ædibus, quamvis humaniſſimas preces interpoſuiſſet. Irritavit ea durities virum fortem, adeò, ut objectô clypeô, quem ferebat, oſtenderet Meduſæ caput. Vix illud oculos ferijt Atlantis; & ecce, momento gigas mutatur in montem tam excelſum, ut cælum credatur vertice contingere. De quo Æneid. 4.

Jámque volans (Mercurius) apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum aſſiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulſatur & imbri:
Nix humeros infuſa tegit; tum flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.

His ipſis armis confidens Perſeus, *Andromedam*, lectiſſimam virginem, *Cephei* Æthiopum regis & *Caſſiopes* filiam, præſentiſſimo exitio liberavit, quô ipſam matris ſuperbia involverat. Nam cùm hæc *Nereides* (*Nerei* ſeu Neptuni & *Doridis* filias, deas marinas) formâ ſuperare gloriaretur; Neptunus rogatus à Nymphis, ut mulieris arrogantiam ulciſceretur, in eam regionem immiſit cetum, ſeu belluam marinam, magnitudinis inuſitatæ & formidabile monſtrum, quod ex undis emergens agros devaſtabat, & ædificia funditus demoliebatur, adeò, ut ab illa peſte ne munitæ quidem civitates, ſatis eſſent tutæ. Tanta calamitate perculſus Cepheus, oraculum conſuluit, & reſponſum accepit, non priùs ceſſaturam calamitatem, uxoris ſuperbiâ excitatam, quàm Andromedam, unicam filiam, balenæ devorandam expoſuiſſet. Fluctuabant in corde paterno, hinc amor chariſſimæ filiæ, inde ſalutis publicæ; prævaluit hæc, & miſerabilem regem eò adegit, ut filiam ferreis ligatam vinculis, in pabulum belluæ objiciendam daret. Repentinum in rebus extremis auxilium adfuit Perſeus; qui cum Meduſæ capite illic prætervectus, & virginis ætatem, formam, innocentiam miſeratus, conſtituit pro ea, cum æquoreo monſtro in certamen venire. Jam bellua tam propè adnaverat, ut poſſet cominus gladio peti; igitur heros impigrè ſtricto acinace (qui, ut diximus, donum erat Mercurij) vibrat jctum, quanta poteſt virium contentione, infligíſque repetitò plagis, feram conficit, puellámque catenis ſolutam, cum ingenti omnium congratulatione parentibus reſtituit. Hi ſollicitudine

ſummâ

ſummâ in maximam lætitiam versâ, mox Perſeum ſalutare generum, conſervatorem & columen domus appellare: filiam tanti pretium cauſámque laboris in uxorem tradere, ſolennéſque nuptias celebrare. Invidit hanc fortunam peregrino homini *Phineus*, Cephei frater; quare convivium geniale rixis & pugnis turbat, ſibíque Andromedam vindicaturus, necem intentat Perſeo. Qui cùm aliquamdiu cum ſuis, longè numero inferioribus, adversùs Phineum & ſceleris ſocios ſtrenuè pugnâſſet, tandem impar multitudini, recentem in ſe Phineum, obverſo Meduſæ capite, in ſaxum convertit, ſponſámque non uno nomine *ſuam* victor abduxit; quam deinde, poſt decurſa vitæ ſpatia Minerva inter aſtra collocavit; Perſeum verò, Jupiter ijſdem honoribus affecit.

Ethica.

Variorum hoc figmentum documentorum ferax eſt.

I. *(a)* Quòd Meduſa inſigni pulchritudine conſpicua, comæ præſertim ſplendore ac gratia, multos in amorem ſui pellexerit, uti narrat Ovidius:

------ clariſſima forma,
Multorúmque fuit ſpes invidioſa procorum
Illa: nec in tota conſpectior ulla capillis
Pars fuit.

Unde Palladi ſe prætulit, quæ pœnæ loco crinibus ejus in angues verſis, monſtrificam & ſaxificam vim indidit. Quo quid aliud ſignificatur, quàm feminarum vanitatem & retia in capillis expandi? Ex horum conſpectu quàm multi in admirationem rapti, & veluti inſenſiles redditi, miſerè ſunt implicati & irretiti! Quoties *unico crine*, quod cœleſtis ſponſus de caſto amore canit 4. Cant. etiam Cupido vulnerat pectora; Et (quod Julius Florus lib. 2. c. 15. de Chartaginenſibus feminis prædicat) ex capillis nervos nectit, unde arcus flectantur, & Cypria tela mittantur. De Nerone, crudelitatis pariter ac libidinis monſtro, Xiphilinus memorat, eum à Poppeæ, matronæ Romanæ, oculorum acie, ac formæ venuſtate ita ſauciatum, ut amore inſaniens, ſingulos ejus pilos numeraret; & ſiquis capiti excideret, auro includeret, ínque Junonis templo conſecraret. Quid ſtupidius hoc orbis Domino, quem volatica capitis umbra, aureoli crinis orbiculus majeſtatis ſuæ oblitum, velut plumbum, aut ſaxum Meduſeum dejecit? Non aliter Holofer-

(a) Capillorum retia in feminis.

Iofernes ille Martis pullus, mentem ſuam amiſit, cùm Juditham vidit, *quæ diſcriminavit crinem capitis ſui, & captus eſt in oculis ſuis.* Judith. c. 10. Quid, quòd aſſentatores comam Berenices, Ptolomæi regis filiæ à Dijs in aſtra relatam, ac jam capillorum nexum è ſtellis compactum apparere, non erubuerint mentiri. Adeò Meduſea capita nunquam innocenter aſpiciuntur; vel enim dementant gratiâ coloris, vel formidine horroris.

II. (*b*) Cirri & cincinni Meduſæ in angues abierunt. Hoc crinale manet, ſuperbas in ſepulchro comas. Monet Hieronym. epiſt. ad Lætam, de inſtitutione filiæ: Cave, inquit, ne aures perfores, ne ceruſſa & purpuriſſo ora depingas, ne collum auro & margaritis premas: ne caput gemmis oneres: ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus *auſpiceris.* Minatur Iſais c. 3. ejuſmodi crinitis *retiarijs. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Rectè verò; hoc eſt turritam ſuperbiæ molem, à ſummo deijcere. Concidunt reliqua ornamenta omnia, ſi hic decor defluxerit. Apulejus hîc cenſor ſit. Si, inquit, cujuslibet eximiæ & pulcherrimæ feminæ caput capillo ſpoliaveris, licet illa cœlo delapſa, licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuccincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, *calva proceſſerit*, placere non poterit. Quod & à Poëtis decantatum:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Experta eſt Meduſa, quid ſit capillari faſtu intumeſcere. Nam quale monſtrum, & quali dignum ſpeculo, anguineas pro cincinnis ſpiras in capite, unum in fronte oculum circumferre! Nimirum quò quæque avidiùs cupit videri ab alijs, hoc ſeipſam videt minùs.

III. (*c*) Perſeus enim verò virum ſe præbuit, qui Meduſam à tergo adortus eſt, unde nullum oculis periculum. Cum vertice præcidit cauſam nocendi, & materiam vitij, in virtutis ſpolium convertit. Nec mirum; Pallas ei cum Ægide ſapientiam contulit, ſine qua nulla victoria de hoſtibus, præſertim animi, reportatur. Ariſtoteles, ut Laërtius teſtatur lib. 5. c. 1. monuit, voluptates contemplandas, non venientes ſed abeuntes; antrorſum enim fucata ſpecie blandiuntur, retrorſum pœnitentiam ac dolorem relinquunt. Hoc Perſeus docuit, Meduſam aſpectu exitioſam, à tergo aggrediendo.

IV. (*d*)

(*b*) *Capillorum vanitas.* (*c*) *Victor cupiditatum.*

IV. (*d*) Hæc ipsa Gorgonidum fabula non insciè applicari potest ad triplicem Cupiditatem, de qua Joannes epist. 1. c. 2. nempe *Concupiscentiam carnis*, hoc est, *appetitum* voluptatum tactûs, libidinem scilicet & gulam. *Concupiscentiam oculorum*, videlicet *Avaritiam*, quæ rerum pretiosarum aspectu irritatur, & possessione delectatur. Et *superbiam vitæ*, hoc est, *fastum*, arrogantiam, insolentiam, ostentationem, quæ in vita & moribus superborum eminere solent.

Ambitiosus Honos, & Opes, & amica Voluptas;
Hæc tria pro trino Numine Mundus habet.

Mali hujus origo à Serpente fluxit, qui primam parentem venenavit: hinc Gorgonum capita ac cingula, anguibus implexa. Per *alas aureas* quidni intelligas immodicum *excellendi appetitum*, seque supra alios efferendi, & quasi quibusdam alis elibrandi; inflatur enim fastus, & vento plenus in altum enititur. Et quia Ambitio ad honorum gradus plerúmque per pecunias eluctatur, opus est pennis aureis ad destinata perveniendi. Jam *manus ferreas* quid existimemus esse, quam inordinatam cupiditatem *habendi*, & per fas ac nefas rapiendi? propterea corvis ac vulturibus avari comparantur, qui acutissimè prædam olfaciunt, & aduncis rostris involant; fœtentia cadavera sunt ipsis pro pabulo. Sic avaris bonus lucri odor è re qualibet, etiam fœdissima, ducitur; quod semel rapacibus apprehenderunt unguibus, non dimittunt ampliùs, ut hirudo sanguinem. *Manus* autem *ferreas* habet hæc cupido *trahendi*, quia bellorum semen plerúmque est avaritia. Hæc duo pronomina *Meum* & *Tuum* totum Mundum, ut ait S. Chrysostomus, scindunt & turbant; propter hæc terræ punctum ferro & flamma dividitur Seneca dicente. Sed quid sibi *dentes aprorum* volunt? Cupidinem lascivæ *voluptatis* indicant. Nam ut *apri* terram dentibus fodiunt; & pro delicijs habent in luto volutari; ita sectatores turpium libidinum, in cæno spurcissimæ delectationis, velut sues in volutabro se circumvertur[illegible]. Toti in pastum & terram pendent: nunquam non de terra, id est, [illegible]; terrenis voluptatibus cogitant, de terra loquuntur, in terra ob[illegible]ectantur. Pervetustum, Pierio teste, hieroglyphicum est, fœdam li[illegible]oidinem per *porcum* significari. Hinc apud Claudianum Rhadama[illegible]thus Baccho & Veneri deditos, in corpora porcina compingit:

At qui desidiâ semper, vinóque gravat[illegible],
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu:
Hunc suis immundæ pingues deerudit in artus.

(*d*) *Concupiscentiæ triplex.*

V. (*e*) Uno quid Gorgones oculo denotant? cæcas esse cupiditates, quippe quæ menti adimant oculos, ut neque malitiam, neque damna videat imminentia. De ijsdem fingitur, produturas uno oculo in fronte usas fuisse, domi verò eundem in cista depositum habuisse. Nimirum homines ad aliena vitia oculati, ad propria & domestica cæci sunt. Plutarch. de curiositate. Quis autem est ille Perseus, qui has Gorgones vincit; nisi qui rationis ductum sequens, repugnat indomitis affectibus, & quasi caput à cervice rescindit, dum primis insultibus generosè resistit, amputátque vires graviùs nocendi. Istud etiam addunt Poëtæ, quòd in ægide seu lorica pectorali, ac clypeo, (nam pro utroque accipitur) ex ære fulgentissimo fabricata, Perseus Gorgonidum effigiem, velut in speculo reflexam, securè sit intuitus; quô indicatur, ad superandas animi perturbationes, plurimùm conferre, si considerato eorum initio, progressu, exitu, per reflexam meditationem expendatur, quantùm noceant, quò deducant. Nemo facilè primo intuitu horret vitiorum monstra, quia falsa blandiuntur specie; cùm & Meduſa quosdam flavo capillo traxerit amatores. Sed cui Palladis ægis est; mens, inquam, melior & sapientiâ prædita, deprehendit in recessu, hoc est, in redeunte per considerationem imagine, colubrosum caput. Talaria indicant celeritate esse opus in conflictu cum vitijs, ne cessatione & morâ roborentur ac invalescant. Per ensem intelligitur, non solis desiderijs & speculationibus hanc pugnam peragi, sed gladio spiritus & pravorum affectuum extirpatione; Per cassidem Plutoniam, fugiendas occasiones peccandi, & subducendum esse se periculis labendi. Lucianus ait Minervam clypeum velut facem aut speculum refulgens Perseo prætulisse, & in eo Meduſæ imaginem spectandam exhibuisse; postea Perseum sinistra arreptâ illius comâ, & inspecta imagine: dextrâ autem sublatâ harpe caput abscidisse: atque ita priùs, quàm sorores expergiscerentur, avolâsse. Quæ vix quidam eruditus ad strenuum belli Ducem refert, cui opus est celeri expeditione, quod per talaria Mercurij designatur, deinde occultis consilijs, quod Plutonis galeâ, quæ gestantem inaspectabilem reddebat, innuitur: tertiò providentiâ & prudentiâ polemicâ, quod per speculum indicatur: quartò viribus & armis, quod acinace Mercuriali significatur.

VI. (*f*) Inhospitalitas Athlantis meritò in saxeam duritiem conversa est, ut jam esset corpore, qualis antè fuit animo. Ad humanitatem inducere debebat cùm nobilitas hospitis, Perseus enim Jovis erat filius;

(*e*) *Cupiditates cæca quomodo superanda.* (*f*) *Inhospitalitatis pœna.*

lius; tum fortitudo, seu res præclarè gestæ; denique singularis petendi humanitas. Sed ille quid reponit?

----- Vade procul. Manibúsque expellere tentat
Cunctantem, & placidis miscentem fortia dictis.

Quid indignius persona gravi & honoratâ, quid dicam, regiâ? quàm manus inferre roganti hospitium, & quidem tali ac tanto? Ira fecit impotentem animi; quod turpe in plebeio, turpissimum in Principe. Sic Nabal ille, tam inops animi, quàm dives pecoris, horridus, impolitus, agrestis, profugos Davidis socios, stipem demissè petentes, & sua beneficia obtendentes, non tantùm non pacatè audivit, sed insuper cum contumelijs rejecit. Quid sequitur? *& factus est quasi lapis.* 1. Reg. 25.

VII. (*g*) Inter fortissima ac glorioſissima Persei facinora, istud meritò illustrissimum censetur, qnòd Andromedam Virginem, virtute generéque nobilissimam, marinæ belluæ in pabulum objectam, præsenti exitio, funestissimæque morti subtraxerit, & sponsam non molliter procando, sed strenuè agendo sibi conciliârit. Ita veteres heroës generoso pulvere sordidi, non ventilata cæsarie gratiosi; sed ferrata manu tremendi, non digitis auro inclusis mirandi; per vulnera, non oscula Hymenæum initiarunt. Plutarchus apud Rosinum lib. 5. antiquitat. refert, olim nuptarum comas hastæ cuspide, quæ in occisi hostis corpore hæserat, fuisse discriminatas, ut admonerentur, quia bellicosis jungantur maritis, debere ipsas uti ornatu simplici, & à luxu ac mollitie alieno. Perseus non Paridis lyrâ, sed Mercurij gladio, Andromedæ suos amores probavit. Sic David, antequam *Micholem*, Saulis regis filiam matrimonio sibi jungeret, nuptias auspicatus est à centum Philisthæorum strage. 1. Reg. 18. Et Strabone teste, quod Causinus in Symbolis memorat lib. 5. apud Arianos, populos Persis finitimos nemo uxorem ducebat, nisi priùs hostis caput ad regem detulisset. Perseus certè & Andromeda inter astra collocati, documento sunt, quid virtus *Agere* debeat, & *Pati*.

VIII. (*h*) Perseus objecto Gorgonidum capite in Saxum vertit aspicientes. Appositè ad hoc Olaus Magnus lib. 3. c. 16. Vrsinus, ait, eximiæ famæ gladiator, omnem telorum aciem ad hebetudinem solo aspectu redigere solebat. Cadit in acerrimum disputatorem, qui levi negotio omnium argumentorum vim elidat. Ἔγκος ἔχων σάμα θοῦρον, ἔπος ζίφος, ἀσπίδα φωνήν. Pro hasta habens os promptum, pro sermone

 gladium,

(*g*) *Auspicatum conjugium.* (*h*) *Acer disputator.*

gladium, pro clypeo vocem. Quadrat etiam in eum, qui velut Perseus alter, ubi rationes suas disputando protulerit, & quasi in orbem rotaverit, adversarium in attonitum stuporem convertit, & veluti lapidem reddit.

SYMBOLVM XXV.

Bellerophon in Pegaso, victor Chimæræ.

Hom. lib. 6. Iliad.

Ethicè.

1. Virtus infracta in periculis. 2. Pegasus imago sapientiæ. 3. Aurora Musis amica. 4. Honor litteratum per Pegasum significatur. 5. Per Chimæram impudicitia. 6. Ejus oppugnatio. 7. Modestia docetur.

PEgasum, equum alatum è Medusæ à Perseo interfectæ sanguine procreatum fuisse, paulò supra indicavimus; nomen ei ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à *fonte*, est inditum, quippe qui dimissus à Perseo, cùm in montem *Heliconem* Musis consecratum evolâsset, ungulæ repulsu terram feriens, fontem produxit, Græcè *Hippocrenem*, hoc est, *equinum* (Persius Satyricus Poëta *Caballinum* vocat) ab ἵππος equus, & κρήνη fons; ex quo quisquis biberit, ei repentè vena fluit Poëtica, & quodam quasi enthusiasmo correptus, optima carmina tam lingua, quàm calamo fundit. Hoc usus est equo Bellerophon, juvenis castissimus *Glauci*, regis *Ephyræ* seu *Corinthi*, filius, qui falsò stupri accusatus, cùm ad interficiendam *Chimæram* (monstrum horribile, quod capite & pectore *leonem*, ventre *capram* seu *hircum*, cauda *draconem* referebat, *ignem* ore vomebat) missus fuisset, Minerva (secundùm alios Neptunus) ejus miserta innocentiæ, *Pegasum* ei, priùs domitum & freno assuetum, tradidit. Hoc vectus equo Bellerophontes, Chimæram occidit; sed postea, ut ingenium est plerisque mortalium, tanta rerum felicitate immodicè elatus, in cœlum quoque ascendere super Pegaso voluit; quam arrogantiam Jupiter, omnis temeritatis gravissimus vindex, deprimendam esse ratus, æstrum illi equo immisit; quare recalcitrans, & in pedes assurgens Bellerophontem excussit, & in terram præcipitem deturbavit. Ipse verò

jam

jam effrenis, altiùs in æthera se librans, inter sidera est constitutus; quem ubi vidit Aurora, cum impetravit à Jove, ut ab illo vecta quotidianum conficeret cursum.

Ethica.

I. (*a*) Dedit Bellerophon locum adagio: *Βελλεροφόντης τὰ γεάμματα*, *Bellerophontis litteræ*; nempe commendatitiæ, ferenti pernicioſæ, quas vulgò *litteras Vriæ* vocant. Nam cùm eximiæ tam formæ, quàm castimoniæ juvenem *Stenobœa Prœti* Argivorum regis uxor deperiret, & nequicquam ad flagitium invitaret, dolore repulsæ, (ut in Sacra historia de *Iosepho* legitur) indignata, adolescentem, quamvis innocentem viro accusavit tanquam insidiatorem castitatis suæ. Quem cùm rex jure hospitij permotus nollet interficere, cum litteris eum ad *Iobatem*, Socerum misit, quibus occidendi Bellerophontis negotium illi dabat. Jobates cùm suo scelere, tum alieno imperio impulsus, aggreditur adolescentem (ut minimè suspicax est innocentia) honestò titulò perimere. Est enim ferè malorum hic Principum mos, pallium sceleri quærere, quod Saul cum Davide, & hic cum Vria fecit. Igitur adolescentis inflammat animum, suapte sponte ferocem ad periclitandas vires, gloriámque parandam: eique persuadet, ut cum Chimæra congrediatur, monstro, ut dixi, triformi, & omni circùm regioni terrorem incutienti. Hanc Bellerophontes, equo insidens alato, telo confixit, confecitque. Post alijs atque alijs periculis objecit juvenem Jobates, ex omnibus victorem redeuntem cùm videret, admiratus ejus fortitudinem, & ex eventu conjectans innocentiam, litteras Prœti ostendit, malitiosè ac perfidè scriptas; atque tantùm potuit æstimatio virtutis, ut filiam, quam habebat unicam, egregiæ formæ ac pudicitiæ puellam, ei desponderet, generum adsciscceret, & regni post se successorem. Adeò virtus fluctuare quidem potest, mergi non potest; sicut palma; *pressa resurgit*; Interrita est in periculis, infracta malis, invicta adversis, calamitatibus inexpugnabilis; ad laborem impigra, ad pericula fortis, ad consilia prudens, ad casum fortunámque felix. Virtuti vires ab hoste crescunt.

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feracis frondis in Algido
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animúmque ferro.

(*a*) *Virtus infracta in periculis.*

Gratior est ei victoria sanguine parta; neque nescit majora periculis esse præmia; atque ut hæc desint, sua laude contenta, ipsa sibi sufficit. Verum est illud

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Huc facit & illud alterius Poëtæ:

Quamlibet è medijs consurgunt lilia spinis;
Sic virtus ipsis crescit, ovátque malis.

Cujus rei luculentum documentum Bellerophontes extitit, cui innocentia fiduciam, fiducia fortitudinem, fortitudo felicitatem peperit. Initium ei victoriæ Sthenobæa fuit, hoc est, mulier in omne flagitium parata; quam ubi superavit, potuit cum Chimæra depugnare: dubites, utra palma fuerit difficilior, utra clarior: nam mulier lascíva, opibus ac potentiâ subnixa etsi blandior sit aspectu; est tamen ferocior insultu, nisi cedas volenti. Bellerophontis imagini symbolicè subscribas: *Vis & Virtus.*

II. (*b*) Quid est, quod *Pegasus*, ingenij ac eruditionis symbolum, ex horrido Medusæ capite, tabe fluente, ortum duxisse feratur? Difficilia sunt nimirum, artium omnium, præcipuè ingenuarum, initia, & horrorem incipientibus afferentia. Hoc videmus in puerulis prima litterarum Rudimenta auspicantibus; quot nominum inflexiones, verborum conjugationes, generum discrimina sunt addiscenda, tot istis videntur Medusea capita horrendo obtutu occurrentia. Deinde Pegasus ungulâ percussit terram, & fontem produxit Castalium, Musis consecratum; ut intelligas, pulsu & percussu, hoc est, labore ac contentione bonas extundi artes; meritóque Sapientia ac doctrina fonti comparatur à Salomone Prov. 18. *Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientiæ.* Et Siracides c. 21. *Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius, sicut fons vitæ permanet.* Ubi notandum, quòd fons suam concham primò impleat, deinde exundantem aquam diffundat, & cum alijs communicet: Sic & Sapiens primò mentem suam, deinde aliorum sapientiâ imbuit, juxta illud S. Bernardi: Ductor sit concha, non canalis, qui nihil aquæ retinet, sed totum, quod recipit, effundit. Equidem sicut aqua terram, plantas, animalia, homines sitientes irrigat, saturat, inebriat, vivificat, lætificat, fœcundat; ita Sapientia mentem pulcherrimarum rerum cognitione di-

(*b*) *Pegasus imago Sapientiæ.*

tat,

tat, ornat, efflorescere facit. Eleganter Horatius lib. 4. Od. 2.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensúsque ruit profundo
Pindarus ore.

Hinc etiam discis, nullam esse tantam difficultatem, quæ consilio & magnitudine animi superari non possit. Nihilque tam arduum, tamque inaccessum existere, quod ingenij dexteritate attingere, & assequi non queas. Vide Alciati emblema 14. Unde Bellerophonta dictum putans, quasi βελληφόροντα. sapientem consultorem vel τὰ βέλλεσα φόροντα mala ferentem

III. (*c*) Præterea Pegasum Aurora à Jove obtinuit; quô significatur vigilandum esse Sapientiam quærenti; est enim, juxta adagium, *Aurora Musis amica.* Sapientissimus regum profatur: *Qui de luce vigilaverit ad illam* (Sapientiam) *non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet* Sap. 6. Est enim tempus matutinum aptissimum disciplinis hauriendis; *assidet* quasi *Sapientia foribus*, dum ultro affluunt optima sensa menti; quæ alio tempore multo labore conquirenda. Manè corpus omne studijs habilius, caput defœcatum, stomachus exoneratus, tempus quietum, animus à diurnis negotijs vacuus, vegetiores omnes sensus. Hinc aurora in essedo, Pegaso & gallo illud trahente, facem manu extollens pingitur, cum lemmate: *Doctrinæ præco.* Veteres docebant, ad auroram cum Diis versandum; quibus illud solenne: *à Iove principium.* Credebant enim Jovem primô manè operam dare hominum audientiæ. Hinc Æneid. 11. Æneas

Vota Deûm primô victor solvebat Eoô.

Id est, principio diei; quod maximè faciendum Musarum cultoribus, quarum, ut *apertas*, quod dicitur, *Ianuas habeant*, summo mane pulsent eas. Et Manna illud cœleste Exod. 16. ante solis ortum erat colligendum. Sic dulces litterarum fructus gustantur ab illis, qui surgenti soli vel Auroræ *matutinum* ferunt *Ave*, quod suis olim Patronis Romani clientes factitabant.

IV. (*d*) Sed cur *alatus* Pegasus, & in cœlum evolans, ibique sideribus additus dicitur? Hic doctrinæ volatus est, præsertim si altera illi sit ala, virtutis scilicet, conjuncta; Pennas addit *Fama*, & gloria in terris propagata. Venusinus lib. 2. Od. 2.

Illum

(*c*) *Aurora Musis amica.* (*d*) *Pegasi in cœlum translatio, & ala, denotant honores litterarum.*

Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

Ita pennatus Pegasus insessores suos in altum extollit humô, & quod idem Poëta canit Od. 1. lib. 1. *secernit populo & Dijs miscet superis.* Quis enim nescit, quibus honoribus ubique gentium affecti sint viri Sapientes? Ennius certè Poëta moriens, vetuit *decorari lacrimis funus*, quòd diceret, volitare se per ora virûm, tanquam inextinctum. Defuncti statuam Scipio Africanus sepulchro suo imponi jussit, ut indicaret, inter mortuos stare, viveréque virum doctum. Platoni in Siciliam venienti Dionysius tyrannus, quamvis ad superbiam, sævitiámque natus, navim misit obviam regio splendore apparatam. Et egredientem, in littore aureis quadrigis excepit, atque in urbem Syracusas triumphabundus induxit. Plutarch. Ad *Livium* Romanæ historiæ scriptorem visendum, è remotis regionibus accursus fuit. Virgilio in theatro carmina recitanti, universus populus Romanus, perinde ac Imperatori Rom. assurrexit. *Zenonem* philosophum Athenienses tanto honore prosecuti sunt, ut apud eum claves urbis deponerent, ipsúmque ornarent aureâ coronâ & imagine ærea. Laërtius. Ut adeò meritò *Eupheme* Musarum nutrix fuisse feratur. Pausan. in Bœoticis. Nam hæc *Bonam Famam* seu *Gloriam* significat; quô Ciceronis illud confirmatur: honos alit artes, omnésque incenduntur ad studia, gloriâ. Vnde ille litterarum amore incensus Poëta:

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
Non venit è facili lecta corona jugo.

Confirmat hanc explicationem Pierius in hieroglyphicis, *Famam* per *Pegasum* denotari docens: esse eam è Medusæ capite ortam, terrotis utique plenam; nam plurimos absterret litterarum labor: sed hunc metum qui vicerit, ejúsque primo terriculo quasi caput amputaverit, cum velut Pegaso quodam in altum evehi, & spectandum cum admiratione reddi. Fontem autem Pegaseâ ungulâ in Parnasso excitatum, ait esse Symbolum, quod homines sapientes propinent hinc argumentum alijs de se scribendi, ipsíque tingant suum calamum ad illustria aliorum facinora celebranda, & famam extendendam. Confirmat hæc omnia Ecclesiasticus cap. 39. loquens de viro sapiente: *Collaudabunt multi Sapientiam ejus, & usque in seculum non delebitur: non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem.* Pegasus *alatus* insuper indicio est, *esse suis pennis*, quod proverbio fertur, *volandum*, hoc est,

est honoribus, ingenio & industriâ sibi comparatis, non alienis, vel pecuniâ emptis superbiendum. Nam *Ingenium* Pegasus est: ejus alæ sunt celeritas inveniendi, & rationes ad aliquid demonstrandum, excogitandi. Procul hinc Trossuli, quorum pilei volant pennis & cerebra stupent plumbo. Pegasus inter *astra* radiat, quia Docti stellis comparantur, Danielis cap. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti.* Nam & suo illustrantur ingenio, & lumen dividunt in alios. Hæc de Pegaso. Redimus ad Bellerophontem & Chimæram.

V. (*f*) Pugna Bellerophontis ac victoria adversùs monstrum triforme, videtur ostendere, quale certamen pro Castitate contra Libidinem sit suscipiendum; quæ repræsentatur per hoc portentum, de quo Ovid. 9. Metam.

----- medijs in partibus *hircum*
Pectus & ora *leæ*, caudam *serpentis* habebat.

Flammas ore vomuisse Virgilius autor est 6. Æneid.

----- flammísque armata Chimæra.

Et Horatius Ode 17. lib. 2. vocat Chimæræ spiritum igneæ. Nimirum Amor impurus cum impetu & ferocia (agnoscas *leonem*) invadit hominem; ut *hircus* progreditur, & in occupato jam pectore petulanter lascivit; deinde aculeos doloris & pœnitentiæ post se relinquit, *Draconem* putà seu *colubrum*, in fine mordentem. Est verò *Libido* commotio Voluptatis turpis, repugnante ratione excitata, & occultus quidam igniculus, quo pectus semel afflatum ita æstuat, ut, tanquam oleum igni sit additum, ardere non cesset, donec potiatur ejus, quod concupiscit. Et hic ipse est, quem *Cupidinem* vocant, qui est ipsô Vulcanô, ut vir eruditus loquitur, ardentior, quippe cujus origo est ignea, processus errans, exitus pœnitendus. Nec frustra hic leo vomit ignem; de quo Hieronymus in epistolis: ô ignis infernalis, luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla, prava colloquia: cujus fumus infamia & immunditia, cujus finis gehenna. Quòd verò mediam Chimæræ partem *Caper* seu *hircus* constituat, quid aliud innuitur, quàm fœtor libidinis? est enim hoc animal (quod Plinius asserit) in Venerem immodicum; unde Horatius lib. 2. Od. 10. de Sacrificio Bacchi.

Libidinosus immolabitur caper.

Et alibi vocat *olidas capellas*: & capram, uxorem *fœtentis* mariti. Virgilius appellat hædos *petuleos*. Proverbiô dicitur: *hircum olet*. Spurcissimum enim vitium est impura voluptas. Seneca de brevit. vitæ, c.

(*f*) *Chimæra Symbolum impuræ libidinis.*

6. *Nulli turpiùs occupati sunt, quàm qui libidini vacant. Cæteri tametsi vitiò teneantur, speciosè tamen errant. In Venerem ac libidinem projectorum inhonesta labes est.* Pausanias apud Pierium testatur, simulacrum Veneris olim hirco insedisse.

Cæterùm Chimæra in draconem desinens, ostendit amoris impuri tristem exitum. Nam sicut dracones & serpentes quidquid implicant caudatâ spirâ, haud ampliùs dimittunt: ita Venus, quos suis lenocinijs & artibus, tanquam spiris, irretivit, miserrimè torquet & cruciat. Id quod expertum est quoddam ejus mancipium apud Plautum in Cistell. cujus hæ sunt querelæ.

Credo ego amorem primam apud homines carnificinam commentum:
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animis
Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser,
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo; ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus,
Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat: largitur, quod dat, non dat, deludit.

Vides hîc venenatæ caudæ spiram, alijs & alijs orbibus convolutam. Quò etiam pertinet, quod Horatius lib. 2. Od. 27. occinit adolescenti improbis amoribus implicito:

Quanta laboras in charybdi,
Digne puer meliore flamma!
Quæ Saga, quis te solvet Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Hoc draconis hujus, libidinis inquam, volumine innexi & implexi hærent Veneris columbuli. Verè Sapiens in Proverbijs, cap. 5. *Favus distillans labia meretricis* (Voluptatis) *& nitidius oleo guttur ejus: novissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps.* Et rectè Cassiodorus lib. de amicit. Citò præterit, quod delectat, & permanet sine fine, quod cruciat. Minatur Apostolus Ephes. 4. impuræ voluptatis amatoribus: *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Parit etiam impudicitia desperationem, desperatio condemnationem, condemnatio pœnas sempiter-

piternas. Explicat gloſſa in Jobi cap. 31. orbes & ſpiras has ſerpentinas: Viſum inquit, ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio. Relege veſtigia luxuriæ: quid reliquit, ubi voluntas aſſenſu deliquit, niſi mœſtas & turpes in memoria imagines, opacas in intellectu tenebras, tetram in voluntate nauſeam, fœda in ſomnis ſpectra: infamem in nomine notam, immenſum in toto homine ob præterita mœrorem, ob præſentia pudorem, ob futura horrorem. En quibus flexibus hoc firma ſerpentinum volvatur; quò abſinthio hic favus & mel temperetur.

VI. (*f*) Quare ſi ſapis, Bellerophontem imitare, conſcende Pegaſum, arripe Mercurij frameam, decerta ſtrenuè adversùs Chimæram; ne terreat prima fronte occurrens *leo*, furioſæ, inquam, vis libidinis. Generoſo contemptu hoc *pecoris bonum*, ut Seneca loquitur, vincitur; regat ratio appetitum, & altior, velut in Pegaſo eminens attendat, quid honeſtas velit, non quid inconceſſa voluptas ſuadeat. Moveant exempla in hac palæſtra præcedentium: *potuerunt illi & illæ*, fac tu quoque ut poſſis. Poſt leonem *hircus* ſuperandus; fœtor ipſe abſterreat, & infamia vitij turpiſſimi, ipſis etiam, quos tenet, exoſi & erubeſcendi. Jam *gladio Mercuriali*, hoc eſt, obfirmata voluntate non peccandi (Joſephum Ægyptium cogita) *draconis* eſt cauda truncanda; ſcilicet titillationum initia præcidenda, hoc eſt, primæ cogitationes repellendæ, ne in ſpiras multiplices & nodos inſolubiles, delectationes, aio, & deſideria lethifera, girentur & implicentur.

VII. (*g*) Quid autem ſibi vult, quòd Bellerophon excuſſus Pegaſo, ſordidam humum mento premat? diſcant hîc modeſtiam illi, quos vel doctrina, vel conſcia virtus, ſublimiùs attollit. Pauli dictum eſt 1. Corinth. 8. *Scientia inflat.* Securè vis inequitare Pegaſo, frena curioſitatem *ſciendi*; ut ſi tibi videris ſapere, cogita multò plura eſſe, quæ neſcis, quàm quæ ſcis. Septem illi Græciæ Sapientes etiam inde hoc nomen meruerunt, quòd aureum tripodem nemo eorum ſibi ſervare voluerit, ſed Delphos ad Apollinem remiſerint. Cujuſcunque doctrinæ flumen ſis, redeat hoc in ortum ſuum, hoc eſt, Deum. Deinde Bellerophon caſtus, alato dejectus equo hoc quoque te doceat, ut memineris haud paucos poſt accerrimas pro virtute & integritate pugnas depugnatas, poſt reportatas à Libidine victorias, poſt liliatos Caſtitatis

(*f*) *Adverſus Chimæram ſeu turpem libidinem quomodo pugnandum.* (*g*) *Caſus Bellerophontis modeſtiam docet.*

triumphos, in ſubactæ voluptatis impuræ cœnum fuiſſe relapſos. *Qui ſtat, videat, ne cadat.*

SYMBOLVM XXVI.

Pierides à Muſis devictæ, in picas abeunt.

5. Metam.

Ethicè.

1. Feminarum loquacitas & levitas. 2. Sapientiæ comes Caſtitas. 3. Litterarum utilitas & oblectatio. 4. Muſæ ſeceſſum amant. 5. Apollo, cur Muſarum Præſes.

Muſæ nomen vel à *cantu* habent, vel, ut aliqui volunt, ἀπὸ τῆς μώσεως, ab *inquiſitione*, Jovis & Memnoſynes ſeu *Memoriæ*, filiæ; quarum Præſes Apollo. Variæ à varijs rebus appellationes ſortitæ ſunt; nam à *montibus* Parnaſſides, Heliconides, Aonides dicuntur: à fontibus Pegaſides, Hippocrenides, Aganippides, Caſtalides, Libethrides, Pimpleides vocantur; à *regionibus* & *oppidis* Sicilides, Theſpiades &c. à matre Memnoſynides appellantur; Pieridum verò cognomentum adeptæ ſunt, quòd *Pieri*, viri cujuſdam prædivitis filias, ſecum certare canendo auſas, in picas mutârint. Sic olim Imperatores Romani à ſubactis à ſe populis nomina ſibi Cretici, Africani, Parthici ſumebant. Illius porrò victoriæ præmium mons erat Parnaſſus: Judices ab utraque parte ſederant Nymphæ, ſilvarum incolæ.

Argumentum cantûs Pieridibus à Gigantum adversùs ſuperos expeditione ductum eſt, eo quidem eventu, affectúque, ut multa tribuerent illorum fortitudini; Deos verò pudendæ formidinis arguerent, qui quærendæ ſalutis ergò, diverſas & ridiculas animalium formas induerint, nimirum Jupiter in *arietem* migrârit.

Delius in corvo, proles Semeleja capro,
Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Viciſſim Muſæ laudes Deorum, præcipuè Cereris cecinerunt. Finito carmine, victoria penes Muſas, ſententiâ Nympharum ſtetit. Quarum judicio cùm non acquieſcerent Pierides, ſed ultro victrices ſorores con-

contumelijs ac minis inceſſerent, ſubitò in *picas* ſunt verſæ, & quod Poëta canit:

Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,
Raucáque garrulitas, ſtudiúmque immane loquendi.

Ethica.

I. (*a*) Refertur hæc fabula in feminarum loquacitatem ac levitatem; quid enim notius, quàm picarum garrulitas, & inquieta per ramos arborum deſultatio? Salluſtius de Sempronia Gracchorum matre: noverat pſallere, ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ. In quare multas imitatrices habet, quas juvat ad numeros, leviculos movere pedes, & viros fatigare ſaltando. Atque hæ volucres, hominum fidem! quot ubique pullos excludunt! in qua domo aut familia non eſt reperire ejuſmodi *picas*, arrogantes, garrulas, ſaltatrices, convitiatrices? Juvenalis de harum inter ſe conſortio:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulſari,

Quibus verbis alluſit ad *æs Dodonæum*, quod in Proverbium de loquacibus abijt. Tradunt enim, in nemore Dodonæ urbis, regionis Chaoniæ, vicino, Jovíque ſacro, duas columnas fuiſſe; in una quidem poſitam pelvim æneam: in altera penſile ſimulacrum pueri, flagellum æneum manu tenentis; quoties autem ventus vehementior flaret, factum eſſe, ut ſcutica impulſa crebriùs lebetem feriret, íſque percuſſus tinnitum redderet, totâ Silvâ reſonantem. Hoc taxantur homines impendiò loquaces, præſertim feminæ, quas ſi verbulo tangas, continuò tam multiplici ſtrepitu perſonat linguæ crepitaculum aut tintinnabulum, ut totis ædibus, imò plateis audiatur. Aliud ad hanc fabulam adagium pertinet: *Pica luſciniam*, ſcilicet provocat, quod in eos convenit, qui longè impares arte vel ingeniô, audent peritos ac doctos in certamen vocare. De quo in Marſya egimus.

II. (*b*) Pulchrior à Muſis tam doctrina, quàm eruditio petitur, quæ Cupidineis intactæ ſagittis, perpetuam virginitatem colunt; nempe *Sapientia* & *Caſtitas* ſorores ſunt. Salomon in Prov. c. 7. *Dic Sapientiæ, ſoror mea es: & Prudentiam voca amicam tuam.* Eſt enim ſtudium litterarum ac ſapientiæ optimum remedium ad fugiendam libidinem, & caſtitatem ſervandam; quia mens occupata ſtudio, non cogitat de ob-

(*a*) *Feminarum loquacitas & levitas.* (*b*) *Sapientia comes caſtitas.*

scœna voluptate, meliore oblectamento capta. Hinc Sapiens post verba hîc posita, subjunxit: *Vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.* Scilicet à pellaci voluptate. Notum est, quod de S. Gregorio Nazianzeno legitur; cui per visionem sese quasi amicas obtulerunt *Sapientia* & *Castitas*, specie duarum virginum sororum, quarum utriusque amore mirificè capiebatur; potuitque illud Salomonis meritò de se usurpare: *In amicitia illius* (Sapientiæ) *delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione.* Sap. 8.

III. (c) Musæ se invicem manibus, velut ad choreas ineundas, *complexæ*, sunt *Artes Liberales* inter se, tanquam *sorores* connexæ; Inde Musis hoc nomen mansit; quas aliqui volunt dictas, quasi ὁμῦ ἔσας, *simul existentes*, conjunctæ, ac sociatæ; hinc *Encyclopædia*, id est, scientiarum orbis seu circulus. Quod autem *hilares*, & quasi choream ducentes, aut manibus instrumenta Musica tenentes fingantur ac pingantur, innuitur Voluptas ingenua, quæ ex litterarum studijs hauritur. Nam litteræ juvenibus sunt necessariæ, senibus jucundæ: pauperibus opes suppeditant, opulentis adjungunt ornamentum: in rebus adversis solatio sunt, in secundis gloriæ: claro natis genere splendorem augent: obscuris origine, claritatis initium conciliant. De litterarum laudibus & jucunditate egregiè Muretus Orat. 2. Neque verò, inquit, pertimescendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris, qui ætatis suæ florem litterarum studijs dedicandum esse statuerunt. Tanta siquidem est oblectatio, paulatim acquirendâ cognitione rerum sese pascentis animi, ut, eâ qui perfruuntur, ab ijs neque laboris tœdium, neque avocantium voluptatum blanditiæ sentiantur. Itáque sapienter Poëtæ cùm cæteros Deos omnes Veneris imperio subdidissent, in Minevam modò, & in studiorum præsides Musas nihil ei, nihil Cupidini juris esse voluerunt. Quanta autem voluptas ea, quæ discendo sentitur, major sinceriórque sit, vel illud indicio est, quòd aliarum, etiam qui illis plurimùm tribuunt, satietatem tamen quandam esse, ac tœdium, confitentur; hujus ut quisque percepit plurimum, ita eam acriùs atque avidiùs concupiscit. Hæc vir ille doctissimus. Sensit hanc voluptatem Maro, qui 2. Georg.

Me verò primum *dulces* ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero, ingenti perculsus amore,
Accipiant, cœlique vices ac sidera monstrent.

Quod eò explicare possumus, ut qui hoc studio afficiuntur, à blandis

(c) *Litterarum utilitas & oblectatio.*

dis illecebris sint immunes, rectóque virtutis tramite ad astra tendant, neque se brutarum Voluptatum sordibus inquinari patiantur. Et Tullius in Lucullo: Est enim animarum, ingeniorúmque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio, contemplatióque naturæ, qua erecti humana despicimus, cogitantésque supera ac cælestia, hæc nostra ut exilia & exigua contemnimus. Accedit Plinius, qui in epistola ad Maximum: Et gaudium, ait, mihi, & solatium in litteris; nihílque tam lætum, quod his lætius: nihil tam triste, quod non per has sit minùs triste &c. Eloquentissimus Oratorum in orat. pro Archia Poëta: Hæc, inquit, studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

IV. (*d*) Præterea Musæ sunt incolæ *Heliconis*, & aliorum montium; vel quia sublimes & arduæ, quas vulgus iners non capit; vel quia doctrinarum avidi à civili tumultu se abdere in Solitudinem consuevetunt. Hinc litterarum studium vocatur *Otium*, hoc est, ab alijs occupationibus vacatio. De quo Cicero: Quid dulcius est otio litterario? id est studio, &, ut ita dicam, negotioso otio. Benè Petrarcha Dial. 21. Duas, inquit, otij species definiunt: Operosum alterum, atque in ipsa requie laborantis, ac circa honesta studia solliciti, quò nihil est dulcius. Alterum inertis & languidi, & solam requiem complexi, quò nihil fœdius, nihil similius est sepulchro. Quod Ovidius de Poëticis asserit, hoc de cæteris quoque litteris intelligendum:

Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.

De hoc secessu eleganter Quintilianus lib. de Oratorib. Me verò dulces, ut Virgilius ait, Musæ remotum à solicitudinibus, & curis, & necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa *Sacra*, illósque *Montes* ferant; nec insanum ultro & lubricum forum, famámque pallentem trepidus experiar. Non me fremitus salutantium, nec anhelus libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quàm quod possim, cui velim, relinquere, quandocunque fatalis & meus dies veniet, statuárque tumulo non mæstus & atrox, sed hilaris, & coronatus. Doctè & ab experientia Romanus Philosophus: Inimica est multorum conversatio. Convictor delicatus paulatim enervat & emollit; Vicinus dives cupiditatem irritat; Malignus comes quamvis candido & simplici rubiginem affricuit. Ego secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus; & primùm à rebus

(*d*) *Musa secessum amant.*

bus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo. Epistol. 7. & 8. Quàm multos à sapientiæ studio impediunt circumvolantes picæ, negotia inquam, quæ facessunt turbæ domesticæ, & harum motrices feminæ. *Beatus ille, qui procul his negotijs.*

V. (e) Apollo Musis præsidet, quia *Sol*, id est, *Dies*, & *Deus* favent studijs; ille lumen oculis; hic menti suppeditat. Testatur hoc Seneca ad Lucilium, epist. 16. Litteræ formant animum & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant, sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuum dirigunt cursum. Confirmant hæc sacræ sapientiæ antistites: *Diligite lumen sapientiæ* ait Salomon Sap. 6. & Siracides cap. 1. orditur suas ad sapientiam institutiones his verbis: *Omnis sapientia à Domino Deo est.* Et Musæ licet virgines sint, non tamen omnis labendi periculi expertes sunt; nam & superbiâ nimiùm insolescere, & vanitate vilescere possunt. Opus igitur Rectore, & quidem perspicaci, qualis Apollo seu Phœbus est, omnia lustrans, omnia penetrans. Quod nisi fiat, quoties longo vel carmini, vel orationi, vel scriptioni unica deerit syllaba, scilicet *Mens*, seu *judicium*! nihil delicatius concentu, quem profitentur Musæ.

(e) *Apollo seu lumen, Musis est necessarium.*

SYMBOLVM XXVII.

Proserpina, Cereris filia, à Plutone rapitur.

5. Metam. Claudianus de Raptu.

Ethicè.

1. Castitas indiget Custodiâ. 2. Voluptatis lenocinium. 3. Castitatis periculum in hortis. 4. Insidiæ castitatis.

VNica proles erat Cereri, frugum Deæ; nomine *Proserpina*, flos ætatis & castimoniæ. Hanc, in Phrygiam abitura parens, reliquit in Sicilia insula, tutissimo, quemadmodum rebatur, munitissimóque loco adversùs procos servandam: monitis ei datis, ne quà se absente prodiret unquam & usquam. Venus, ut est insidiosa juventutis venatrix, cùm Virginem vetitis amoribus irretire desperaret, excitavit inferos, & Plutonem ipsum, Erebi regem, in desiderium rapiendæ puellæ accendit,

accendit. Atque ut aſtus tantò ſuccederet expeditiùs, *Palladem* ac *Dianam* virgines (ne ulla ſequior Proſerpinæ ſuſpicio relinqueretur) adjungit ſibi comites, & ad filiam Cereris, arci firmiſſimæ incluſam, ſe confert. Inveniunt intentam operi, & Phrygia pingentem acu. Fiunt ultro, citróque ſermones; denique blandis affatibus eò pertrahitur puella, ut cum Deabus (quid enim ab his metueret?) prodambularet in prata, vario flore ridentia. Quid multis? dum hilaris & ſecura ſui, comitum ad exemplum omnis generis floſculos legit; res horrenda!

Talia virgineo paſſim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronáque vibratis radicibus, oppida verti.
Cauſa latet,

Nempe Palladem & Dianam, magis etiam Proſerpinam; at non perinde Venerem inſidiarum autorem.

---- dubios agnovit ſola tumultus
Diva Paphi, miſtóque metu perterrita gaudet.

O malè fida ſecuritas! Inter violaria & roſeta ſubito ſe pandit hiatu tellus, apparet terribili forma tyrannus orci, flammanti ſublimis eſſedo:

Diffugiunt Nymphæ, rapitur Proſerpina curru,
Implorátque Deas.

Sed fruſtra. Nihil ægide Pallas, nihil arcu potuit Diana;

Raptor agit currus, & nomine quemque vocando
Exhortatur equos, quorum per colla, jubáſque
Excutit obſcura tinctas ferrugine habenas,
Pérque lacus altos, & olentia Sulphura fertur.

Prô miſeram Proſerpinam, fruſtra plorantem & quiritantem:

Exul ad immanes Erebi detrudor hiatus,
Et mihi virginitas pariter, cœlúmque negatur:
Eripitur cum ſole pudor, terríſque relictis
Infelix Stygio ducor captiva tyranno:
O malè dilecti flores, deſpectáque matris
Conſilia! O Veneris deprenſæ ſeriùs antes!

Ethica.

I. (*a*) Ceres fecit, quod ſollicitas, piáſque matres facere par eſt,

(*a*) *Caſtitas indiget cuſtodiâ.*

filiam incluſit arci perquàm munitæ ; theſaurus enim eſt virginitas , & providentiſſimâ curâ cuſtodiendus. Sed ô nimiùm ſæpè, etiam in clauſa ſeris penetralia, inveniunt aditum doli. Vetus dictum eſt , *nullam ſat firmam pudicitiæ cuſtodiam eſſe , niſi ſeipſam tutetur.* De Danaë, Acriſiorum regis filia, ſuprà retulimus, quibus modis ad eam ſit illapſus impurus Jupiter. Si non auro, aureis certè verbis ac blandimentis pudicitia expugnatur. Proſerpina quàm laudanda fuit , caſtitatis præſidium à manuum opere, petendo: tam vituperanda eſt, quòd immemor inſtitutionis maternæ, præbuerit aurem Cypridi , vetita ſuadenti. Caſtitas, ut quidam ſcribit, ſimilis eſſe debet animalibus illis Apocalypticis , antè retróque oculatis ; Sui ſint oculi manibus,ut videant,quid attingant : ſui ſint oculi pedibus, ut attendant, quò ingrediantur : ſint auribus , ut advertant,quid inſtilletur : ſint oculi linguæ,ut perpendant, quid loquantur : ſint tergo,ut provideant periculis: ſint toti denique corpori, & in ipſis oculis oculi,ut caveant illicita. Tertullianus cap. 10.de pudic. comparat caſtum cũ funambulo,qui tenuiſſimum funem,pendente veſtigio,ingreditur: *Carnem ſpiritu librans , animum fide moderans, oculum metu temperans, nequa illata carnis vacillatio , animi avocatio , oculi evagatio , de tenore decuſſerit.*

II. (*b*) Alterum à ſeducta Proſerpina documentum : *Illecebroſa in campos invitatio.* Nunquam ſui ſecura , præſertim feminarum , prodit caſtitas ; tum verò minimè , cùm ad hortos & flores vocatur ; carpitur cum roſis virginitas. Voluptatis doloſè blandientis verba Poëta recentior exhibet , quam ita proſâ loquentem inducit : Quiſquis es , quem formoſa delectant , ſubi noſtrum nemus , in quo Gratiæ ludunt , & Gaudia choreas agunt: manat vivi fluminis argentum , totámque Cyprin perluit. Aquæ in amoris orbem confluunt, attritæque pretioſis conchis , muſico concentu ſolvuntur in bullas. Propter ripas felix hortus panditur , refertus aureis malis , ſonoras loquacibus nidis volucres delectæ , à Maio & Chloride docentur , enarrant dulciſſimè , quidquid didicerint ; audias ibi continuò vel propempticon alaudæ , vel epithalamium philomelæ , vel leſſum cygni : pluit floribus primæ ætatis ; candida Syntheſis liliorum perpetuò durat : eteſijs clementibus mulcentur arbores ; Zephyrus unicus colonus exercet areolas , & fœcundo ſuſurro criſpat platanorum nutantia folia ; omnia in Venerem vivunt. Succede horto , & fruere delicijs. Ita capitur incautus pudor , & miſerè deperditur. Jac. Balde in Notis ad lib. 1. Batrachiom. Hoc ipſum Voluptatis lenocinium diſertè more ſuo exponit Ambroſius lib. 1. de Cain. c. 4.

(*b*) *Voluptatis lenocinium.*

c. 4. Ipsa (Voluptas) in medio stans: bibite, inquit, & inebriamini, ut cadat unusquisque, & non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus: ille meus est, qui suus non est: ille mihi gratior, qui sibi nequior. Lenam hanc describens Claudianus, canit:

Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla;
Interiùs fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumligat hydros.

De hujusmodi lenocinatricibus Plautus in Trucul. In melle, ait, sunt linguæ vestræ, atque orationes lacteæ; corda in felle sunt sita atque acerbo aceto; è linguis dulcia dicta datis, corde amara facitis. Hoc melle demulsa & decerpta Proserpina, in Orci rapaces ungues incidit ibi, ubi timebat minimè; nempe

Carmina cygnorum labentibus audit in undis,
Silva coronat aquas, cingens latus omne, suisque
Frondibus ut velo Phœbœos submovet ignes,
Frigora dant rami, varios humus humida flores:
Perpetuum ver est. quo dum Proserpina luco
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit,
Dúmque puellari studio calathósque, sinúmque
Implet, & æquales certat superare legendo,
Pænè simul visa est, dilectáque, raptáque Diti.

III. (c) Tanti constitit in memora & hortos, jam olim Cypridi consecratos exisse, & quidem in Dearum ac Nympharum comitatu. Inter flores ô quoties defloresçit pudicitia; dúmque credit rosas & lilia se legere, in Floram ac Floralia delabitur. Violatæ inter violas castitatis non jam fabulam, sed historiam accipe. Matronam forma pariter ac nobilitate præcellentem, absente viro, procax juvenis deperibat. Cùm inflectere pudicam non promissis, non blanditiarum frequentatione posset, vetulam convenit consilium capturus. Hæc lenocinij præmiô auditô, ad Sollicitatam pergit: Inter viridaria colloquitur; unà secum catellam multo pipere, sinapíque, post longam esuriem devoratô, lacrimantem adducens. Miranti, scisçitantíque fletûs in catella causam, mentitur, hanc filiam fuisse suam, nunc (inaudita in caniculam metamorphosi) veterem culpam luere, quòd amoris mutui pertinaci repulsa, juvenem amatorem ad necem adegisset. Caveret proinde pudicissima, ne sideribus iratis, in eadem catellæ fata incideret, quæ duritiem proco eandem exhiberet. Suasit simplici, persuasit improbæ, dictavit

(c) *Castitatis periculum in hortis.*

ctavit flagitium sceleratæ, nefanda Dipsas. Bisselius in delicijs Veris. Et hoc in hortis, de quibus graviſſimus Petrarcha Dialog. 18. Videas, inquit, honeſtæ pariter, inhoneſtæque voluptatis ſtudioſos umbroſis ſeceſſibus delectari. Nam & ingenium in alijs locus excitat, & alios ad laſciviam exhortatur. Nec de nihilo eſt, quod ſummus Orator dum infeſto reo adulterium obijceret, amœna, in quibus commiſſum eſſet, loca deſcripſit, quaſi ad flagitium ſtimulos. Secretum Tiberij viretum, & ſeceſſum Capreæ (inſulæ) quis ignorat? pudet, pigétque exſequi, quibus probris ſenex ille hircinus ea loca infecerit. Hæc Petrarcha Ad Proſerpinam redimus, de qua Poëta:

Hæc ſociat flores, ſeséque ignara coronat,
Augurium fatale thori,

Videlicet *Plutonij*, quem flores legendo & corollas nectendo ſibi conciliavit. His ſertis, tanquam hederâ, venalis fit pudor. *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, inquiunt laſcivi juvenes illi Sap. 2. Meritò profectò timent marcorem floribus ſuis: citò námque præterit voluptas, &, quod emortuis roſis contingit, in fimum deſinit. Nec fruſtra Venerem roſis coronabant Priſci, quia cum roſis conjunctæ ſpinæ, nunquam non puncturæ in orciniano thalamo. Roſa, ſi fas eſt fidem adhibere Poëtis, primitus candebat, nec antè rubuit, quàm ſanguinem è pede Cypridis ſpinam calcantis, traxit. Hos aculeos figit in ſubito ſibi pectore Venus. Rubent, inquit Fulgentius, impudici verecundiæ opprobrio; punguntur peccati aculeo. Quantum diſcriminis attulerit hortus Suſannæ, SS. litteræ teſtantur.

IV? (*d*) Admonet inſuper hæc fabula pravæ ſocietatis cavendæ. Deæ ac Nymphæ, Proſerpinæ comites, miſeram puellam, in rétia Plutonis, velut illices aves traxerunt. Haud novum eſt hoc aucupandi genus, cuius ſapiens meminit Prover. 7. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* Et ſubdit: *ſtatim eam ſequitur* (juvenis) *velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quòd de periculo anima illius agitur.* Hæ naſſæ & laquei verbis, oculis, capillis, & laſcivo corporis ornatu tenduntur. Sic enim lena in his aucupijs exercita apud Comicum:

---- hic noſter quæſtus aucupij ſimillimus.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum,
Aves aſſueſcunt, neceſſe eſt facere ſumptum, qui quærit lucrum;

Sæpè

(*d*) *Inſidiæ Caſtitatis.*

Sæpe edunt: Semel si sunt captæ, rem solvunt
Aucupi. Plautus in Asin.

Quod si cantus accesserit, notum est illud Martialis:

Non tantùm calamo, sed cantu fallitur ales,
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Ejusmodi aucupes sunt juvenculi citharædi, plateas obeuntes, & castitatem fidibus expugnantes. Ejusmodi aucupatrices sunt juvenculæ, unguento delibutæ, *quasi columbæ ad fenestras* Isa. 60. Scilicet prospicientes, & prætereuntes in odorem, imò fætorem impuræ cupiditatis allicientes; donec, quod Proserpina experta est:

Eripitur cum sole pudor, cœlóque relicto
Infelix stygio raptatur præda tyranno.

SYMBOLVM XXVIII.

Iambos puer in stellionem mutatur.

5. Metam.

Ethicè.

1. Procacitas & petulantia puerilis. 2. Pueri indulgentiùs non habendi. 3. Stellionis natura cum nequam puero comparatur.

CEres amissam Proserpinam filiam per omnes terras atque maria indefesso quærens studio, tandem tot itineribus, & labore fessa, delata est ad humilem casam, pulsatisque foribus, prodeuntem anum poposcit frigidam, restinguendæ siti per tanta viarum spatia collectæ. Hospitalitatis non immemor anicula, lympham roganti promptiore magis animo, quàm manu exhibet; (longiùs enim distabat puteus, anili gressu tardiùs adeundus) loco frigidæ suppetebat dulcis quidam liquor, è melle & polenta seu farina hordeacea, temperatus. Sapuit is haustus sitibundæ Divæ, cóque paulò liberaliùs ora proluit. Conspicatus hoc *Iambos*, petulantis & impudentis linguæ puer, non satis habuit cachinnis excipere bibentem, insuper convitia addidit, & peregrinæ Deæ intemperantiam exprobravit. Non tenuit iracundiam Ceres, quod reliquum erat in poculo, in faciem irrisoris effudit. Et ecce, quot guttis, tot maculis os improbum scurræ consperfum est, subitóque in stellionem bestiolam, è lacertarum genere venenatam transijt.

Ethica.

I. (*a*) Aſpice ſis hunc puerum protervum, procacem, petulantem, contumelioſum, ſannionem. Hoc ſolet malè educata pueritia, ciconiam à tergo pinſere, hoc eſt, crebriore digiti indicis, aut colli motitatione, ciconiæ roſtrum, ludibrij causâ, imitari: oppoſito temporibus pollice, aſininas auriculas effingere: medium digitum oſtendere: vel, (quod hodie ſannæ genus eſt, & *ficus* vocatur) pollicem inter medium digitum & indicem porrigere: vel linguam, ſitientis inſtar canis exertare: vel dicterijs ſcurrilibus & convitijs laceſſere. Hiſtoria S. de Bethelienſium pueris memorat, eos irriſi ſenis Eliſæi pœnas urſis duobus è ſilva prorumpentibus, & quadraginta duos diſcerpentibus dediſſe. 4. Reg. 1. Quam cædem more ſuo facundè exponit Stengelius de divin. judicijs tom. 2. c. 15. Ejus verba tametſi pluſcula juvat hîc apponere. Habent, inquit, parentes, quid mereantur apud divinum tribunal, ſi liberis ſuis indulgent, ſi diſſimulant ſarcaſmos; ſi etiam ad dicteria jacienda inſtruunt: ut ſenes calvaſtros, rugoſas anus, ſervos & ancillas convitijs aſpergant: ut illos cæcos, ſurdos, mucoſos; has veneficas, vetulas, Cerberi ſponſas aut ſilicernia; illos maſtigias, verberones, nebulones: has meretrices, proſtibula, orci pabula appellent. Eliſæum vatem *calvum* appellavere Bethelienſes, & pueri erant: & in campis nugabantur: & tempore exiguo, ac vix ſcomma hoc bis effuderunt in tranſeuntem. Et ecce, Deo judice, quadraginta parentibus ſuis chariſſimi filij, deliciæ matrum, ſpes poſteritatis; quódque eſt miſerabilius, *pueri parvi*, ab urſis non occiduntur modò, ſed etiam *lacerantur*, ut nullius cadaver poſſet dignoſci, nullius corpus in patrium ſepulchrum inferri, ſed neceſſe fuerit, confuſa inter ſe membra, in unum cumulum, velut *Abſyrtum*, colligere, plangeréque etiam hoc, quod ibi, ubi ſciebat eſſe, nemo ſuam prolem poſſet invenire. O quale ſpectaculum fuit tunc parentibus & cognatis, exire in campum, recente, & adhuc fumante filiorum, nepotúmque ſanguine cruentatum! calcare gramina hinc tabo purpurata, inde exanguibus & à cervice ſua revulſis vultibus pallentia! Vidiſſes hîc matrem brachium, ibi patrem oſſa humero malè hærentia tollentem, & explorantem, an notæ ſibi tunicæ aptari poſſent. Alij velut lymphati per totam ſtragem ſurſum ac deorſum currebant, ut volante oculo deprehenderent gnatum adhuc palpitantem; alij per ſingulos, ordine quærebant, ut, quod quærebant, non præterirent; ita quid ſinguli

(*a*) *Procacitas & petulantia puerorum caſtiganda.*

singuli passi sint, viderunt in universis. O quis tum, quantúsque luctus fuit, qui gemitus, quæ suspiria in cœlum missa; quàm ingens vis lacrimarum in terram cadentium, aut lacerata parvulorum membra lavantium! Quàm seria fuit accusatio in ursorum feritatem vibrata! quanta execratio belluarum! Sera est hæc vestra querimonia, parentes; erratis accusando. Vos ipsos, non ursos accusate. Si voluistis liberos vestros ad Senectutem pervenire, docendi fuissent, senes non contemnere: non ridere prophetam: Sanctis non illudere, sed reverentiam exhibere. Cur ab ursis exigitis humanitatem, qui *parvos pueros* docuistis feritatem! Nunc quia vestrâ vel negligentiâ, vel indulgentiâ, vel socordiâ in Elisæum linguas stringere didicerunt; Dei sententiâ & mandato belluæ in illos dentes strinxêre; ut mordacitas eorum ursinis morsibus plecteretur, & justissimo Numinis judicio *lacerati*, docerent, Sanctos viros contumelijs non lacerandos. Hæc ille patheticè. Nimirum malæ educationis tam pœna, quàm culpa in moderatores redundat. Diogenes hoc indicavit, qui puerum conspiciens indecorè se gerentem, pædagogum illius baculo percussit, dicens: *cur sic instituis?* indicans, primæ ætatis formatoribus potissimùm imputandum esse, si adolescentes evadant malè morati. Laërt. lib. Idem conspicatus adolescentem improbum lapides in cœlum jactantem: *Euge*, inquit, *scopum attinges*; nempe Superos senties, tuum in exitium tela retorturos. Ita Ceres maledicæ linguæ jacula in derisorem petulantem rejecit, & os protervum, quod ausum fuit Deam vocare *bibulam* (quô nihil probrosius feminis, nedum Divis) subrusis perfudit maculis, & lentiginosum reddidit; mox etiam in lacertam humi repentem convertit. Hoc præmium est linguæ conviciantis. Mitiorem quidem, non parùm tamen sexui & ætati suæ gravem procacitatis pœnam tulerunt illæ puellæ, qui Jacobo Nisibensi Episcopo, seniô & sanctitate venerando, non veritæ sunt inverecundis dictis illudere. Lavabant ad fontem non Dianæ, sed Veneres; & facilè ne *Actæon* fieret, Jacobus oculis imperâsset, sed aures invitas procax sermo, & leno risus pulsabat, succensuit improbitati Præsul, suas fonti ademit aquas, puellis subitò intempestivos canos addidit. Ilicet ad horum aspectum erubescere leviculæ, & lacrimis velle fontem & frontem priorem comparare. Atque illum quidem civibus restituit Pontifex: at canos (quò cum his saltem saperent) perpetuos esse jussit. Sur. 15. Jul. Rectè monet Seneca: Sales tui sint sine dente, joci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies sine desidia.

dia. Id quod maximè obſervandum pueris, niſi velint Jambo puero ſimiles fieri.

II. (*b*) Puer *Iambos* ſimul contumelioſus, ſimul blaſphemus in Deam fuit. Quod crimen non ſemel in pueritia graviter punivit Deus. Conſtat è Dialogis S. Gregorij lib. 4. horrendo ſupplicio parvulum quinquennem affectum, quem ob diſſolutionem linguæ, qua Dei nomen impijs execrationibus laceſſebat, tartarei ſpiritus, æthiopum ſpecie aſpectabiles, è gremio parentis avulſum, in orcum abripuerunt. Nec fruſtra teterrimi Alaſtores è ſinu atque oculis paternis rapuerunt puerum. Oſtenditur namque impietatem filij, ortum duxiſſe è nimia patris indulgentia; à quo blandiùs æquò fovebatur ínque ſinu & oculis geſtatus, æternis pabulum ignibus jam tum paratum, molliter ad inferos ferebatur. Debuit os improbum maturè compeſci, & lupato diſciplinæ frenari, ne lupis orcinis in prædam cederet; nimirum parentum culpa in filiorum ſupplicio plectitur. Exerit ſe primis ab annis indolis ſive probitas, ſive pravitas. Severiùs fortaſſe, ſalubriter tamen ad exemplum egerunt Areopagitæ Athenis Judices, qui puerum morte damnârunt, quòd crudeliùs cornicis oculos, ſtylo confixiſſet. Timebant ſcilicet, ne ferox ingenium cum annis creſceret, & ſævitiam ab avibus in homines ttansferret: igitur malam herbam in radice opprimendam putarunt. Minores lapillos, hoc eſt, convitia cùm puer in homines aſſueſcit jacere, paulatim grandiores mittet in Superos, quod ex Diogene paulò ante collegimus. Puer *Iambos* quanquam *effrons*, in fronte tamen indicem ſuî circumtulit; maculis eam pinxit Ceres, ut appareret in vultu, quid lateret in animo.

III. (*c*) In *ſtellionem* mutatus eſt *Iambos*, eſt enim hæc beſtiola, ſymbolum pueri malitioſi, verſuti, verſipellis, mendacis, perverſi, & ex aſſe nequam. Nam ob nequiſſimi hujus animalculi fraudem, malitiam, invidiámque obtinuit uſus, ut impoſtores & conſuti dolis homines, *Stelliones* vocentur. Hinc *Stellatura* & *Stellionatus*, crimen ICtis, cùm in contractibus, aut mutuo, aut emptionibus, dolus malus intervenit: ut ſi quis merces ſuppoſuerit alias pro alijs, vel corruperit, aut impoſturam fecerit, (quod crimen *falſi*, Germanis Schelmerey dicitur) cuique pœna nulla ordinaria conſtituta, ſed Prætoris arbitraria eſt, teſte Ulpiano.

Eſt autem *Stellio* lacertæ ſpecies, qui quia ventre humum verrit, denotat

(*b*) *Pueri indulgentiùs non habendi.* (*c*) *Stellionis natura cum nequam puero comparatur.*

notat pueros inertes, pigros, desides, ventri deditos, in pastum & terram projectos. 2. Stellio lucentibus guttis, seu stellis est, pictus, unde nomen habet; quô indicatur puerorum hypocrisis, dum speciem quandam innocentiæ præ se ferunt, & indolem stellis coronandam; cúm astutia & nequitia in corde lateat, in orcum ableganda. 3. Stellio suo morsu hominem obstupefacit & venenat. Pueri malè morati, etiam bonos adolescentes pravis exemplis inficiunt, & quasi stupidos ad parentum & moderatorum monita reddunt. 4. Stellio perreptat ædes, & in ipsis tectis, lectisque, homini insidiatur, verè hostis domesticus. Faciunt idem malitiosi adolescentes, qui per speciem vel exercitij litterarij, vel relaxandi animi, sese in alienas ædes insinuant, & in angulis lusum ludunt, qualem olim *Ismael* cum Isaaco ludebat, nempe, quod aliqui SS. PP. exponunt, rei alicujus turpis sermonem inducendo; quod advertens *Sara* parens, postulavit à marito *Abrahamo*, ut *ejiciat ancillam Agarem cum filio suo.* Gen. 21. Quod etiam his puerorum frustis, & nebulunculis faciendum. 5. Stellio pellem hieme exuit, quam, quia homini, utpote morbi comitialis remedium, invidet, devoratur ab eo, nisi præripiatur. Significatur invidia, quæ non rarò pueriles etiam animos ita occupat, ut æqualium in litteris, aut virtute profectum, non ferentes, mendacijs ac calumnijs eos odiosos reddere conentur. 6. Stellio araneis maximè vivit, ad quarum telas adrepit, & insidiosè captat, capitque. Simile quid in perversis pueris reperitur. Araneus muscas venatur, araneos stellio. Sic pueri perditi & nullius frugis, nullique labori seriò addicti, quid aliud agunt, quàm tempus terere muscis capiendis, quod Domitianus ille Romanus Imp. fecisse scribitur. Sed hæc araneorum retia, hæc inquam ignava otia, sunt scopis & virgis dejicienda. Stelliones magnam partem veneni ex araneis sugunt; faciunt hoc improbi pueri, qui malitiam insitam augent è libris & colloquijs impuris, & pestilens virus halitu, quod Stellio facit, innocentibus affricant & aspirant. Atque hæc satis de stellione. Plura de natura hujus bestiolæ Plinius lib. 30. c. 10.

SYMBOLVM XXIX.

Ascalaphus puer in bubonem transfiguratur.

5. Metam.

Ethicè.

1. Gula in re tenui. 2. Incauta securitas. 3. Delator improbus. 4. Judex sapiens & æquus. 5. Femina mutabilis.

POsteaquam Pluto, quod memoravimus, *Proserpinam* Cereris filiam per vim rapuit, & ad infera regna abduxit, Ceres *Saturni* & *Opis* filia, *Iovis* soror, accensis in Ætna monte tædis; filiam amissam toto orbe, maximo labore perquisivit. Omnia perlustranti, *Cyane* Nympha Sicula, quæ quòd Proserpinæ adversùs Plutonem opem ferre conaretur, ab illo commutata in fontem est, ei Zonam Proserpinæ, in undas suas delapsam, monstravit; loqui enim, & quod gestum fuerat, narrare nequibat. Dehinc ad *Arethusam* Nympham delata, quæ & ipsa Procum *Alpheum* Fluvium fugiens, in fontem sui nominis mutata, & ex Arcadia per subterraneos meatus in Siciliam lapsa, denique juxta Siracusas erupit. Hæc narravit Cereri, se, dum per inferna cursu ferretur, Proserpinam illic, quanquam adhuc mœstam, jam tamen inferorum reginam, Plutonísque regis conjugem conspexisse. Stupefacta hoc nuntio Ceres, in cœlum properè vehitur; sine mora ad Jovem admittitur; recenset quid factum filiâ; eam sibi restitui postulat. Jupiter faciles dedit aures fororis precibus; ut tamen mitiget acerbitatem doloris è raptu virginis concepti, culpam elevat fratris, scilicet Plutonis, qui tertius Saturni heres, vasto inferorum regno potiatur, támque generis nobilitate, quàm potentiâ & divitiarum amplitudine sponsæ par esse possit; ne tamen nihil sorori dedisse videatur, pollicetur revocandam è Stygijs oris Proserpinam, si nihil in illis degustârit; hanc enim legem à *Parcis* esse latam, sibi haud quaquam infringendam. Sed, ut feminarum est impotens cupiditas, Proserpina non tam fame, quàm curiositate ducta, dum fortè Plutonis pomarium obambulat, carpsit malum Punicum, & aliquot ejus grana deglutijt, (Poëtæ septem aut novem fuisse asserunt) sicque jejunium solvit; se verò tristi captivitate alligavit. Poterat latere tantilla culpa, nisi *Ascalaphi* pueri, *Acheronte* Fluvio geniti, indicio palàm

palàm factum fuiſſet inferorum Judicibus, guſtatum incautè pomum. Igitur, quoniam ita Fata ferebant, in perpetuum miſeræ reditus ad ſuperas plagas interdicitur. Ingemuit calamitati ſuæ Proſerpina, doloréque percita, ſceleſtum delatorem Phlegethontea conſpergit undâ, momentóque facit avem, & quidem *Bubonem*; nam caput

In roſtrum, & plumas, & grandia lumina vertit.
Ille ſibi ablatus, fulvis amicitur ab alis,
Inque caput creſcit, longóſque reflectitur ungues:
Vixque movet natas per inertia brachia pennas.
Fœdáque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Non tamen quievit Ceres, pertináxque apud Jovem inſtitit, ſuam ut ſibi filiam in libertatem aſſereret. Victus importunitate rogantis cœlicolûm rex, ſententiam tulit inter Plutonem fratrem, & ſororem Cererem, ſequeſtram: conceſsítque, ut Proſerpina dimidia anni parte apud inferos, dimidiâ, cum matre apud ſuperos, hoc eſt, in mundo noſtro vivere poſſet.

Ethica.

I. (*a*) Proſerpinam, ne ab inferis liceret redire, prohibuit eſca incautiùs ſumpta. Septem grana mali Punici, quantilla res! Profluxit hoc Poëtarum commentum à primæ mortalium omnium parentis gula, quæ nepotes perdidit unico morſu pomi vetiti. Nimirum non refert, quantum ſit illud, quod adversùs leges perpetratur; ſed quàm grave mandatum ſit ratione imperantis, quod temerariè infringitur. Malum arriſit *Evæ*, arriſit Proſerpinæ; utraque fatali orexi, magnis ſe calamitatibus involvit. Parva ſæpe buccella in *Ditis* poteſtatem redegit. E. D. Gregorij Dialogis ſcimus, cacodæmonem lactucæ inſidentem à virgine ſacrata magno ſuo malo devoratum fuiſſe. Quidam è S. Hilarionis diſcipulis uvam vetitam decerpſit, quæ in ſerpentem verſa adjurante Divo, loqui cœpit, & indicavit, quæ gulonem pericula manſiſſent, niſi altiore vi averſa fuiſſent. Sanch. de regno Dei. Et verò inſidias Orci non in perdicibus modò, ſed in vili pulticula latere, *Eſavi* voracitas docuit. Nec tantùm in cyathis Cretico ſpumantibus vino ſed etiam in hydria infernalem ineſſe Hydram memoratus Scriptor recenſet. Fortè Lopezium Epiſcopum ſanctimoniâ celebrem nocturna, & hoc ipſo in-

(*a*) *Gula.*

tempestativa sitis impulerat ad frigidæ haustum postulandum. Ea dum adfertur, suspicari secum cœpit vir religiosus: Verène sitis ea, an magis phantasiæ vehementia, & illusio dæmonis esset. Igitur victo bibendi appetitu aqualem illibatum ad caput lecticæ adstituit. Et ecce! quò constaret, cujus insidijs sitim concepisset, diabolum audivit, nocte, quàm longa fuit, totâ gementem & suspiria intra urceum, ducentem. Crudele ac barbarum est, quod de Mahomete Ottomano Turcarum tyranno scribitur, eum desideratum in arbore sibi chara pomum, in Epheborum, quos in horto fuisse constabat, aperto corpore scrutari jussisse. Major immanitas hostis Stygij, unicum paradisi pomum, in sera etiam hodie Protoplastorum posteritate scrutantis. Et mirum est, quàm ex prima gulæ labe, omnes nitamur in vetitum. Cæsarius de milite memorat, ipsum sibi ipsi pœnam commissorum criminum statuisse, ut pomum amarissimorum fructuum feracem pro ædibus stantem, ne attingeret, accessit ad privatam legem, etiam Sacerdotis, quem conscientiæ arbitrum adhibuerat prohibitio, ipso sic volente. Et ecce! tanto affectu in rem prohibitam, cœpit ferri, imò rapi, ut arborem conscenderet, manum extenderet, pomo applicaret; nihil præter morsum deesset. Duravit ea lucta totam diem, donec appetente nocte, vix demum victor ab arbore se avulsit. Tantæ molis est restringere gulam, & è Plutonis pomario nihil decerpere; quod quia Proserpina vitare non potuit, aut potiùs non voluit, infelix umbrarum Domini præda hæsit. Et si hoc ob paucula grana intemperanter carpta; quid de illis dicas, quos illa apud Ovid. lib. 15. Metam. Pythagoræ interrogatio ferit:

----- placare voracis,
Et malè morati poteris jejunia ventris?

II. (*b*) Proserpinam furtivè pomum carpentem oculus nequam ex occulto advertit. Hic locum habet illud Abimelechi regis Gen. 20. comperientis Saram, quam Abrahami sororem credebat, esse matrimonio junctam; quare donatam dimisit cum monito: *quocunque perrexeris, memento te deprehensam.* Deprehensa Proserpina documento est sexui suo, furtivam seu gulam, seu libidinem aliquantisper celari posse, penitùs tamen abscondi, occultaríque non posse, quin subitò erumpant, magnásque post se calamitates trahant. Frequentiores in secreto seu pitissationes, seu catillationes in rubente non rarò vultu se produnt; anteambulo puer, pedisequa ancillula odorantur vestigia, *furtivas ad aquas*, ut Salomon loquitur Prov. 9. ducentia. Fallit se ipsam nocens securitas;

(*b*) *Incauta securitas.*

ſecuritas; animus recti tenax, etiam tuta timet. Putabat Proſerpina ſine teſte ſe eſſe; dicebat ſibi: Nemo te videt; carpe, comede. Sed hoc *putabam* multos perdidit: Decepta eſt peſſimè, puero vidente peſſimo. Nihil enimverò tutum ab arbitris, non dicam Numinis, ſed etiam hominis, abſtruſa penetrantis, oculis. Et ut hos devites; ut furta patres abductiùs à Solis radijs; non ideò tamen evaſiſti. Per clauſas etiam valuas invenit rimam Nemeſis, quæ *diem* & *dicam* ſcribat tibi.

III. (c) *Aſcalaphus* eſt imago delatoris improbi: etſi veri, tamen invidi, ſolâque nocendi libidine acti. Meritò in *bubonem* tranſijt, ſimillimus buboni. Eſt hic inter aves nocturnas maximus, colore fuſco, grandi capite orbiculato, torvóque vultu, aduncis unguibus, obſcuros ſpecus, turres, & deſerta loca incolens, infirmo viſu, ſolem non ferens, aut ſi prodeat, infauſti ubique ominis: nec recto, ſed obliquo volatu ſe proripiens, quem noctu exercet cum ferali ſonitu: omnium cæterarum, dum apparet, volucrum infeſtantium ſcopus. Virtutes hæ ſunt Sycophantæ & accuſatoris ſubdoli. Torvo ſcilicet incedit vultu, diabolo (*qui fratrum eſt accuſator & calumniator* 12. Apocal.) propior, quàm homini, aduncis unguibus, id eſt acquirendi cupiditate ad alios deferendos rapitur. De his Martialis epig. 4. in Spectac.

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes.

Nimirum tales bubones ſpe præmiorum illecti, innocentes pariter ac nocentes, reos agunt, inde *Quadruplatores* dicti, quòd quartam bonorum partem damnati hominis olim indipiſcerentur. Ex Seneca lib. 3. de benef. c. 26. conſtat, ſub Tiberio Cæſare fuiſſe accuſandi frequentem, & pœnè publicam rabiem, quæ omni civili bello graviùs togatam civitatem confecit. Paulo Prætorio capite ſtetiſſet, admoviſſe matellæ gemmam Tiberij ectypam, niſi ſervus ebrio annulum extraxiſſet, & delatoris inſidias antevertiſſet. Damnatus alius; quòd ſervum verberâſſet, qui denarium cum effigie Cæſaris apud ſe habebat. Quid infauſtius his exploratoribus, bubonum inſtar, obliquo volatu, hoc eſt greſſu hypocritico ſeſe in domos, ſub ſpecie amicitiæ penetrantibus, ut aliorum dicta & facta foràs efferant, deferant, traducant. Hujuſmodi proditor (Traditorem vocat Tacitus) deſcribitur à Salomone Prov. c. 6. *Graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* Scilicet nutu oculorum blando amicitiam ſimulat; plodit pede humum, ut ſignificet, ſe admirari dicta & facta amici; digito

(c) *Delator improbus.*

gito loquitur, id est, extendit digitum, ut admirationem conciliet, ac interim corde machinatur malum. Quis satis caveat sibi ab his avibus de nocte, hoc est, sub caligine fraudis volantibus, & visa, auditáque ferali sono in crimen & accusationem vocantibus? Et verò quicunque loquaces sunt, plerumque obtrectatores & vaniloqui insimulatores sunt, candidáque nigris vertunt. Corvus apud Ovidium lib. 2. Metam. initio albis erat plumis: loquacitas nigrum reddidit, canente Poëta:

Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.

IV. (*d*) Proserpina de sententia Jovis alteram anni partem cum conjuge, alteram cum matre commorari jussa est. Eminet in hoc judicio sapientia Judicis, qui factus sequester litis inter fratrem & sororem, cùm neutram vellet, nec posset offendere partem, illis retinendæ Proserpinæ jus exæquo, partitus est: & illud quasi Salomonis 3. Reg. 3. pronuntiavit: *Dividatur*. Requirit enim æquitas, ut cùm satis *haud liquet* causa, teneatur medium, ne pars alterutra lædatur. Maro canit:

Rex Jupiter omnibus idem.

Hoc Judicantis officium est, ut in ambigua controversia neutri litigantium parti abjudicet causam, sed *dividat*: neque lancem paribus argumentis libratam, auro prægravari sinat; parùm enim differunt *Plutus* & *Pluto*, & hic per illum sæpius in judicijs triumphat.

V. (*e*) Nescio, an Proserpinæ dimidiata apud inferos, & superos commoratio, non etiam significare possit feminarum quarundam mutabilem & perversam indolem; quæ studijs quandoque pietatis ita videntur addictæ, ut eas inter Cœlites agere, & vitam vivere innocentem ac beatam existimes; Rursus subitò ponunt larvam, & vix è limine sacro domum reduces, adeò debacchari incipiunt in maritum & domesticos, ut *Proserpinas* agnoscas Plutonio thoro dignas, Dixeris, manè fuisse Charites, meridie homines, vespere Furias.

(*d*) *Iudex sapiens & æquus.* (*e*) *Mutabiles feminarum mores.*

SYM-

SYMBOLVM XXX.

Sirenes, blanda & pernicioſa maris monſtra.

Odyſſ. μ. Metam. 5.

Ethicè.

1. Damnoſa Voluptas. 2. Quid Sirenes in S. Scriptura. 3. Qualia monſtra ſint phyſicè. 4 Cantus laſcivi. 5. Tres Sirenes Gula, Inertia, Luxuria. 6. Religioſus eſt Vlyſſes allegoricus adversùs Sirenes. 7. Litteræ præſidium contra Sirenes. 8. Sirenes ſunt adulatores, 9. Muſarum de Sirenibus victoria.

SIrenes *Acheloi* Fluvij, & *Calliopes Muſæ* (nam Poëtæ etiam his Virginibus Hymenæum canunt) filiæ, nomen habent vel à σείρειν, ſeu *connectere* vel *retinere;* vel à σειρὰ, *catena*, eò quòd libidinis vinculum Sirenes fuere. Sunt, qui hoc nomen à σύρω *traho* deducant, unde fit, ut i Latinum per y ſcribant. Tres numerantur, *Parthenope*, *Leucoſia*, *Ligia;* monſtra fuere marina, ſuperiore corporis parte virgineam formam, inferiore piſcem referentia; quarum una, *voce*, altera, *tibijs*, tertia, *lyrâ*, ſeu citharâ canebat, tam blandè quidem, ut præternavigantes in profundiſſimum ſomnum traherent, ſopitóſque vel cum navibus in ſcopulos alliderent, vel in mare detractos necarent, tanto numero, ut littora naufragorum oſſibus alberent. Hinc Virgil. 5. Æneid. de Claſſe Æneæ:

Jámque adeò ſcopulos Sirenum advecta ſubibat,
Difficiles quondam, multorúmque oſſibus albos.

Primò juxta *Pelorum* Siciliæ promontorium; pòſt in *Capharêis* inſulis habitâſſe finguntur. Ovidius 5. Metam. tradit, has fuiſſe Proſerpinæ ſocias, mira ſuavitate canendi præditas, eámque raptam à Plutone, diu quæſijſſe; quâ non inventâ in terris, optâſſe alas à ſuperis, earum ut remigio poſſent ſuper aquas ferri, & amiſſam, mari quoque inquirere; móxque cæpiſſe veſtiri pennis, & avium more volâſſe.

Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantáque dos oris, linguæ ne perderet uſum,
Virginei vultus, & vox humana remanſit.

De

De ijsdem idem lib. 3. art. amand.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Pluribus eas describit Claudianus in epigram de Sirenibus:

Dulce malum Pelago Siren, volucrésque puellæ,
Scylléos inter fremitus, avidámque charybdin
Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra.
Blanda pericla maris: terror quoque gratus in undis;
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Implesséntque sinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox una ratem: nec tendere certum
Delectabat iter: reditûs odiúmque juvabat;
Nec dolor ullus erat, mortem dabat ipsa voluptas.

Ad has maris ac hominum incantatrices *Vlysses*, captâ Troiâ redux, delatus, dicitur sociorum aures cerâ occlusisse, ne illarum cantus audirent; ipse autem ad navis malum alligari voluit, ne blanditiarum illecebris caperetur; quam ob causam sese contemptas ratæ Sirenes, in mare præcipites abierunt. Vide Symbol. 71. Orpheus quoque cùm illac præterveheretur cum argonautis, & meliore cantu Sirenum modulos retunderet, illæ desperatione captæ, instrumenta musica in mare abjecere. Sed quia post Orpheum Vlysses ad eas oras appulit, & insidiatrices vix evasit, credibile est, Neptuni beneficio, recuperâsse, quæ projecerant arma canendi. Pausanias in Bœoticis refert, à Sirenibus aliquando, Junonis suasu Musas canendo provocatas, cúmque hæ vicissent, Sirenibus alas suas à Musis evulsas, coronásque ex illis factas, in ornamentum capitis & victoriæ trophæum cessisse.

Ethica.

I. (*a*) Multa his commentis adumbravere Poëtæ. Nempe voluptatum illecebræ (ut habet Cicero 1. Paradox.) mentem à sua sede ac statu dimovent, corrumpunt animum, nulláque capitalior pestis à natura hominibus data est. Quas qui sequitur, miserandum rationis facit naufragium: qui declinare cupit, earum incantamentis aures non præbere, sed occludere debet. Atque hoc indicat Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. c. 13. Ego, inquit, Sirenum cantus, ac Sirenas ipsas nihil aliud esse crediderim, quàm voluptates & earum titillationes. Hæ

(*a*) *Damnosa voluptas.*

ad

ad exprimendam mortalium naturam, partim *bellua*, partim *virgines* videbantur; quia monstro propriè similis est is, qui non rationi & consilio, sed cupiditati paret, cùm altera pars illius homo sit, altera bellua. Cùm enim vis animæ nostræ alia sit compos rationis, alia ratione careat, quo pacto non habet quisque intra se inclusas & latentes Sirenes? aut qui nihil habeat nisi formam corporis cum homine commune, nullâque ratione utatur, sed huc illuc feratur pro animi impetu, quocunque libido, & appetentia, & cupiditas tulerit. Si quis igitur calamitates devitare voluerit, is ad Voluptatis lenocinia Vlyssis exemplo aures obturet, necesse est: aut Orphei, reliquorúmque virorum Sapientum monitis pareat, eósque solos audiat. Hæc Mythologus.

Illa Sirenum fallacia consistebat in eo, ut quibus rebus maximè quisque audiendis delectaretur; eas præcipuè canerent. Ambitiosos & gloriæ cupidos captabant eorum rebus gestis cantandis; Hinc Vlyssem alliciebant laudando:

Huc age, flecte ratem, Graiorum gloria Vlysses,
Flecte ratem celerem, nostras & percipe voces &c.

Ad demulcendos libidinosos res amatorias canebant; testis Martialis lib. 3. ad Cassianum:

Sirenas hilarem navigantium pœnam
Blandásque mortes, gaudiúmque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax *(b)* Vlysses dicitur reliquisse.

Omnino typus hic est illecebrosæ voluptatis, quæ ut dolosiùs decipiat, virgineos simulat vultus, & prima fronte honestam oblectationem, amicitiam, familiaritatem præfert; sed ubi paulò blandiùs animum subintravit, in belluinam & brutam libidinem desinit. Sirenes, ut nequiùs fallerent, speciosa sibi nomina imposuerunt; nam *Parthenope* virginem, *Leucosia* candidam, *Ligia* à Græco λιγεῖον, quod canoram sonat, aut à λιγέως dulciter, quod ad sermonis & colloquij fertur illicium. O fallaces larvæ, & alia omnia, quàm quæ nomine præfertis, vapido pectore molientes! Sapientiæ 5. Vita nostra comparatur navi, *quæ pertransit fluctuantem aquam*; tótque jactatur fluctibus, quot cupiditatibus. Et ipsa sæpe malacia plus periculi habet, quàm tempestas: quíque videntur leniter spirare Zephyri, sæviores sunt Aquilone. Audiamus D. Hieronymum in epistola ad Heliod. Et ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum, & indoctus nauta præmoneo: sed qua-

(b) Versuum.

si nuper naufragio ejectus in littus, timida navigaturis voce denuntio: In illo æstu, charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scyllæum renidens, libido blanditur. Hîc barbarum littus, hîc Diabolus pirata cum socijs portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi; licet in modum stagni refusum æquor arrideat, licet vix summa elementi terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus est periculum, intus hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus. Hæc S. Doctor.

Sirenes dum canunt, mergunt. Socrates apud Stobæum: Δεῖ ὥσπερ σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν, τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα, id est: *Oportet voluptates præterire velut Sirenes eum, qui virtutem, tanquam patriam intueri desiderat.* Quibus verbis alluſit ad Vlyſſem, cerâ obturatis auribus (quod dicemus) præternavigantem Sirenas, ut Ithacæ patriæ fumum subsilientem cerneret. Longè dulcior nos vocat patria Cœlum, cujus desiderio qui tenetur, eum oportet malæ voluptatis illecebras negligere & aspernari.

S. Ambrosius in psal. 43. Illecebrosos Sirenum cantus eleganter, ut solet, ad hoc ipsum argumentum applicat. Sirenes, inquit, quasdam fuisse puellas gentilis tradit historia: quæ vocis suavitate, canendi illecebris, audiendi studio illectos navigantes ad littus admovere navigia inducebant, eósque (cùm gratiam vocis sequerentur) scopulosó in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Ita sæculi voluptas nos quadam carnali modulatione delectat, ut decipiat. Vt ergo illic non littus in vitio erat, sed canora dulcedo: ita non caro invitio, sed ea, quibus caro ista sollicitatur & fluctuat. Et comment. in Luc. lib. 4. in proœmio. Sic Vlyſſem, inquit, ut fabulæ ferunt (licet & propheta Isaias dixerit c. 13. *habitabunt in ea filiæ Sirenum*) post decem annorum exilia, quibus bellatum in Ilio est: decémque erroris annos, festinantem ad patriam, Sirenes cantu vocis illectum, ad illud famosum voluptatis naufragium pœnè deduxerunt, nisi adversùs illecebrosæ sonitus cantilenæ, insertâ cerâ sociorum clausissent aures. *Et subjungit*, animam, Vlyſſis exemplo, ad crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendam, ne lascivarum rerum moveatur illecebris, cursúmque naturæ detorqueat in periculum voluptatis.

II. (c) De Sirenibus locus Isaiæ cap. 13. sic habet: *Et erit Babylon*

(c) *Quid sirenes sint in S. Scriptura.*

bylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum: sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur usque ad finem, sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones: & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis. Quibus verbis describit interitum, desolationem ac vastationem Babyloniæ à Cyro inferendam. Vbi per *pilosos* intelligit Faunos & Satyros, hoc est, dæmones, scilicet qui in silvis & locis desertis apparent hirsuti specie hircorum, quasi Dij nemorum; de quibus idem Propheta cap. 34. ubi agit de excidio *Idumææ*, aitque terram illam futuram *cubile draconum* & pascua struthionum, subdit: *Et occurent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum:* ibi *cubavit lamia, & invenit sibi requiem*, id est spectra diabolica partim hominem, partim equum vel asinum referentia, aut pilosum hircum mentientia, & speciem colludentium & saltantium præferentia. *Lamiæ*, sunt dæmones succubi, qui *Empusæ* dicuntur, de nocte monstrosis formis hominem terrentes. Sed redeamus ad cap. 13. Isaiæ. *pilosi saltabunt ibi*, nempe larvati dæmones, sicut lascivientes hœdi, militarem in modum è diversis stationibus emissi, adversis frontibus congredientur, insultabunt & arietabunt. *Sirenes in delubris voluptatis*, scilicet habitabunt, id est, ut S. Hieronymus ait, aut monstra, aut dracones magni, cristati & volantes: hi enim ferè sunt in locis desertis & devastatis, horúmque speciem sæpe assumunt dæmones. Tropologicè, Siren, inquit D. Basilius, est dæmon, qui animam voluptate allicit & decipit. *In delubris voluptatis*, hoc est, in palatijs voluptuosis (Babylon enim erat constructa, & comparata ad omnem voluptatem & pompam) post excisionem pro delicijs erunt in delicijs dracones, pro citharœdis ululæ & bubones, pro famulis & assecłis Fauni & Satyri horribiles.

III. (*d*) Atque ut Physicum etiam aliquid de Sirenibus referamus. Siren est species monstri aquatici & marini, ore & pube tenus virgo, infernè piscis, qualis nostro sæculo in Frisia captus, vixit inter homines multos annos, didicítque nere. Cornel. in hunc locum. Memorabile est, quod de Sirenibus refert Franciscus Sacchinus in historia Societatis nostræ lib. 4. parte 1. ad annum 1560. In insula Manaria, quæ ducentis à Goa, Indiæ metropoli, leucis distat, dum Dimas proregis medicus, & P. Henricus Henricius familiariter inter se agunt, adsunt velut stupentes, magnísque cum clamoribus piscatores, patrem Henricum ad suas ut iret scaphas, rogantes, spectatum ingens naturæ miraculum.

(*d*) *Qualia physicè sint monstra Sirenes.*

raculum. Piſces novem feminas, ſeptem mares, quos propter ſimilem humanæ ſpeciem marinos homines nominabant, in retia incidiſſe. Acceſſere ambo ad mare, Henricus & Medicus. Atque hic poſt diuturnam admirationem ſingula attentiùs è ſectionum diſciplina ſcrutatus, hæc adnotavit: Caput erat figura rotundum, nulla colli intercapedine trunco compactum: extremæ aurium fibræ ſeu auriculæ, ex cartilagine, carne eleganter veſtitæ: quarum interior pars aptiſſimis formata anfractibus, veram hominis referebat aurem. Oculi ſuis ornati palpebris, ſitúque & colore non piſcis, ſed quos hominis judicares. Naſus nonnihil aberrabat, malam inter utrámque non uſquequaque eminens, ſed leni tramite bipartitus. Sub eo, labra magnitudine, ſpeciéque noſtris ſimillima. Dentium, non quales ſunt piſcium generi, ſerratilium, ſed planorum, & candidiſſimorum continua ſeries. Pectus alba cute contectum hinc atque hinc paulò latiùs, quàm pro corpore, in mammas extuberans: neque eas feminis pendulas, ſed quaſi virginibus globoſas: quarum uni cùm papillam preſſiſſet medicus, ingens exilijt lactis copia miri candoris. Brachia non rotunda, ſed latiora, quaſi ad natandum facta, duorum longitudine cubitorum, nullis tamen ipſa cubitis, ulnis, manibus, articuliſque diſtincta. Sub alis molliſſimus pilus ac longus. At in adminiſtris propagandæ ſobolis membris nulla ab humanis in utroque ſexu diſtinctio. Agnoſceres, qua re homines ſimillimi ſint belluis. Poſt hæc, veluti de Sirenibus olim Poëtæ cecinerunt, in piſcem caudâ deſinebant biſculcâ. Hæc Sacchinus. Magis ad noſtrum propoſitum facit, quod recenſet P. Petrus Doultremannus in lib. de amore increato cap. 1. ſect. 9. Non pauci, inquit, hujus generis piſces (de Sirenibus ſuperiorem narrationem præmiſerat) viſuntur in Braſilia, quos barbari *Ibupiapra* indigitant, eóſque ſic horrent, ut nonnunquam ad eorum conſpectum metu exanimentur. Vultus eorum ſatis formoſus, præterquam quòd oculos profundiores geſtant, feminæ etiam capillos longiores. Oſtia fluviorum amant; & ſæpe conſpiciuntur infra *Iagoraripe*, ſeptimo aut octavo à Baia lapide; ubi fama eſt non paucos barbaros ab ijs eſſe inter amplexandum præ nimio amore ſuffocatos; imò aiunt, ubi ſic temerè enecârint, gemitus atque alta eos ſuſpiria, luctûs ſui indicia, emittere. Habes hîc, ut ad mores me referam, expreſſam malæ voluptatis imaginem, quæ dum amatoribus ſuis blanditur, dum eos amplectitur, dum diſſuaviat, præſentiſſimum interitum adfert. Cogita *Zambrin*, illum Hebræum Principem cum Cozbæa Madianitide

puella

puella fœdè consuescentem, & ea corporis parte, qua peccabat, vindicem *Phineæ* pugionem, cum amasia sua recipientem. Num 25.

IV. (*e*) Per Sirenes etiam denotantur Cantores & Cantatrices, quos Salomon Ecclesiastæ 2. vocat *delicias hominum*, à quibus & ipse turpiter incantatus est. Puerorum, ac præsertim feminarum vox est mollior, dulcior, delicatior, & ad effeminandum animum potentior. Vnde Prov. 5. dicitur: *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus.* Quocirca S. Hieronymus ad *Furiam*, mandat, ut Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturbet ex ædibus suis. De his D. Ambrosius cit. loc. in Lucam. Quid sibi vult puellarum (cantantium) figura, nisi evirata voluptatis illecebra, quæ constantiam captæ mentis effeminat? Quæ autem illa vada, nisi nostræ scopuli sunt salutis? Nihil enim tam cæcum, quàm sæcularis suavitatis reticulum, quæ dum mulcet animum, vitam obruit, & corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit. Et S. Augustinus lib. de decem chordis. Quid prodest delectari canticis ad tempus turpibus, in posterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum magna dulcedine biberunt. Consonat Theodoretus in Gen. quæst. 47. Vbi ait, filios Sethi à parente suo optimè institutos, perditis filiarum Caini amoribus corruptos fuisse, illectos instrumentis canentium cithara & organo, quæ *Iubal* ipsarum pater confecerat. Quare sicut Sirenum scopuli, illæ quoque Comœdiæ fugiendæ, quarum argumentum molle & fractum, mollioribus etiam modulis lascivit, & ad flagitium invitat.

V. (*f*) Meritò verò Sirenes à *trahendo*, *nectendo*, *tenendo*, *catenando* dicuntur, nam quos voluptatis illecebra semel implicavit, altissimè tenet & vincit, ne elabantur. Trahit autem vel cantu, vel visu, vel consuetudine. De qua S. Augustinus lib. 8. Confess. c. 5. Suspirabam ego, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Hinc tres esse Sirenes dicuntur, & triplici allicere cantu. Et celebre est illud:

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti

(*e*) *Cantus lascivi.* (*f*) *Per tres Sirenes tria vitia indicantur.*

Tres scilicet exitiales honestatis pestes: *Gula*, *inertia*, *Luxuria*.

(*g*) Quod autem Sirenes ab Vlysse spretæ in mare sese immerserint, indicatur, quantum valeat actus virtutis heroicus unus. Vna namque victoria de hoste strenuè relata facit ipsum timidiorem ad novos insultus; imò sic debilitat & frangit, ut non audeat in certamen redire. Et pletumque si primos libidinis motus cordatè represseris, posteriores languidiùs incurrunt. Et quid aliud significant aures Sirenum cantibus obseptæ & occlusæ, quàm primis tentationum illecebris oculos atque aures tam corporis quàm animi non esse aperiendas?

VI. (*h*) PP. nostri Belgæ *in Imagine Societatis* Castitatem Religiosam voto adstrictam ingeniosè per Vlyssem ad malum navis religatum, & aures manibus admotis obsepientem exprimunt, frustra circa navigium ludente Sirenum choro; cum lemmate,

---- canitis surdis, canitisque ligatis.

Vltimi versus epigrammatis hi sunt.

Vincula *vota* mihi, crux *malus*, Typhis JESUS,
Pro pelago *lacrimæ*, pro statione *Deus*.
Anchora *Spes*, *Cor*, acus, velum *Suspiria*, clavus
Firma *Fides*, ventus *Gratia*, remus *Amor*.

VII. (*i*) Orphei cantum adversùs Sirenum blanditias prævalentem, disertissimus Muretus eleganter accommodat ad sapientes juventutis litterariæ institutores. Placet ejus referre verba: Memoriæ proditum est, Jasonem olim, cæterósque Argonautas cùm eam insulam, quæ ab amœnitate, florúmque copia nomen invenerat, præternavigarent, periculúmque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quæ eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur, unum in Orpheo perfugium habuisse; qui cùm esset in puppi, simúlque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, quâ feras nemoráque traxerat, explicare cæpisset, tanta simul aures, animósque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula, Juventus est. Eam qui quasi prætervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditijs decepti, & à recto tramite abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparandum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis lyra? cujus suavitatem

(*g*) *Primis tentationum illecebris resistendum.* (*h*) *Vlyssis allegorici adversùs Sirenes victoria.* (*i*) *Litteratum præsidio Sirenum cantus spernuntur.*

tatem, qui percipiunt, ij & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Orat. 2. de laud. litt.

VIII. (*k*) Hæc satis de Sirenibus, si adjecerimus, à Mythologo pernicioſas earum illecebras ac voces, etiam ad adulatores transferri, qui eos, quibus assentantur, in profundissimum somnum inducunt, ut non videant, quid differat amicus ab adulatore; quoniam hujus suavior est auribus oratio, itáque fit, ut, dum nullus amicitiæ, sinceritati, justitiæ patet locus, auditores creduli gravibus involvantur malis.

IX. (*l*) Sed quid? propè oblitus fuissem dicere, quid sibi velit, quòd Musæ è devictarum Sirenum pennis, coronas sibi texuerint. Nimirum denotatur, ad pravæ voluptatis insidias superandas, nihil esse validius, quàm animum procul ab ignavia habere, & ad litterarum studia strenuè applicare. Nam ubi mens ingenuis curis occupatur, & amore liberalium artium tenetur, facilè spernit voluptates & generoso repellit fastu, quidquid molliùs blanditur: unde consequitur, ut domitæ cupiditates vires suas, velut alas amittant, & victori in præmium virtutis, ac etiam doctrinæ cedant. De Sirenibus extat emblema 115. Alciati: cui adjunge lemma: *Dum vocant, vorant.*

(*k*) *Per Sirenes etiam adulatores intelliguntur.* (*l*) *Musarum de Sirenibus victoria ac corona quid significent.*

SYMBOLVM XXXI.

Triptolemus, mirus Cereris alumnus.

5. Metam.

Ethicè.

1. Magna vis educationis in utramque partem. 2. Igniculi primi naturæ. 3. Laus agriculturæ. 4. Commendatio laboris. 5. Beneficentia colenda.

Fuit hic *Celei*, regis Eleusini (est Eleusis civitas Attica, non longè Athenis sita) filius. Ad hunc regem fortè Ceres, dum raptam à Plutone filiam undique quærit, diverterat, ab eóque liberalissimè fuit habita. Dea remuneratura humanitatem hospitij, omne genus agricul-

turæ

turæ ostendit Celeo: non enim nisi glandibus ea tempestate vescebantur; vel quia homines ignari terræ colendæ, aliam frugem non noverant; vel quia semina deerant, & satio cessârat. Testis Virgilius. 1. Georg.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit: cùm in glandes, alimentáque sacræ
Deficerent silvæ, & victum Dodona negaret.

Et Ovidius 5. Metam.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentáque mitia terræ.

Celeus quod à Cerere didicerat, cum nullo hominum communicavit; sive quia veteri vivendi mori assuetus erat; sive quia laborem abhorrebat. Is subinde filium genuit *Triptolemum*, nomine, qui primus id beneficium, in omnium usum mortalium contulit. Admodum infans erat & in cunis vagiebat tum, quando Ceres ad regiam parentis devenerat. Parvuli amore capta dea, cùm illum immortalem vellet, nutricis habitum & officium simulavit, & nihil earum omisit rerum, quæ ad eam curam pertinebant. Interdiu lacte divino rigabat alumnum; noctu, ipsum clàm obruebat igne, & veluti sub cinere fovebat, ut exsudatis mortalitatis humoribus, cœlestis naturæ igniculis imbueretur. Nec diu pòst factum est, ut puer, præter reliquorum mortalium naturam ac morem, teneram ætatem, incremento staturæ longè superaret. Cùm hoc pater miraretur, nocturno tempore observavit nutricem; cúmque Ceres puerum igne perfunderet, ille expaveſcens, & filio metuens, exclamavit. Ea sollicitudo perniciem attulit ipsi; indignata quippe Dea arcanum suum mortali oculo deprehensum, momentò Celeum exanimavit; Triptolemum verò filium divino munere affecit, artem serendi docuit, & ad fruges propagandas, currum alatis draconibus junctum, ei donavit, quô vectus ipse per sublimia, quaquaversùs in orbe semina sparsit, usúmque frumentorum demonstravit.

Ethica.

I. (a) Rectæ, seu bonæ educationis officia, hac exprimuntur fabulâ. Nam quod Triptolemus lacte divino nutritus sit, indicatur, quanti referat, quô succô primitus imbuatur puer. Etenim cum lacte, primo nutrimento, indoles & mores suguntur. Si hoc sincerum sit, servabit humorem & odorem virtutis talis animula; sin' lacti venenum ira-

(a) *Magna vis educationis in utramque partem.*

iracundæ, avaræ, libidinoſæ, nutriculæ ſit mixtum; virus hoc totum imbibet alumnus. *Lamiæ*, ut Threnorum 4. legimus, *nudaverunt mammam ſuam, lactaverunt catulos ſuos.* Quid enim aliud ſunt iſtæ lamiæ, ſpeciem partim muliebrem, partim ferinam referentes, quàm impotentes mulierculæ, tigridem potiùs, urſam, lupam, & ſimiles beſtias, quàm hominem moribus præferentes. Ab his mammis qualem rorem? Et ex iſto quales exſpectes catulos? Tartari ac Scythæ infantibus ſuis lac præbere caninum aut equinum dicuntur, ut deinde feroces & pugnaces evadant. Lamiæ ab antiquis mulieres eſſe putabantur, ſive veriùs dæmonum quædam phantaſmata, quæ formoſarum mulierum ſpecie aſſumpta, pueros pariter ac juvenes blanditijs allectos devorabant. Alij aliter de ijs ſcribunt, nobis ad propoſitum ſufficit, per Lamias intelligi improbas & ſceleratas nutrices, quæ cum viroſo lacte malam peſtem in teneros fœtus transfundunt. Sic Heliogabalus Imp. Græcæ meretricis alumnus ab ea ſuam ſpurcitiem & obſcænitatem hauſit. Rhodiginus. Sic Tiberius Nero, magnus potator, ideo *Biberius Mero* vocatus, quia nutricem habuit vinolentam. Sic Agrippina Neronis mater, quòd in omnes libidines eſſet effuſa, filium orbi dedit libidinis & crudelitatis monſtrum. Cornel. Tacit. Quin & Salomon trecentarum uxorum maritus, & ſeptuaginta pellicum concubinus, matrem habuit Betſabee adulteram. Diogenes videns adoleſcentulum ex temulentia deſipere, dixit. Ebrius te ſeminavit pater. Pari ratione dixeris tali: ebria te lactavit nutrix. Propterea mater Samſonis jubetur ab Angelo, vinum & ſiceram non bibere. Et S. Auguſtinus in lib. Confeſſionum fatetur, ſe cum lacte matris, Dei cultum & venerationem hauſiſſe. Antoninus Caracalla Imp. quanquam ſæviſſimus, magnum tamen Chriſtianis negotium non faceſſivit. Cauſam aſſignat Baronius ad annum 217. quòd lac nutricis Chriſtianæ ſuxerit.

II. (*b*) Deinde in Triptolemo obſervandum, infantem ipſum igne perfuſum à Cerere fuiſſe. Parùm enim valet lacteus matris humor, ſeu bonus corpori tenello ſuccus à natura infuſus, niſi ignea vis ingenij, tanquam cos, accedat. Inter prodigia & læta omina ignis habetur capiti circumfuſus, quod Aſcanio Æneæ filio obtigit. 4. Æneid.

Ecce levis ſummo de vertice viſus Juli
Fundere lumen apex, tactúque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Regnum videlicet igneus ille ſplendor adoleſcenti portendebat. De Honorio Claudianus id confirmat. X Appa-

(*b*) *Multùm intereſt, quales igniculi primi naturæ.*

Apparet, quid ſigna ferant. Ventura poteſtas
Claruit Aſcanio, ſubita cùm luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygióque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

De hac animi flammula Petrarcha Dial. 41. Sic inquit, habe: omnes qui ſunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non poſſe unum ingenium accendere, niſi aliquæ intus in animo ſcintillæ ſint, quæ Præceptoris ſpiritu excitatæ & adjutæ generoſum diſciplinæ fomitem arripiant; alioquin algidum in cinerem nequicquam flabis. Natura parvos nobis igniculos dedit, ait Tullius, qui corruptelâ malæ conſuetudinis extinguuntur. Graviter M. Antonius Muretus lib. 2. Ethic. Ad virtutem nos natura gignit, doctrina excitat, conſuetudo perducit. Non enim eſt dubium, quin ſemina & igniculi quidam nobis inſint à natura, uſque eò, ut naturali quadam inclinatione alium ad alias virtutes propenſiorem eſſe videamus. Atque hac de re loquitur Ariſtoteles lib. 6. Ethic. & illa *principia*, virtutes naturales, aut virtutes inchoatas vocat. Sed ſemina illa facilè eliduntur, niſi excolantur; igniculi illi facilè extinguuntur, niſi foveantur. Conqueritur Tullius. 3. Tuſcul. Sunt ingenijs noſtris, inquit, ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, ſuſceptíque ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur. Adſonat Plato lib. 2. de legib. Aſſueſcat ergo pueritia dolore ac voluptate rectè moveri, ut à principio uſque ad extremum vitæ rectè oderit, quæ odiſſe oportet, & amet, quæ amanda ſunt. Ergo prima ætas riguo lactis imbre ad ſcientiam, & igneo mentis vigore ad probitatem eſt educenda. Id quod religioſus Scriptor hanc adducens fabulam monuit: Immortalitas, ait, nobis curanda eſt, ſeu lacte ſit opus, ſeu igne: ſive animus eruditione nutriendus ſive exercendus pietate. Drexel. in Triſmeg. lib. 3. c. 1. Rurſus per has animarum ſcintillas intelligas, nihil quantumvis parvum in educatione contemnendum. Quid ſcintillâ tenerius? uno flatu diſpelles, quid validius flammâ è ſcintilla nata? arſerunt hac integræ urbes & ingentia nemora, nam

Neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Id de pueritia cogita, cujus primæ ſcintillæ in magnas vitiorum flammas erumpent, niſi principijs obſtetur.

III. (c) Triptolemus artem colendæ terræ à Cerere edoctus eſt, ſalubri documento, quanti facienda agricolatio, quæ divinam habet o-

(c) *Laus agriculturæ.*

riginem;

riginem; quaque ratione juventus sit ad laborem assuefacienda, præsertim fructuosum & innocentem, qualis est agricultura, de qua Cicero. 1. Offic. Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius, nihil publicæ rei utilius. Siracides monet cap. 7. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo.* Est hæc commendatio rei rusticæ 1. Labor excludit otium, malorum omnium fontem & originem. 2. Labor est hominis proprium, nam ad eum *nascitur, ut avis ad volatum.* Job. 5. 3. Labor vegetat ac roborat corpus simul & animum. 4. Agricolarum vita ad innocentiam, patientiam, fortitudinem exercet. Optimi quondam milites ab aratro vocabantur. De agriculturæ felicitate Maro. 2. Georg.

O fortunatos nimiùm, sua si bona nôrint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Quo loco plures vitæ rusticæ laudes enumerat Poëta. Prima est *quies* hujus vitæ, secura à bello, tumultibus, negotijs: perpetua pace ac tranquillitate abundans. Secunda rusticorum *simplicitas*, ab omni fraude & dolo aliena. Tertia, *abundantia.* Quarta, *jucunditas.* Quinta, *frugalitas.* Sexta, virtus & religio, unde Astræa seu Justitia seu Virtus, terras exosa, ultimò omnium ad rusticos divertit, & ab his ad cœlum recessit, Poëta canente

------ extrema per illos
Justitia excedens terris, vestigia fixit.

IV. (*d*) Notandum, Triptolemum curru sublimem, longè supra terras evectum fuisse. Est enim labor dux ad virtutem, cujus ut cœlestis est origo, sic per illam est ad cœlum via. Possis huc applicare illam in Zodiaco sidereo rutilantem virginem, quæ manu sinistra *spicam* tenet, ut intelligas laborem (præsertim terram colentium, & agros aratro exercentium) esse incontinentiæ antidotum, & malarum cupiditatum remedium. Inter priscos anachoretas vulgatissimo ferebatur adagio: laborantem ab uno solo dæmone vellicari; desidem & cessatorem à plurimis exagitari. Quid, quòd hac per aërem vecturâ significetur, ita curandum *solum*, & rei augendæ, etiam per honestos labores studium, ut animus tamen sudore corporis ac pulvere non opprimatur, sed è fatigatis quoque membris, liber ad cœlum subvolet. Sic enim, ait D. Gregorius, curanda sunt temporalia, ut non amittamus æterna. Tal-

(*d*) *Commendatio laboris.*

pæ ſe infodiunt terræ, quia carent oculis: homines lucris præſentibus dediti, nihil vident earum rerum, quæ ad futuram felicitatem pertinent.

V. (e) Dignus immortalitate fuit Triptolemus: nam beneficium, quod à Dijs accepit, in alios ſparſit, tantò quidem ampliore munere, quantò in plures illud diffudit. Non enim nobis ſolis, ut Tullius ait, ſed patriæ nati ſumus. Et hoc eſt boni ac ſapientis Principis, ad profligandum otium & inopiam, bonas artes, præſertim agriculturam, inter ſubditos propagare. Veterum Sapientum eſt profatum, liberalitate & beneficentiâ homines proximè ad Deos accedere, id quod Triptolemus fecit. Eſt enim divinitatis proprium benefacere. Cicero lib. 2. de natur. Deor. Ipſe, inquit, Jupiter, id eſt, *juvans pater*, & à Majoribus noſtris *Optimus Maximus* dicitur; & quidem antè optimus, quàm maximus, quia majus eſt, certéque gratius, prodeſſe omnibus, quàm magnas opes habere. Hinc Varroni *dives* dictus eſt, quaſi *divus*, quod perinde ac Deus circumfluat maximis copijs, & alienam miſeriam ac inopiam, nihil ipſe interim incommodi accipiens, levare tam velit, quàm poſſit. Auguſtus ſanè Imperator, poſtquam imperium erat adeptus, nihil ſe magis ſibi gratulari dixit, quàm quòd gradum illum jam conſcendiſſet, unde univerſis benefaciendi facultas præſtaretur; cùm illud amplitudinis certum ſit teſtimonium, omnes beneficentiâ promereri. Dio lib. 5. Hinc in proverbium abijt, *homo homini Deus.* Antiquitas enim nihil aliud exiſtimabat eſſe *Deum*, quàm prodeſſe mortalibus. Vnde frugum, vini, legum autores, & quicunque ad vitæ commoditatem aliquid attuliſſet, pro Dijs habiti; quam ob cauſam etiam Sol, Luna, Aqua, Terra Numinibus accenſita ſunt, quòd plurimùm ad vitam conducere viderentur: quódque horum commoditate mortales maiorem in modum delectarentur.

Chiliaſtes.

(e) *Beneficentia colenda.*

SYM-

SYMBOLVM XXXII.

Arachne puella in araneam transformatur.

6. Metam.

Ethicè.

1. Ingratus discipulus. 2. Frivola & inania hominum studia. 3. Hominis cum aranea comparatio.

FUit hæc filia *Idmonis*, tinctoris Lydij, viri obscuri atque opificis; ex matre pariter ignobili, quæ tamen arte nendi ac texendi, famam apud multos collegerat. *Arachne* non maternum tantùm artificium probè calluerat, sed insuper acu pingebat elegantissimè, & Phrygionum sui temporis manum ita vicerat, ut omnem per Lydiam celebraretur; adeò, ut Nymphæ quoque regionis illius ac fluviorum accolæ, frequenter ad eam, operis admiratrices, invisèrent. Ea nominis celebritas inflavit tumidiùs puellam; eóque prolapsa est insolentiæ, ut neque Minervam artis suæ præsidem agnosceret, neque in certandi discrimen cum ea descendere subterfugeret. Dij ut lento pede ad vindictam procedunt, sic Pallas quoque aliquid puellari ætati dandum rata, formam & habitum vetulæ induit, séque sub eo schemate ad Arachnen confert, & verbis ad omnem humanitatem compositis, admonet temeritatis suæ, ádque rogandam stolidæ provocationis veniam adducere conatur. Illa torvo vultu personatam anum intuita, vix continuit manus, quin ejus vultum, tanquam acu Phrygia pingeret; certè superbis in eam dictis involavit, & vias suas relegere jussit, nisi facta quoque experiri vellet. Cur non veniret ipsa in conspectum, & in artis experimentum Minerva; se punctim cum ea dimicaturam acu: aut si placeret magis, cæsim, texturâ staminum, & jugali tela. Excussit iram Deæ, jactantia & procacitas juvenculæ; & quoniam ita lubitum est, ait, certemus; manum non in tela, sed telam stringamus. Simúlque positâ personâ ad opus se accingit.

Haud mora; consistunt diversis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt stamine telas:
Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo,
Inseritur medium radijs subtegmen acutis;

Quod digiti expediunt; atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.
Utraque festinat, cinctæque ad pectora vestes,
Brachia docta movent, studio fallente laborem.

Utraque magna argumentorum & simulacrorum varietate telam suam exornavit; Arachne quidem parùm memor virginalis pudoris, diversos & obscœnos superum amores intexuit; Pallas verò castimoniæ ac verecundiæ apprimè studiosa, nil nisi castum, pudicúmque figurabat. Opus utrinque fervet; labor tam feliciter succedit Arachnæ, ut etiam invidiam concitârit Deæ. Quæ denique arrogantiam & impudentiam puellæ non ferens, manum injecit ejus operi & disrupit; móxque correptô radiô, faciem adversariæ non perfunctoriè percussit. Illa contumeliam nec sustinere, nec vindicare valens, ultionem in seipsam convertit, collúmque laqueo ligavit. Dea pendentem miserata, levavit quidem, & eam vivere jussit, sed simul pendêre, in aliarum exemplum. Inde aspersam succo quodam venenoso, repentè in araneam convertit.

Fitque caput minimum, toto quoque corpore parva est:
In latere exiles digiti pro cruribus hærent:
Cætera venter habet: de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet aranea telas.

Ethica.

I. (a) Fabulæ finis seu ἐπιμύθιον, inter alia hoc est. Primò Arachne ingenio suo superbiens, negabat se Pallade (quæ tamen inventrix & præses est artis nendi & texendi) magistrâ, vel auxilio usam. Deinde non veretur tantam Deam in certamen provocare. Tertiò salutaria sub grandævæ matronæ specie monentem, pervicaciter aspernatur:

Certet, ait, mecum: nihil est, quòd victa recusem;
Cur non ipsa venit? cur hæc certamina vitat?
Consilij satis est in me mihi.

Quid jactantius his verbis? quid ingratius hoc animo? Non tantùm non agnoscit artificij sui autorem & magistram Arachne, sed insuper procaciter contemnit, & ei se arrogantissimè præfert. Non rarum hoc in discipulis ingratis exemplum est; pudet ipsos obnoxios vivere magistris suis, & agnoscere fontem, unde hauserunt. Gratiam benè merentibus tantùm abest, ut referant, ut etiam debere se negent; à quo crimine

(a) *Ingratus discipulus.*

crimine etiam beſtiæ abhorrent. Aliter Romani, apud quos *Fontinalia*, dies erat feſtus, quo in fontes coronas proijciebant, puteóſque coronabant, ut, à quibus pellucidos liquores ad reſtinguendam ſitim acciperent, ijſdem gratiam referre hoc ritu viderentur. Æquum eſt enim eos, à quibus haurimus beneficia, laude & gratulatione perſequi. Vetus verbum eſt: *Si aquam hauris, putcum corona.* Ægyptij ſiphonibus Niliacis leonina capita adſculpebant, eò quod Ægyptum fœcundaret aquis Nili inundatione leonis ſidus. Hoc gratæ mentis, & beneficiorum memoris, ſymbolum eſt.

II. (*b*) Arachne in beſtiolam abijt, muſcarum venationi intentam. Sic Deus ulciſcitur ſuperbum & ingratum animum, ut ad extremum faſtuoſus ſpiritus in viliſſimis curis inſumatur, inſtárque retis ab araneo nexi, ventis in ludibrium, hominibus in fabulam cedat. Quantùm ſe inflaverat olim Domitianus ille Imp. Romanus; qui Deos novos condidit, & ſeipſum Deum dixit, ſcripſítque. Qui Minervæ ſe filium credi voluit; qui ſub imagine Herculis adoratus fuit. de quo adulator Martialis lib. 6.

Cenſor maxime, Principúmque Princeps,
Vrbs cùm tot tibi debeat triumphos,
Tot naſcentia templa, tot renata
Tot ſpectacula, tot Deos, tot urbes.

(*c*) Ille inquam Domitianus, Deus ac Dominus, quotidie horas aliquot in cubiculum ſe abdebat, quaſi de rebus magnis conſulturus; cùm verò miniſtri aliquando per rimam, quid intus ageret, curioſiùs indagarent, viderunt Imperatorem muſcas ſtylo configentem. Hinc percunctantibus, quis intus eſſet cum Imperatore? *Ne muſca quidem*, reſpondebant. Non minùs ſtolidè *Heliogabalus*, Romanorum & ipſe Imperator, qui jubebat ſervos millena pondo ſibi aranearum deferre, propoſitô præmiô; collegiſséque dicitur decem millia pondo aranearum, dicens & hinc intelligendum, quàm magna eſſet Roma. Lamprid. En quò ſuperbia recidat. Perinde ridiculè & ſanè *Hartabus* Hircaniæ rex talpas capiebat: *Eropus* Macedoniæ rex, lateribus conficiendis delectabatur: *Bias* rex Lydiæ, filo ranas colligabat. Vah coronata ſtultitia! His accenſendi, qui inſanientis ſapientiæ ſtudioſi ac magiſtri, inutili ac futili labore, veluti aranei, conſumuntur, de quibus non inſcitè Martialis lib. 2. epig. 85.

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum. Horum

(*b*) *Frivola & inania hominum ſtudia.* (*c*) *Imperatorum & regum.*

(*d*) Horum integram classem Romanus Philosophus inducit. Didymus ille Grammaticus, qui ab assiduitate laboris χαλκέντερος, id est, ferreis visceribus, dictus est, quatuor millia librorum scripsisse dicitur. In his libris de patria Homeri quæritur; in his de matre Æneæ vera; libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit? an Sappho publica fuerit? Seneca ep. 88. Consimile studium Tiberij Imp. Rom. fuit, de quo Suetonius scribit, has quæstiones eum sciscitari consuetum: Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter filias Chironis? quid Sirenes cantare consuessent? quot Vlysses remiges habuerit? priórne scripta sit ilias, an odyssea? dexteróne an sinistro pede Æneas exscenderit. Et Plutarchus memorat in Convivio septem Sapientum, inquisitum, utrum prius fuerit, ovum, an gallina? Nec desunt *cuminisecæ*, & vocabulorum ῥιζότομοι, seu radicum sectores, qui abutentes otio, voces singulas & Syllabas exenterant, qui disputant, quid inter stillam & guttam intersit; reperire & invenire, quantum differant apud Nasonem 1. Metam.

----- & non inventa reperta est.

(*e*) Socratem quis occupari credat, ut saltum pulicis, pede ceræ impresso, metiri queat? quasi Philosopho dignum sit, operoso studio consectari, ter millies quadragesies quinquies hunc saltu uno, molem corporis excedere. Quid, quòd & hujus ævi viri, cæterùm docti, his aranearum textoribus adnumerari possint, qui operosè pervestigant, si chimæra esset homo, cui scientiæ se traderet? inter quos Professor ille accensendus, qui, ut Drexelius commemorat Rhet. lib. 1. c. 10. quæstiones Theologicas nihili faciebat, sed si *modales* incidissent, ubi *absolutum*, ubi *respectivum*, quasi Solimannum debellasset, ita insurgebat. Huc pertinent Sophistæ, qui vafris concluſiunculis, contortis quæstiunculis, cavillationibus, paralogismis, ac vitiosis argumentationibus, variáque fallaciarum specie alios decipere laborant. Possis etiam huc revocare illa ingenia, quæ in describendo passere, cane, fele, rana, musca, culice, pulice, pediculo; in laudanda mendicitate, ebrietate, luto, ipsa etiam stultitia, elaborato opere desudarunt. (*f*) Huc quoque referas *hæreticos*, qui subtilitate ingenij nihil aliud diu noctúque texunt, quàm aranearum telas, hoc est, fallacia animarum reticula, sed infirma, & uno Veritatis halitu diffianda. His adde Legum latores, & Judices, quorum edicta, decreta, mandata, leges, sunt araneorum casses, in quos si muscæ & volatilia alia pusilla inciderint, capiuntur & pereunt: fortiora

(*d*) *Grammaticorum.* (*e*) *Dialecticorum.* (*f*) *Hæreticorum.*

tiora verò animalia perrupto facilè texto, quoquò libuerit, elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atque castigant, potentioribus verò nihil adversantur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, refigunt. Pierius in Hieroglyph. lib. 26. cap. 47. His vir quidam doctus connumerat cincinnatulos pueros, puellásque, qui in comendis capillis tempus malè perdunt, & stulto se labore consumunt, crinium expandendo retia ad muscas, hoc est, ad gloriolam aliquam & vanitatem, vel blandiorem oculi alieni nictationem aucupandam. Atque horum omnium, quos recensuimus, Symbolum est *Arachne*, quæ fiduciâ ingenij & artis elata, cum suo fastu in araneolam immigravit, & in elaboranda textili nebula, studium omne, vitámque consumpsit. Hinc proverbio locus factus: *aranearum telas texere*, id est in re frivola, nulliúsque frugis, infinitum atque anxium laborem capere.

III. (*h*) Non possum omittere, quin huc adducam virorum doctorum sensa super illud psalmi 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, id est, reputabuntur, quia laborioſi sunt, & tamen inutiles, & vani, ut anni araneæ. In quæ verba Hugo Cardinalis; aranea, inquit, primò facit telam subtilem, & inutilem; idem facit astutia mundi. Isa. 19. *Confundentur texentes subtilia.* Quales illi, qui annos consumunt aut subtili & inutili, quod supra diximus, studio: aut astuti sunt & versuti in technis & fraudibus texendis, ut alios capiant & irretiant. Pergit Hugo. Secundò aranea se eviscerat; sic facit, avarus. Eccli. 10. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet; quoniam in vita sua projecit intima sua*, id est, ilia & exta instar araneæ, vitam & animam exposuit, ac perdidit ad opes acquirendas & accumulandas. 3. Aranea multùm laborat, & citò dissipatur opus ejus; sic accidit homini in fugacibus rebus spem suam ponenti. Jobi 8. *Sicut tela aranearum fiducia ejus.* 4. Aranea tabescit, cùm telam suam ruptam conspicit. Contingit hoc longa cogitationum ac negotiorum suorum fila ducentibus, & alta meditantibus. In tales illud psal. 38. convenit: *Tabescere fecisti, sicut araneam, animam ejus.* 5. Vita hominum vanitatibus, & curis terrenis deditorum insperatò rumpitur, uti araneorum tela. Isa. 38. *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Dum divitijs crescere, honoribus ascendere, ætate ac forma florescere incipiunt, mors telam abrumpit; anníque malè consumpti seris gemitibus revocanturr Isa. 59. *Quia tela aranearum texuerunt; opera eo-*

rum,

(g) *Puellarum & puerorum* (h) *Hominis cum aranea comparatio.*

rum, opera inutilia. 6. Aranearum tela semel rupta, resarciri non potest. Nempe sera venit post fata pœnitentia; cassum fuit, quidquid laboratum fuit. Hæc Hugo. S. Augustinus in eundem psalmi locum. Aranea, inquit, huc illuc discurrit, & texit tota die: & labor quidem grandis est, sed effectus nullus. Sic & vita hominum huc illúcque discurrit: possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimur, & omnia facimus; & non intelligimus, quòd araneæ telam teximus. Hæc eadem Psaltis regij verba eleganter & facundè, ut solet, explicat P. Hieremias Drexelius, Consid. 7. de æternit. quem operæ pretium est audire. Quid, ait, aliud sunt anni nostri, nisi continua exercitatio, & laboriosa meditatio? totum vitæ nostræ tempus varijs laboribus, multis doloribus, varijs timoribus, crebris suspicionibus, sollicitudinibus pænè innumeris exercetur; sicut aranea cùm fila filis nectit, catenatus & continuus est labor noster, continua suspiria, jam ut illo fruamur, jam ut istud amoliamur à nobis: & nescimus, quòd aranearum telam teximus, grandi labore, raro successu, nullo effectu. Aranea laboriosè telam suam orditur, diu multúmque discurrit, hac illac circuit, in idem sæpius redit, seipsam consumit, dum suam illam multiplicium filorum rotulam absolvat. Exenterat & evisceratse, ut suum illud perflatile tentoriolum ex arte concinnet. Quod ut sublimè suspendat, affigat, firmétque, sexcenties, it & redit, nec viscera suis parcit: libenter ea in tenuissimam hanc texturam impendit. Cùm verò tralucidum hoc & subtilissimum conopeum jam pendet alligatum, & textile hoc opus absolutum est, ad levem scoparum ductum omnis labor intercidit & perit; misella verò aranea vel in tela sua interficitur, vel eâ, velut laqueo, trahitur ad mortem, pede obtegenda. Ita imprudens animalculum, aut funebre sibi ipsi linteum nevit, quo involveretur: aut restem confecit, quô necaretur. Ita prorsus homines, instar araneæ, multis sese laboribus exhauriunt, ut in altum emergant, ut voluptatibus affluant, ut opes struant, retineant, & augeant. Hisce conatibus omne suum ingenium impendunt, sudant, enervantur, sicut araneæ viscerum egestu; & cùm omnia fecerint, telas aranearum habent, & textrinum opus ad capiendas muscas. Hæc ille piè, doctéque de araneæ laboribus.

SYM-

SYMBOLVM XXXIII.

Niobe regina in saxum induratur.

6. Metam.

Ethicè.

1. Superbiæ hæret vindicta. 2. Modestia in saventiore fortuna. 3. Niobe exemplum arrogantis feminæ. 4. Liberorum copiâ non superbiendum. 5. Vxorius maritus.

NIobe Tantali filia, uxor Amphionis Thebarum regis, quatuordecim ex eo liberos genuit, septem mares, totidem feminas. Igitur non numero modò prolis, sed generis quoque prosapiâ, divitiarum affluentiâ, amplitudine regni, formæ præstantiâ supra alias omnes matronas elata, se florentissimam, fortunatissimámque prædicabat; adeò quidem, sortis ut oblita humanæ, ipsam etiam *Latonam*, cum liberis suis *Apolline* & *Diana* contumeliosè sperneret, quippe duarum duntaxat prolium matrem, cum ipsa denis & quatuor gnatis superba incederet. Eò demum processit fastus, populum ut Thebanum ab horum Numinum sacris revocare non verita, divinos præ illis honores sibi deferri voluerit, æternam sibi felicitatem, quorumcunque Deorum ingratijs pollicita. Non sustinuit hanc arrogantiam & injuriam Latona; querelam ad liberos defert. Hi, ut par erat, cùm suo, tum matris contemptu permoti, præsentem vindictam promittunt. Accidit, ut Niobes filij sese in stadio ac palæstra, juvenili more exercerent, quà equitando, quà currendo & luctando; cùm eos conspicatus Phœbus, ut erat visu, telis, arte jaculandi instructissimus, sagittas ex occulto contorquet, aliúmque post alium è fratribus traijcit, fato miserando. Amphion parens simul ac didicit, quo pacto septem filij tristissimum in modum interijssent, vitam & ipse pertæsus, gladio in viscera adacto, invisam lucem abrupit. Quorum omnium acerbissimum interitum, etsi Niobe non vulgari luctu plangeret, ab insita tamen insolentia & animi impotentia nihil remisit; sed in ipso etiam planctu convitia in Latonam ingerere perstitit. Quâ linguæ intemperantiâ id est consecuta, ut jaculis à Diana immissis, pari ratione filiæ interemptæ, duplicarent funera ac luctum. Ipsa verò cùm tantæ calamitati ferendæ non esset,

victa magnitudine miseriarum, doloríque succumbens, in saxum est conversa, quod lugentis ac lacrimantis, speciem posteris etiam sæculis referebat. Quidam ei hoc epitaphium scripsit:

Hoc est sepulchrum intus cadaver non habens:
Hoc est cadaver sepulchrum suum non habens,
Sed cadaver idem est, & sepulchrum sibi.

Ethica.

I. (a) Imminet superbiæ à tergo vindicta, etiam in hac fabula. Intolerabilis arrogantia feminæ, liberorum multitudine & præstantia inflatæ spectatur in Niobe, & punitur. Quid tumidius his vocibus?

Sum felix, quis enim neget hoc? felíxque manebo,
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Major sum, quàm cui possit Fortuna nocere;
Multáque ut eripiat, multò mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona.

Quantò rectiùs Solon: ante obitum, supremáque funera beatum dici ullum mortalium nec debere, nec posse. Vindicavit se Fortuna non uno modo lacessita in Cyro, Cræso, Dario, Zenobia, Cleopatra, aliísque sexcentis, quos ad summum evexit, ut altiore & graviore casu præcipitaret. Benè Seneca: Felicitas, cui moderatio deest, diuturna esse non potest. Messalina Claudij Cæsaris uxor non antè cogitavit se & feminam, & mortalem esse, quàm percussor ad illam ingressus, è medio probrum illud sustulit; Tum primùm, inquit Tacitus, fortunam introspexit suam, sed serò. Quis nescit, superbum esse animal feminam, &, si forma, opes, fœcunditas blandiuntur, nullis modestiæ finibus continendum? Minimo contemptu irritatur, & superos ipsos, sicut Niobe, in arma provocat; inferiores despicit, æquales non fert, superioribus invidet. Qualis incessus, cùm pavoni instar gemmantem caudæ rotam explicat? Quis gestus euntis, & videri cupientis? Quæ verba sese admirantis & circumspicientis? Junonem tibi objice, de qua. 1. Æneid.

Ast ego quæ Divûm incedo regina, Jovísque
Et soror & conjux.

Quid hac Deâ ventosius? quid ei, quàm Niobe, similius? cui Deo, Déæve non movet litem de prærogativa honoris mulier, cui fortuna faverit

(a) *Superbia habet vindictã.*

verit indulgentiùs? Fecit id ſuo maximo malo Niobe. Sapienter monet Poëta

----- Et feliciſſima matrum
Dicta foret Niobe, ſi non ſibi viſa fuiſſet.

Et quænam hujus, quamvis reginæ, tamen mulierculæ & ſuperſtitionibus devotæ, adverſus ſuperos inſultatio?

Cladibus, exclamat, Saturnia, paſcere noſtris,
Paſcere, & hanc peſtem ſpecta crudelis ab alto.

Ita Julianus ille, nomen infame Cæſarum, à ſacris Chriſtianis apoſtata, miſsâ cœlitus haſta ſaucius, ſanguine de vulnere, cava manu hauſto, & in aërem ſparſo, blaſphemus exclamavit: *Viciſti Galilæe, viciſti!* & ſimul impium ac impurum ad Tartara ſpiritum evomuit. Atque hoc eſt, pugnare cum Superis, quos vana quoque Gentium religio nunquam impunè contempſit; cùm natura dictante, colendus ſit, qualemcunque demum Deum ſive ignorantia, ſive malitia ſibi finxerit.

II. (*b*) Deinde Niobes è fabula diſcimus, in rebus proſperis animo noſtro moderari, &, cùm ſimus homines, ſupra homines non tollere cervicem. Exempla moderationis hujus inſignia ſunt Agathocles Siciliæ rex, è filio figuli, qui cænabat vaſis teſtaceis, ut meminiſſet generis, unde oriundus erat. Sic Perſes vex Macedoniæ, cùm ſubito irrumpentibus Romanis, jam in conſpectum veniſſet hoſtis, ipſe, quanquam regiæ majeſtatis retinentiſſimus in templum confugit, liberóſque admonuit ſuos, ut Fortunam, cui tantùm liceret, revererentur. Florus lib. 2. c. 12. Ante hunc Philippus Macedo, Alexandri M. parens poſt Athenienſes & Thebanos inſigni prœlio victos, non tamen in convivio riſit; non ludos inter epulas adhibuit; non coronas aut unguenta ſumpſit; & quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo ſentiret, ſed nec Regem ſe Græciæ, ſed Ducem appellari juſſit. Atque ita tacitam lætitiam, & dolorem hoſtium temperavit, ut neque apud ſuos exultaſſe, neque apud victos inſultaſſe videretur. Juſtinus lib. 9.

III. (*c*) Et hæc de modeſtia virorum; non item feminarum, quarum ducem & anteſignanam Nioben, denique ſuperbia ſua ad ultimam calamitatem adegit, unde Poëta.

Heu, quantum hæc Niobe, Niobe diſtabat ab illa,
Quæ modò Latois populum ſubmoverat aris:
Et mediam tulerat greſſus reſupina per urbem,
Invidioſa ſuis!

(*b*) *Modeſtia virorum in faventiore fortuna.* (*c*) *Niobe exemplum arrogantis feminæ.*

Qualis inceſſus, talis ejuſdem fuit oratio, pleniſſima faſtu, cùm dixit:

Numen adhuc ſine thure meum eſt? mihi Tantalus autor,
Cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas.
Pleïadum ſoror eſt genitrix mea: maximus Atlas
Eſt avus, æthereum qui fert cervicibus axem.
Jupiter alter avus, ſocero quoque glorior illo,
Me gentes metuunt Phrygiæ, me regia Cadmi
Sub domina eſt, fidibúſque mei commiſſa mariti
Mœnia cum populis, à méque, viróque reguntur.
In quamcunque domûs adverti lumina partem,
Immenſæ ſpectantur opes. accedit eodem
Digna Deâ facies: huc natas adijce ſeptem
Et totidem juvenes, & mox generóſque nurúſque

Quot verba, tot folles inflati, & præ tumore rumpendi. Jactat ſe Niobe à parente *Tantalo*, Deorum conviva: à matre Taygete, unâ ſeptem filiarum Atlantis: ab avo *Jove*, cujus filius Tantalus: ab eodem ſocero ſuo, nam ex Jove natus *Amphion*: à marito, Thebarum rege, ſcilicet Amphione: à diviſo cum marito imperio: ab immenſis divitijs: à venuſtate formæ: à numeroſa ſobole: à futuris connubijs & affinitatibus. Ipſa profectò Arrogantia & Oſtentatio ſi loquatur, tumentiùs loqui non poſſit. Jactabunda hæc lingua in utroque ſexu frequens eſt; ſed impotentior in ſequiore. Breviter confirmo. Sutori Hiſpano, & egeno cùm jam fata inſtarent, aderat filius in paternam ſortem natus. Is cùm rogâſſet, ecquid ſibi deceſſurus præceptorum relinqueret, jam defecta voce pater, ut, inquit, memineris in majeſtatem aſſurgere familiâ tuâ dignam. Ex eadem gente mulier fuit, vix centonibus ſatis tecta, tribúſque, qui comitabantur liberis, precarium ſpiritum triſti mendicitate producens. Fortè in Gallorum cœtum inciderat: Et ex his ſtatim unus ſpectaculo motus; ego, inquit, ô mulier, hoc te onere ex parte levabo, majorem ex tuis liberis (& is fortè ad decennium pervenerat) mihi trade, hunc levibus, ſúæque ætati paribus ad ſerviendum officijs aſſuefaciam; ubi adoleverit, meo ſumptu curáque hoc artificij genere, quod maximè probaverit, imbuetur. Ad hæc mulier, nec Deus ſiverit, inquit, ô mi homo, quanquam pauperem me vides, ut in tantam humilitatem filium damnem; quî aut tu, aut ego ſciamus, in quæ fata ſit genitus? aut quàm claris virtutibus ſubſidium patriæ paraturus? Satius illi, ſi ita fata tulerint, inediâ extingui, quàm ad ſervitutem (ſub

externo

externo præcipuè Domino) egregijs hominibus indignam accedere. En quanti ſpiritus etiam in centonibus! Joannes Barclaius in Icone animorum. cap. 7. Sed vitium hoc non unam gentem inficit; per omnes plagas vagatur. Alicubi in Germania pueri, etiamnum à matre rubentes, tam ſtrenuè imitantur Nioben, ut dicas ejus ubera ſuxiſſe; adeò noverunt ſtirpis ſuæ ramos omnes, & frondes, & folia enumerare, genealogias recenſere; agnationes, cognationes, propinquitates, affinitates velut ſuum nomen tenere. Nondum didicerunt memoriter Decalogum, cùm ſciunt avos, abavos, atavos, tritavos; patruos, patrueles, conſobrinos, avunculos, amitas, materteras; Majorum item ſuorum officia, munia, magiſtratus, Principum favores, honores, opes, clientelas, arces, prædia, fundos, veluti docti cunis in ipſis pſittaci, ſine hæſitatione recitare linguaculi, avitis ceris ſuperbi. Quò denique recidit omnis hæc oſtentatio Niobes, eiúſque ſimilium? In cinerem, in pulverem, in breve ſaxum & cippum ſepulcralem, qui faſces, tiaras, titulos, coronas anguſtâ foveâ claudit; cujus rei ſymolum eſt lapidea Niobes ſtatua (natorum tumulo impoſita) in quam Niobæa jactantia deſijt. Vetuſtius paradigma ex prima omnium parente habemus, quæ quia Deo voluit eſſe ſimilis, à ſua felicitate excidit, & omnium calamitatum iliadem in Orbem invexit. Verè Seneca lib. de brevit. vitæ. O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! Quàm multi fuiſſent felices, niſi ſe tales putâſſent!

IV? (*d*) Innuit hæc fabula, ne in liberorum quidem copia multum ſpei aut fiduciæ collocandum; cùm infinita exempla loquantur, ſolere fieri, ut exiguo momento copioſa ſoboles ad lugendam paucitatem redigi, vel penitus aboleri poſſit. Quid enim uſitatius, quàm ut parentes filijs extremum officium impendant, oculóſque morientibus comprimant inverſo naturæ ordine? Filios, inquit Petrarcha Dial. 70. genuiſti; diſces tuo periculo longas, in brevi vita, curas texere. Seviſti arborem inexhauſto percolendam ſtudio, cujus nullas forſitan fruges leges. Filij ſunt tibi; ſi boni, jugis timor: ſi mali, ſempiternus dolor, ſolamen ambiguum, certa cura. Habes filios, habes cum ijs, unde vivus doleas, mortuus agnoſcaris; habes, & unde ſæpius mori poſſis. Neſcis, quam dolendi materiam gignendo quæſieris, quot lacrimis aditus in tuam domum patefeceris, quantum in te jus mortis, miſeriæque præbueris. Expertus hoc Amphion eſt, & uxor ejus Niobe, quæ, quòd ſuperbâ duritie nollet Dijs cedere, in lapidem obriguit; mollior tamen vel in ſa-

xo

(*d*) *Liberorum copiâ non ſuperbiendum.*

xo facta est, quia quas viva lacrimas fundere sive non potuit, sive noluit, certè in exanimi statua simulavit, monumentum cum uxore Lothi comparandum, nam hæc curiositatis, illa arrogantiæ pœnas, quas neutra sensit, dedit. Hæc ille. Non est tamen negandum, magnum esse matrimonij fructum, ac decus numerosam prolem, & bona indole præditam. De hac parentum felicitate David psal. 127. Vbi inter alia præmia Deum timentis, ideóque beati, hoc etiam recenset: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ. Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Quasi diceret: (e) O felicem maritum! ô beatum patrem, cujus uxor erit fœcunda, sicut vitis frugifera, quæ sese propagabit per omnia latera domûs! & veluti novæ olivarum plantulæ, pulchræ, sempérque virentes, atque in omnem partem ductiles spem faciunt optimæ frugis: ita filij tui erunt pulchri, sani, viribus & ingenio florentes, dociles, morigeri, magnæ spei: qui circa mensam pulchro ordine per ætatis seriem stantes, tuos, tuæque conjugis recreabunt oculos. Equidem maxima ornamenta matronis esse liberos, Valerius Maximus refert lib. 4. c. 4. Cornelia, inquit, Gracchorum mater, cùm Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostenderet: traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: *Et hæc*, inquit, *ornamenta mea sunt.* Rectè verò & sapienter; nam uniones & gemmæ, marium sunt excrementa; generosa & benè morata soboles, tanto pretiosior est partus, quantò eæ, quæ pariunt, Conchylijs sunt Indicis nobiliores. Ejusmodi mater aspiciens liberos suos, meritò potest usurpare verba Apostoli Philipp. 4. *Vos estis gaudium meum, & corona mea.*

V. (f) Non inobservatè transmittendum est, hujus feminæ, scilicet, Niobæ, maritum fuisse illum ipsum Amphionа, qui saxa ad ineundam Thebarum urbis structuram cantu pellexit; virum utique dulcissimi eloquij, musicæque peritissimi. Sed quantò ipse lenior suaviórque in tractandis tam conjugis, quàm aliorum animis, tantò magis ejus superbiam & supercilium aluit: ita quidem, ut qui in ædificatione Thebana è saxis ad cantum ejus se moventibus, quasi homines reddidit, postea ex hominibus effecerit saxa. Nam quòd Niobe in lapideam sit statuam mutata, quænam fuit alia causa, quàm uxoria Amphionis indulgentia, qui hanc Junonem pridem compescere debuerat, neque permittere, ut arreptô in homines imperio, etiam in Divos insolesceret. Hæc ei lenitas quanti constitit! propter uxoris indomitam cervicem, Deorum indigna-

(e) *Qua felicitas in numerosa prole.* (f) *Vxorius maritus.*

dignationem incurrit; & miser ipse, liberique funestam necem subierunt. Verè Aristophanes; nulla fera minùs expugnabilis quàm femina. Summa ibi contumacia, si cedendum; si verba & fraudes componendæ, summa astutia; si coquenda vindicta, maxima vigilantia. Neque imbecillis tantùm & impar laboribus hîc sexus est: sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatis avidus, omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderat, inquit Tacitus. Et Poëta in vetere Comœdia.

Malè quod mulier facere incipit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseriæ miseria;
Si benè facere incipit, eius eam citò odium percipit.

SYMBOLVM XXXIV.

Amphion cantu fidium Thebas urbem ædificat.

Homerus Odyss. μ.

Ethicè.

1. Princeps amabilis. 2. Concordia civium. 3. Cithara, hieroglyphicum boni Principis.

Fuit is Jovis ex Antiopa, Lyci Regis Thebani, filia proles, Thebarum & ipse rex, non sceptro magis, quàm plectro potens & clarus. Vxor ei fuit Niobe, mulier superba & imperiosa, quæ cotis instar virtutem & patientiam mariti acuebat, de qua in præcedente Symbolo. Citharam *Amphion* ab ipso Mercurio ejus inventore, accepit; quam, sicut alia instrumenta musica, tanta suavitate pulsavit, ut, cùm Thebæ in Bæotia, non satis adversùs finitimos hostes essent instructæ turribus ac propugnaculis, ipse mellito fidium sono saxa quoque commoverit, & ad urbis Thebanæ constructionem attraxerit. Illa quippe dulcissimo modulatu duritiem suam ponere, & velut animata essent, loco se movere; primóque grandiora in fundamentum intrare; deinde paulò minores lapides, leni motione confluere, aliique super alios subsilientes, ultro coëunte junctura, consurgere; demum crescente numero, partim summam in altitudinem sese attollere, partim in propugnacula, ad vim quamcunque repellendam, protuberare cœperunt. Muros septemgemi-

xo facta est, quia quas viva lacrimas fundere sive non potuit, sive noluit, certè in exanimi statua simulavit, monumentum cum uxore Lothi comparandum, nam hæc curiositatis, illa arrogantiæ pœnas, quas neutra sensit, dedit. Hæc ille. Non est tamen negandum, magnum esse matrimonij fructum, ac decus numerosam prolem, & bona indole præditam. De hac parentum felicitate David psal. 127. Vbi inter alia præmia Deum timentis, ideóque beati, hoc etiam recenset: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domûs tuæ. Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Quasi diceret: (e) O felicem maritum! ô beatum patrem, cujus uxor erit fœcunda, sicut vitis frugifera, quæ sese propagabit per omnia latera domûs! & veluti novæ olivarum plantulæ, pulchræ, sempérque virentes, atque in omnem partem ductiles spem faciunt optimæ frugis: ita filij tui erunt pulchri, sani, viribus & ingenio florentes, dociles, morigeri, magnæ spei: qui circa mensam pulchro ordine per ætatis seriem stantes, tuos, tuæque conjugis recreabunt oculos. Equidem maxima ornamenta matronis esse liberos, Valerius Maximus refert lib. 4. c. 4. Cornelia, inquit, Gracchorum mater, cùm Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostenderet: traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: *Et hæc*, inquit, *ornamenta mea sunt.* Rectè verò & sapienter; nam uniones & gemmæ, marium sunt excrementa; generosa & benè morata soboles, tanto pretiosior est partus, quantò eæ, quæ pariunt, Conchylijs sunt Indicis nobiliores. Ejusmodi mater aspiciens liberos suos, meritò potest usurpare verba Apostoli Philipp. 4. *Vos estis gaudium meum, & corona mea.*

V. (f) Non inobservatè transmittendum est, hujus feminæ, scilicet, Niobæ, maritum fuisse illum ipsum Amphionа, qui saxa ad ineundam Thebarum urbis structuram cantu pellexit; virum utique dulcissimi eloquij, musicæque peritissimi. Sed quantò ipse lenior suaviórque in tractandis tam conjugis, quàm aliorum animis, tantò magis ejus superbiam & supercilium aluit: ita quidem, ut qui in ædificatione Thebana è saxis ad cantum ejus se moventibus, quasi homines reddidit, postea ex hominibus effecerit saxa. Nam quòd Niobe in lapideam sit statuam mutata, quænam fuit alia causa, quàm uxoria Amphionis indulgentia, qui hanc Junonem pridem compescere debuerat, neque permittere, ut arreptô in homines imperio, etiam in Divos insolesceret. Hæc ei lenitas quanti constitit! propter uxoris indomitam cervicem, Deorum indigna-

(e) *Qua felicitas in numerosa prole.* (f) *Vxorius maritus.*

dignationem incurrit; & miser ipse, liberique funestam necem subierunt. Verè Aristophanes; nulla fera minùs expugnabilis quàm femina. Summa ibi contumacia, si cedendum; si verba & fraudes componendæ, summa astutia; si coquenda vindicta, maxima vigilantia. Neque imbecillis tantùm & impar laboribus hîc sexus est: sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatis avidus, omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderat, inquit Tacitus. Et Poëta in vetere Comœdia.

Malè quod mulier facere incipit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseriæ miseria;
Si benè facere incipit, eius eam citò odium percipit.

SYMBOLVM XXXIV.

Amphion cantu fidium Thebas urbem ædificat.

Homerus Odyss. μ.

Ethicè.

1. Princeps amabilis. 2. Concordia civium. 3. Cithara, hieroglyphicum boni Principis.

Fuit is Jovis ex Antiopa, Lyci Regis Thebani, filia proles, Thebarum & ipse rex, non sceptro magis, quàm plectro potens & clarus. Vxor ei fuit Niobe, mulier superba & imperiosa, quæ cotis instar virtutem & patientiam mariti acuebat, de qua in præcedente Symbolo. Citharam *Amphion* ab ipso Mercurio ejus inventore, accepit; quam, sicut alia instrumenta musica, tanta suavitate pulsavit, ut, cùm Thebæ in Bæotia, non satis adversùs finitimos hostes essent instructæ turribus ac propugnaculis, ipse mellito fidium sono saxa quoque commoverit, & ad urbis Thebanæ constructionem attraxerit. Illa quippe dulcissimo modulatu duritiem suam ponere, & velut animata essent, loco se movere; primóque grandiora in fundamentum intrare; deinde paulò minores lapides, leni motione confluere, aliique super alios subsilientes, ultro coëunte junctura, consurgere; demum crescente numero, partim summam in altitudinem sese attollere, partim in propugnacula, ad vim quamcunque repellendam, protuberare cœperunt. Muros septemgemi-

næ distinxerunt portæ, tot scilicet, quot in cithara Amphionis chordæ, & in chordis vocum discrimina. De quibus Maro 6. Æneid. Orpheum describens:

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum

Ethica.

I. (a) Quemadmodum cithara constat è summis, medijs, infimis fidibus, & ipsa chordarum inæqualitate, concinnam & concordem reddit harmoniam, si perita manus rectè eas composuerit, & impulerit. Eodem modo respublica, è diversis hominum conflata generibus, & ordine dissimili, concordi pace ligatur, si Principem nacta fuerit, qui & consilio, & rerum usu valeat, quique benevolentiam suorum, consensum, & commune pacis vinculum fovere nôrit. Ejus rei imago fuit Amphion, de quo Horatius in arte Poëtica:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda.

Nihil enim ad permovendos hominum animos efficacius, quàm morum amabilitas; (quæ per dulcem citharæ sonum designatur) nam ut Tacitus ait lib. 11. Annal. Princeps amorem apud populares, metum apud hostes quærat. *Verbum dulce*, inquit Siracides c. 6. *multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* ita quidem, ut cautes etiam & saxa, id est, cruda & saxea hominum corda suavitate sermonis demulceantur, & trahantur, uti traxit Amphion, de quo Poëta:

Movit Amphion lapides canendo.

Eloquentiâ namque suâ, & blanda oratione persuasit non tam lapidibus, quàm duris hominibus, ut ultro confluerent, & operam navarent in mœnibus Thebanis condendis. Hanc artem conciliandi animos Plutarchus docuit Imp. Traianum, dum ad eum scripsit, *Leniter atque placidè fides, non vi & impetu concuti debere.* Tullius quoque lib. 2. de Republ. concordiam, quam parit suavitas eloquij, comparat fidibus & concentui musico; Vt in fidibus, inquit, atque cantu ipso & vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur, & congruens: sic summis, & infimis, & medijs interjectis ordinibus ut sonis, moderatæ natura civitatis concentu dissimillimorum consistit; & quæ harmo-

(a) *Princeps amabilis.*

harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in civitate concordia, quæ ſine juſtitia, nullo pacto eſſe poteſt. Ad Tullium accedit Plutarchus lib. de amicis. Muſica, inquit, in cantu & organis, argutè quidem concors eſt, ex acutis, & medijs, & gravibus modis, quanquam ſint diſſimiles; ita firma amicitia non aliter, atque una anima in multis corporibus, æquabili ratione conſiſtit.

II. (*b*) In hunc modum Thebarum mœnia exædificavit canorus Amphion, & adversùs hoſtiles aggreſſiones communijt; quid enim validius ad propugnandum & tuendum, quàm civium concordia? Hoc munimentum, fundatore Lycurgo, urbis Spartæ fuit. Vnde Ageſilaus rex ibidem, rogatus à quodam, cur Sparta mœnibus non cingeretur? oſtendit ei cives unanimes & armatos: Hi, inquit, ſunt Spartanæ civitatis mœnia; ſignificans, urbes nullo munimento tutiores eſſe, quàm virtute civium conſentientium. Plutarch. in apopht. Lacon. Rurſum Lacedæmonij ſeu Spartani cùm de civitate mœnibus cingenda conſultarent, Iſæus Sophiſta recitavit illud Homeri:

Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atque viro vir.

Addidítque: ſic mihi ſtate, Lacedæmonij, & muris cincti ſumus. Illuſtrantur hæc exemplo Sciluri, regis Scytharum, qui octoginta filiorum pater, cùm moriturus eſſet, faſciculum jaculorum ſingulis porrexit, juſsítque rumpere. Quod cùm illi fieri poſſe negaſſent, ipſe ſingula jacula è faſciculo exemit, & confregit, filios admonens his verbis: ſi concordes eritis; validi, invictíque manebitis: contrà, ſi diſſidijs ac ſeditione diſtrahamini, imbecilles vos præbebitis, & expugnatu faciles. Simile de Micipſa Numidarum rege memorat Salluſtius; qui jam jam è vita exceſſurus, filios paterno monuit affectu, ut concordes ſint, addens: *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.* Confirmat hæc omnia Salomon Prov. 18. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma, & judicia, quaſi vectes urbium.* Videlicet concordia fratrum eſt inſtar urbis munitiſſimæ & inexpugnabilis; *judicia* verò, hoc eſt, lites & diſſidia fratrum, ſunt quaſi vectes urbium ſeu fores, quæ per diſcordiam facilè hoſtibus reſerantur, & præbent aditum. Huc facit Symbolum Ottoberti Comitis Habsburgici, in quo Cithara ſuſtinetur ab armato brachio, cum inſcriptione: *Hæc mihi tuba.* Quaſi diceret: ad concordiam potiùs, quæ animorum eſt harmonia, quàm ad arma vocabo. Vide Alciati emblema 10.

III. (*c*) Poſſent per Amphionis citharam heptachordon intelligi

(*b*) *Concordia civium.* (*c*) *Cithara eſt hieroglyphicum boni Principis.*

ſeptem virtutes, maximè decentes Principem & exornantes; videlicet *Religio*, de qua Liv. lib. 5. Omnia proſpera eveniunt colentibus Deos, adverſa ſpernentibus. Et Ariſtoteles 6. Polit. Primum eſt curatio rerum divinarum. 2. *Juſtitia* de qua Cic. in paradox. Jus & æquitas ſunt vincula civitatum. Et S. Aug. lib. 4. de Civ. Remota juſtitiâ, quid ſunt regna, niſi latrocinia? Et Auguſtus apud Senecam in Lucullo: Pietate & juſtitia Principes Dij fiunt. 3. *Fortitudo.* Hieronymi dictum eſt: Fortitudo atque conſtantia via regia eſt, à qua declinat ad dextram, qui temerarius eſt & pertinax: ad ſiniſtram, qui formidoloſus eſt & pavidus. 4. *Prudentia.* Omnium temporum eventus docebit, & docuit, *plura in ſumma fortuna, auſpicijs & conſilijs, quàm telis & manibus geri.* Tacitus. Et Euripides: Mens una ſapiens, plurium vincit manus. 5. *Clementia.* Malè timore veneratio acquiritur, longéque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor. Plin. epiſt. 8. Ciceronis ſententiâ homines nulla re propiùs accedunt ad Deum, quàm ſalutem homini dando. Et Rudolphi Auſtriaci dictum eſt: ſeverum fuiſſe pœnituit, placabilem nunquam. 6. *Liberalitas.* Quemadmodum fruges non tam ingenio ſoli, quàm cœli beneficio, melioréque temperie lætiùs exuberant: ita & meliores artes, eximiáque ingenia, benignitate, humanitatéque Principum virorum evocantur, & excitantur. Cleomenes & Ptolemæus reges Ægyptiorum adeò benefici erga cunctos extiterunt, ut inde beneficiorum cognomina reportârint, *Evergetæ* dicti. 7. *Temperantia*, ſeu moderatio cupiditatum; nam quomodo reget alios, qui ſe ipſum regere neſcit? Latiſſimè dominatur, qui in ſe obtinet imperium. Alexandrum certè Magnum, quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt, & animus cupiditatibus ſolutus.

SYM-

SYMBOLVM XXXV.

Lycij ruſtici in ranas vertuntur.

6. Metam.

Ethicè.

1. Agreſtis inhumanitas. 2. Officium peregrinis exhibendum. 3. Maledicentia. 4. Ranæ, typus convitiatorum. 5. Item obtrectatorum adverſus viros ſapientes. 6. Item loquacium. 7. Etiam in minimis magnum datur beneficium.

CUm Latona ex Jove gravida, Junonis Zelotypæ acerbis odijs exagitata, nuſpiam terrarum locum inveniret, ubi quieſceret & puerperiô cubaret, denique in inſulam Delon (quæ cùm antè fluctuaret, juſſu Jovis conſtitit, Latonæque profugæ ad pariendum locum dedit) delata, gemellos edidit, *Apollinem & Dianam.* Sed neque hîc ſatis tutæ licebat eſſe; quare collectis properè in ſinum parvulis, aufugit inde, ínque Lyciam minoris Aſiæ provinciam devenit. Fatigata labore viæ, ſolis æſtu, laſſitudine ac ſiti, commodùm in valle proxima, ſtagnantis aquæ lacum conſpicatur; in cujus ripis juncos & paluſtria virgulta colligebant accolæ ruſtici. Accedens igitur ad lacum, cùm inclinato vellet aquam haurire corpore, prohibuerunt id agreſtes. Debebat puerperæ, debebat parvulorum aſpectus permovere ad humanitatem agreſtes: debebat ipſa natura eos admonere officij, nam & hoſtis undam hoſti commodat; ſed robore duriora erant Corydonum pectora. Non enim contenti fuere peregrinam barbarè arcuiſſe à ſtagno; aquam ipſam commotô, & in ſuperiores partes evocatô limô turbidam, potuíque ineptam reddiderunr, convitijs inſuper ad inhumanitatem petulanter additis. Non potuit non in iram accendere Divam contumelia; & quia precibus nihil efficiebat bonis, malas in eos ſtrinxit; & optavit, ut crudiſſimi mortalium perpetuam deinceps in aquis illis vitam degerent. Dictum, factum! ſubita mutatione in ranas transformantur Mopſi, impetúque facto inſiliunt in aquas, humidô ſe abdunt limô, raucas litibus exercent linguas,

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam,

Ethica.

I. (a) Quadrat hæc metamorphosis rectissimè in homines rusticanos, quorum nota est inhospitalitas; qui si peregrinum aliquem viderint, caperata fronte, torvísque oculis in eum intuentur, non aliter, quàm si ex interiore Libya monstrosæ novitatis bestiam contemplarentur. Vestitus dispar, loquela, mores, incessus ab eorum ratione differens, totidem causæ odij. Frustra ab ijs vel haustum frigidæ, vel comem viæ monstrationem petas; nec rarò convitia pro officijs feras. Nil possunt adversùs duritiem verba composita, blanditiæ, preces. Quæ si adhibeas, non plus efficies, quàm Latona cum gemellis suis brachiola tendentibus. Describit cruditatem Naso:

Quem non blanda Deæ potuissent verba movere?
Hi tamen orantem perstant cohibere: minásque
Ni procul abscedat, convitiáque insuper addunt,

Et hoc erat jus ipsum naturæ violare, quod Latona conquesta est:

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est;
Nec solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas.

Natura nos finxit, inquit Tullius 1. Offic. ad communicanda officia, adducítque versus Ennii:

Homo, qui erranti comiter ostendit viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipsi luceat, cùm illi accenderit.

Quibus verbis præcipitur, ut quod sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto; ex quo sunt illa communia: *Non prohibere aqua profluente: Pati ab igne ignem capere, siquis velit: Consilium fidele deliberanti dare. Quæ sunt his utilia, qui accipiunt, danti non molesta.* Hæc Cicero. Secus fecerunt rustici Lycii, qui non tantùm nullum humanitatis officium ostenderunt peregrinis & rogantibus, sed eos insuper injuria affecerunt. Nimirum agrestibus istis robur & æs triplex circa pectus erat, & animus summâ malevolentiâ corruptus. Quid enim inhumanius, quid barbarius? miseris, supplicibus, in summa necessitate, in peregrino solo, in tenella ætate constitutis negatur haustus aquæ, intentantur minæ, voces in eos maledicæ expromuntur; manibus, pedibus, saltibus aqua, ne quid inde libetur, turbatur, & limosa redditur; Minatur Ecclesiasticus cap. 3. *Cor durum malè habebit in novissimo.* Nam genus hoc *Ranæ* mutuis sese male-

(a) *Agrestis inhumanitas.*

maledictis proscindent *in stagno ignis ardentis* Apocal. c. 19. cum Sociis dæmonibus, qui ibid. dicuntur *de ore draconis & bestiæ exire in modum ranarum.*

II. (*b*) Lex tam naturæ, quàm divina dictat, peregrinis humanitatem esse exhibendam. *Peregrino molestus non eris; scitis enim advenarum animas. Quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Exod. 23. Quibus verbis innuitur, Hospitaliter & humaniter habendos peregrinos; tum quia quicunque inter exteros & ignotos versantur, solent esse animo pavido, suspenso, verecundo, ut proinde satis ipsa peregrinatione afflictis, non sit addenda afflictio; tum quia Hebræi experti erant, quàm esset dura peregrinantium conditio; adeóque non ignari malorum discerent succurrere miseris. Habétque hîc vel maximè locum illud: *Quod tibi vis fieri, facias alteri.*

III. (*c*) Etiam Latona non extra culpam est; ferventiùs in imprecationes prosilvit, cùm

Æternùm stagno, dixit, vivatis in isto.

Aliud nos docet Lex, non dicam Christiana, sed etiam ethnica. Cato certè cujusdam probris vexatus, respondit: Impar mihi tecum certandi conditio est; nam ut malè dicere, & malè audire tibi facillimum est: sic mihi maledicere insuave est, & malè audire insuetum. Plut. in vita Catonis. Hoc ipsum sæpe accidit viris Religiosis, quando per heterodoxorum provincias, & urbes faciunt iter; quos non rarò juventus malè morata; opifices sordidi, illiberales, scurriles petulanter dicteriis & convitiis insectantur, satísque indicant, hos spiritus *ex ore bestiæ* (Hæresis) *in modum ranarum exire.* Viri tamen cordati & religione inclyti, has, aliásque contumelias generoso stomacho concoquunt, qualem non habuit Latona.

Lyciorum rusticorum in ranas mutationem festivè describit Naso:

Eveniunt optata Deæ: juvat esse sub undis,
Et modò tota cavâ submergere membra palude,
Nunc proferre caput, summo modò gurgite nare,
Sæpe super ripam stagni consistere, sæpe
In gelidos resilire lacus; sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulsóque pudore,
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt,

Ipsáque

(*b*) *Officium peregrinis exhibendum.* (*c*) *Maledicentia.*

Ipſáque dilatant patulos convitia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur,
Spina viret, venter pars maxima corporis albet:
Limoſóque novæ ſaliunt in gurgite ranæ.

IV. *(d)* Imago hæc eſt convitiatorum & calumniatorum; in limo & luto delectamentum quærunt; in ſordidis obtrectationibus linguam & dentes exercent. Et ubi non coaxant hoc genus *Ranæ:* ubi ſuo ſtrepitu non obtundunt aures? non ſecus ac ranæ illæ Ægyptiæ, quondam in Pharaönem immiſſæ. Exod. 8. cibos omnes, vaſa, ollas, lances, ſedes, menſas, domos, apothecas, penuaria, cubicula, lectos, vias, cunctáque occupantes ac fœdantes. De quibus Philo lib. 1. de vita Moſis. Vix Aaron manum extenderat, cùm ranarum tanta vis prorepſit, ut non ſolùm fora compleret, ac loca ſubdialia; verùm & domos, & villas, & cuncta ædificia tam Sacra, quàm profana; tam privata, quàm publica; haud ſecus, ac ſi genus hoc aquatilium miſſum eſſet in diverſi elementi coloniam; natura mutante rerum viciſſitudinem. Hæc Philo. En quò penetrent maledicæ, vel etiam obſcœnæ linguæ (nam in cœno naſcuntur ranæ) quid non fœdent, inquinent, inficiant? In menſis præſertim, & inter compotationes ſpurcitiem ſuam exerunt, & è fœtenti gutture vel Cyprias ſordes eructant, vel purulentas linguas convitiis & contumelioſis ſermonibus exercent, probríſque lacerant innocentiam.

V. *(e)* Ranæ, loquaces & putidæ beſtiæ apud Homerum inſanis ſuis clamoribus Minervæ ipſi moleſtæ ſunt, quæ propterea queritur, ſibi infeſta ranarum coaxatione caput obtuſum, & ſoporem, quem vel maximè deſiderabat, negatum. At ſi lampadem lacui, in quo tumultuantur ranæ, imminentem appendi cures, repentè, ut aiunt, luminis fulgore percuſſæ conticeſcunt. Ranæ Calumniatores, ut dixi, ſunt, qui, ne Minervæ quidem, hoc eſt litteratis & virtute claris hominibus parcunt, ſed maledicum os in eos ſtringunt, & moleſtiam certè, ſi damnum non poſſunt, inferre ſtudent. Fit tamen, ut, poſtquam vel obtrectantes linguæ, vel criminatores calami aliorum famam, velut coaxantes ranæ infeſtare conantur, Veræ virtutis, religionis, ac doctrinæ fulgor, inſtar lampadis ex alto ſuſpenſæ, diſcuſſis calumniarum & mendaciorum nebulis longè clariùs emicet, & maledicentia improborum hominum comprimatur, ac obmuteſcat.

VI. *(f)* Per ranas intelliguntur etiam garruli, loquaces, clamoſi; hi enim quietis amantibus ſunt permoleſti, turbántque ſilentium, attentionem,

(d) Ranæ typus convitiatorum. (e) Obtrectatores litteratorum & proborum virorum (f) Garrulæ ranæ, ſunt fœmineæ, pueri, & quidam ſenes, ac hæretici.

nem, pacem domi, in scholis, in templis. Unde Pithagoras dixit hirundinem (aut ranam) in domum non esse suscipiendam; id est, garrulos & verbosos homines, in familiam non esse admittendos. Huic præcipuè vitio sunt obnoxii pueri & feminæ, multa imperitè deblaterantes. Homo Sapiens verba bis ad limam, quam semel ad linguam adhibet; priúsque discit silere, quàm loqui. Ad hanc tribum pertinent etiam quidam senes, qualis fuit Tithonus, conjux Auroræ, cui immortalitatem ipsa impetravit à Parcis, oblita interim perpetuitatem juventutis poscere. Itaque exaruit, & in cicadam versus est, quæ mutatis exuviis non occidit, animal siccissimum, canorum, garrulum, quæ senectuti conveniunt. Senectus enim naturâ est loquacior, ut scribit M. Tullius in Catone Majore, & sola vox ferè in Senibus remanet. Maximè verò loquaces sunt *Hæretici*, de quibus Tertullianus lib. contra Hermog. c. 1. Tales, inquit, loquacitatem, facundiam existimant, impudentiam, constantiam deputant, & maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ judicant. Sed sicut ranæ noctu face accensa elinguantur; sic hæretici ac Sophistæ perstricti veritatis luce conticescunt, de quibus Poëta:

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus Veri luce Sophista tacet.

Et quemadmodum ranæ gaudent aquâ turbidâ, sic dolosi captatores animarum, malè feriati ingenij commenta hauriunt è depravatæ Scripturæ sensis, & ignaræ plebeculæ obtrudunt. Rana, ut Ælianus scribit lib. 12. c. 15. Valido clamore hydrum, serpentem aquatilem, terrere conatur; sed ille neglecto clamore prædam arripit, & deglutit. Eum in modum homines multùm clamosi, sunt contemnendi; nam ut aiunt, canes timidi vehementiùs latrant. Et bos ranæ se inflanti, ac de magnitudine corporis certare volenti,

-----non si te ruperis, inquit
Par eris.

Applica mulierculis contra viros insurgentibus, & clamoso verborum sonitu sua officia, merita, opes, genus jactantibus, atque ad jurgium provocantibus. Sed cordatus maritus paucis reprimit importunæ linguæ tempestatem, dicítque: *Non si te ruperis, par eris*, femina viro, rabiosula prudenti, tumida contemnenti, loquacula silenti, turbata tranquillo. Idem homini hæretico occine.

VII. (g) Divinis ex oraculis habemus, quanti apud Deum sit meriti-

(g) *Hausius frigida quantum beneficium.*

meriti, frigidæ calicem porrigere sitienti. Latona certè summi loco beneficij duxisset, si haustu aquæ impertita fuisset, hinc ait:

Haustus aquæ mihi nectar erit, vitámque fatebor
Accepisse: simul vitam dederitis in undis

Optimus pincerna sitis est; aquam in vinum vertit. Exemplorum in hoc genere copia suppetit. *Sisaram* Principem exercitûs Jabini regis, à Jahele, muliere Hebræa aquam petijsse, & lac pro nectare bibisse, ex historia sacra constat 4. Judic. Apud M. Tullium lib. 3. Tuscul. quæst. *Darius* rex Persarum (quem Alexander Macedo regno evertit) cùm aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam hausisset, negavit, unquam se bibisse jucundiùs. *Lysimachus* rex Thraciæ, ob ingentem sitim, se, regnúmque suum hostibus scythis, pro aquæ scyphô tradidit; quâ epotâ, exclamâsse fertur: *Dij* immortales! quantillo corporis oblectamento quantum regnum vendidi! Plut. in apopht. regum. *Synata* homo rusticanus regi *Artaxerxi* frigidam è Cyro flumine haustam, cavâ manuum volâ obtulit; exceptum est munus aureâ phialâ; præmium ferenti mille daricorum nummorum, seu philippeorum repensum. Ælian. lib. 1, var. hist. c. 32. Præclarum est, quod refert Josephus lib. 18. Antiq. c. 8. Cajus Imp. jusserat Agrippam Herodis Ascalonitæ nepotem, inter purpuratos adscitum, ob suspicionem criminis, palàm comprehendi, & in vincula conijci. In carcere positus, cum æstu vehementiore & siti arderet, conspicatur fortè quendam è Caij servis, nomine *Thaumastum*, fontanam Domino ferentem; hominem amicè compellat, haustum frigidæ petit; quâ acceptâ promittit, se, ubi fortuna se vinculis exemisset, gratiam relaturum. Respondit eventus. Mortuô Caiô, Agrippa in solium regni Judaici ascendit, atque ut comprobaret,

Quàm benè apud memores veteris stet gratia facti. 4. Æn.

Thaumastum acciri jubet, & primatem regni sui administrum constituit. De *Leone*, tribunitiæ dignitatis viro memorat Nicephorus lib. 15. c. 15. & ex eo Baronius ad ann. Ch. 458. eum, quòd homini cæco viam ad fontem monstrâsset, ad culmen Imperij Rom. evectum fuisse. *Rebecca*, quod sacræ litteræ Gen. 22. asserunt, propter beneficium aquæ, peregrino (Eliezeri, Abrahami procuratori) impensum, faustissimum Isaaci conjugium indepta est. Et mulier illa Samaritana Joan. 4. quantum retulit pretium ex puteana Christo Servatori oblata? adeò multùm partem in utrámque refert sitienti vel impertijsse, vel negâsse frigidam.

SYM-

SYMBOLVM XXXVI.

Tereus rex in upupam: uxor Progne in hirundinem: Philomela soror uxoris, in cognominem avem, transformatur.

6. Metamorph.

Ethicè.

1. Adultetij crimen. 2. Scelera diu tegi non possunt. 3. Zelus læsæ fidei conjugalis. 4. Amoris impuri violentia. 5. Scelerum diuturnæ notæ. 6. Inauspicatum conjugium.

Pandion Athenarum rex, cùm oppressus bello, auxiliaribus à *Tereo*, Thracum rege, copijs adjutus fuisset, majorem ei natu filiam *Prognen*, in matrimonio collocavit; ex quo natus ijs filius *Itys* nomine. Quinquennio jam cohabitârat marito Progne, cùm desiderio sororis, *Philomelæ*, quæ cum patre erat, tacta, petijt à Tereo, illam ut ad se Athenis in Thraciam adduceret. Proficiscitur in Atticam Tereus, humanissimè suscipitur à socero Pandione; reversurus domum, impetrat, ut viæ sibi comes addatur Philomela, quæ & ipsa visendæ sororis perquàm cupida. Cæterùm jam antè species puellæ rapuerat animum barbari, & quo non volebat, igne accenderat. Vnà se committunt viæ, columba cum accipitre. Ad littus Thraciæ ubi appulsum, & ipsi jam in portu erant, cœpit naufragari castitas. Homo barbarus & impurus, immemor fidei, thori, hospitij, juris omnis, virginem regiam nihil minùs metuentem, & nequicquam reluctantem, Deos, hominésque vindices inclamantem vitiat, vitiatæque, ne quà flagitium indicare posset, linguam insuper præcidit: arctissimæ custodiæ in densa quadam silva, procul ab hominum commercio, includit. Verùm illa (ut erat artis Phrygiæ peritissima) quod ore conqueri non potuit, manibus peregit; rem omnem, quo gesta fuit ordine, in tela depingit acu, eámque sorori per fidum nuntium transmittit. Hæc pro eo, ac ferebat atrocitas injuriæ, gravissimè commota, ultionem tamen in Orgiorum tempus (quô scilicet Bacchi Sacra insanum in modum à sexu femineo celebrabantur, uti supra memoravimus) differt, quo tempore magna mulierum bac-

chantium catervâ stipata, thyrsisque, ac pellibus & cornibus instructa, rapido fertur in silvas cursu, sororem carceri eripit, & in regiam perducit; ubi communicatô cum illa consiliô, truculentæ vindictæ genus meditatur in Terea, multiplici facinore sceleratum. Ityn, filium communem, frustra tendentem brachia, medium arripit, ferrum per costas transadigit: caput amputat, truncum corpus in plures secat partes: membra partim assat, partim lixat; sicque cocta & condita, apponit patri epulanda, immani crudelitatis, & feminei furoris exemplo. Tyrannus satis ubi comesti filij artubus ventrem distendit (ne simul assiderent Progne & Philomela, excusabant Orgiorum ritus, per quos solis inter se feminis convivari licebat) Ityn jubet gnatum ad mensam acciri, & ad bellaria venire. Ibi tum Philomela, elinguis caput pueri (quid atrocius?) ambabus infert manibus, & in adulteri ac incesti faciem validè ac sonanter conijcit, id unum dolens, gaudium ex ultione conceptum, verbis testari non posse. Fecit Progne, quod Philomela nequijt, & quidquid irritatus furor execrationum excogitare valuit, in detestandum mœchum aggessit. Tereus cùm demersas in viscera dapes nequicquam conaretur reijcere, Furijs omnibus ex orco evocatis, stringit ferrum; amentis instar in uxorem ac Philomelam ruit. Sed ecce; dum fugientibus instat, repentè videt Prognen in *hirundinem*, Philomelam in sui nominis *avem*, hoc est, luscíniam verti, & volatu auferri. Miranti & indignanti, non minùs subita transformatio evénit; nam & ipse in volucrem *upupam* mutatus est.

Ethica.

I. (*a*) Inter pestilentes fœdæ concupiscentiæ fructus non ultimus est adulterium, seu conjugalis thori violatio, cuius fidem oportet esse sanctissimam, & humano, divinóque jure intemeratam. Est hoc flagitium gentibus omnibus exosissimum, & gravissimis pœnis plecti solitum. Hebræi adulteros & adulteras lapidibus obruebant. Flagitiosissimam hanc Venerem sequitur omnium malorum catena, nempe cæcitas mentis, turpitudo, ignominia, opprobrium, mors ipsa, plena dedecoris & acerbitatis. Quod regum sapientissimus in parabolis suis indicat. c. 6. *Qui adulter est, propter cordis inopiam* (vecordiam) *perdet animam suam* (infamem subibit mortem) *turpidinem & ignominiam congregabit sibi, & opprobrium illius non delebitur* (semper hærebit macula parentibus, filiis, nepotibus) Hoc si mœchi,

(*a*) *Adulterij crimen.*

chi, mœchæque perpenderent, utique caverent, & dicerent: *tanti pœnitere non emo.* Atque ut taceam historias, Tereus per fabulam sine fabula documentum est, quid sit libidini frena permittere, & conjugali fidei labem inferre. Nam quod Philomelæ, uxoris sorori reluctanti, & per Sacra omnia obtestanti, vim nefarius intulerit, linguam exsecuerit, eam custodiæ mandârit: Progne filium parvulum Ityn in frusta conciderit, in cibum coxerit, appositerit, incestificus maritus in ventrem absconderit: exinde furiis agitatus in volatilem bestiam immigrârit, eandémque pœnam uxor & huius soror subierint, quænam alia fuit causa, quam nefandum adulterii scelus, cuius hi fructus existunt?

II. (*b*) Credebat impurissimus homo cum exscissa Philomelæ lingua, criminis etiam notitiam elinguatam, & cum custodia in solitario loco abdita, flagitium quoque tenebris obtectum esse. Sed falsus est sceleratissimus pudoris alieni prædo; quod tacent homines, mutæ loquuntur picturæ; turpissimi facti infamia iisdem cum upupa pennis volat. Apud Martialem lib. 2. Epigram. Ponticus quidam nomine, servum, ut he domini scelus enuntiaret, pari crudelitate elinguavit; sed quod unus dixisset, postea omnes cœperunt loqui;

Abscissa servum quid fœdas, Pontice, linguâ,
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Ita factum est Tereo, ita factum innumeris, & fit etiam hodie plurimis, quorum flagitia clàm perpetrata, Nemesis in apertum produxit. Neque semel contigit, ut bestiæ manifestarent scelera, quæ hominum nequitia summo studio celabat. Ælianus refert lib. 7. c. 25. de canicula Sicula. quæ adulterum in domo absconditum prodidit. Idem lib. 8. c. 20. narrat heram adulterantem à ciconia excæcatam. *Bessus* apud Plutarchum *de sera Numinis vindicta*, cùm patrem nefando parricidio sustulisset, diúque scelus illud clanculum habuisset; postea temporis, foras cænatum prodiens, nidum fortè hirundinum hastâ dejecerat, pullósque ad unum omnes interfecit. Interrogatus à prætereuntibus de insolentia facti: *non*, inquit, *auditis hirundines falsa de me vociferari, & testari, me patris mei esse interfectorem?* Mirati, qui intererant, hunc sermonem ad regem detulerunt; & Bessus suo indicio accusatus, tum deinde convictus, pœnas luit. Credo has hirundinum accusatrices voces ortum à Progne duxisse, quæ quidem hirundineas pennas induit, memoriam tamen adulterantis Terei non exuit, nec de eo queri cessavit. Idem etiam hodie Philomela facit, de qua Bilbilitanus Poëta:

(*b*) *Scelera diu tegi non possunt.*

Flet Philomela nefas inceſti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

III. (c) Diſce præterea, quid ſit irritaſſe Zelum conjugalem. Salomon Proverb. c. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ.* Tragicum eſt, quod ex Balinghen de triumpho caſtitatis refert Henric. Engelgrave Dom. 15. poſt Pentec. Vir illuſtris Pedemontanus, deprehenſa uxore in adulterio, exarſit adeò, loris ut mœcho manus & crura conſtringi præciperet; carnificis vices uxorem, ac pediſequam, eius lenam, ſubire coëgit, & amaſium ad trabales clavos parieti infixos ſuſpendere. Quo ſupplicio peracto, feneſtras & oſtium infamis cubiculi opere cæmentario occludi, & illic conjugem cum ancilla includi curavit, pane & aqua per anguſtam rimam ſuppeditatâ; donec putreſcentis cadaveris intolerabili fœtore ambæ horrendum in modum contabuerunt. Similis & reciproeus, quin etiam furentior eſt Zelotypia uxorum in maritos ruptæ conjugalis fidei reos. Illæ enim implacabiles rugiunt, & ſæviunt non aliter, quàm leænæ vel tigrides raptis catulis, nec priùs deſiſtunt, quàm furori ſuo, maritali ſanguine litârint. Ita ſcribit Cicero lib. 2. offic. Alexandrum Pheræum Theſſalorum regem, à Thebe uxore interfectum propter pellicatûs ſuſpicionem. Et Juſtinus lib. 26. narrat, *Demetrium* Antigoni Macedonum Regis filium, juſſu *Arſinoës* uxoris interemptum, quod cùm Berenice ſocru ſtupri conſuetudinem haberet. *Clytemneſtra* audito Agamemnomem maritum Chryſeidos Thebanæ puellæ amore teneri, ſe adulterio cum Ægiſtho polluit, & eius ope, maritum interemit. Sed multorum inſtar eſt, quod ſcribit Apollonius Rhodius lib. 1. Argonaut. Lemnias mulieres Zelotypiâ incenſas, quòd mariti captivas quasdam feminas adamarent, eos omnes, & præterea genus univerſum maſculinum obtruncâſſe. Memorabile eſt, quod de *Chiomara* Toliſto-Boiorum regina refertur, eam pudoris ſibi captivæ à Centurione erepti injuriâ concitatam, dum perſolutô lytrô, oſculum ab abeunte rapit odioſus amator, homini nihil tale metuenti per duos ſervos caput abſtuliſſe, illúdque veſte involutum, velut opimum pudicitiæ triumphantis ſpolium ad mariti pedes abjeciſſe. Andreas Brunner in Annal. Boior. ex Val. Max. lib. 6. Verè Satyricus:

------ mulier ſæviſſima tunc eſt,
Cùm ſtimulos pudor admovet. Juven. Sat. 10.

Et Seneca in Medea:

Nulla vis flammæ, tumidíque venti
Tanta, nec teli metuenda torti,

(c) *Zelus fidei conjugalis laſa.*

Quanta

Quanta cùm conjux viduata tædis
Ardet, & odit.

Et Ovidius lib. 2. de arte amandi.

Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira est,
Fulmineo rabidos dum rotat ore canes.
Nec lea, cùm catulis lactantibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede.
Gemina quàm socii deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.

De Progne idem Naso:

Nec mora: traxit Ityn veluti Gangetica cervæ
Lactentem fœtum per silvas tigris opacas:
Tendentémque manus, & jam sua fata videntem
Et *Mater*, *Mater*, clamantem, & colla petentem
Ense ferit Progne, lateri quà pectus adhæret,
Nec vultum vertit; Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat.

In hanc rabiem efferat sive viros, sive feminas dolor, quos ultio violati thalami stimulat. Nec rarò sola suspicio immanes in hac Scena tragœdias excitat. Nota est historia de Ludovico Severo, Bojorum Principe, Donawertæ sedem habente; qui ob litteras ad Mariam conjugem, feminam integerrimam, à Ruchone dynasta datas, & ab ipso interceptas, ac malè intellectas, primò latorem, tanquam lenonem ferro obtruncavit; deinde præfectum aulæ jugulari, Matronam gynecæi præsidem ex alta turri præcipitari, conjugi caput per carnificem amputari jussit. Tot funeribus stetit unica temerati matrimonii suspicio. Ajunt Ludovicum prima statim à cæde nocte, sive facinoris fœditate, sive Mariæ Manibus exagitatum, cùm barba florente, & juvenili, decoráque coma, cubitum se contulisset, ita incanuisse, ut manè senem septuagenarium referret, Raderus in Bav. Sanct. tom. 2. in vita Mariæ Brabantinæ.

IV. (*d*) In Tereo etiam apparet amoris impuri violentia, quem non reverentia soceri, non sacramentum fœderis, non leges, non jura matrimonij, uxorisque respectus, non denique Philomelæ preces ac lacrimæ, ab inferendo per vim & contumeliam puellæ stupro absterruerunt. Dum enim Thrax tyrannus omnia sibi licere existimat, quia omnia possit, non contentus violentum flagitium intulisse miseræ, amore mox in odium & crudelitatem verso, etiam gladio violat calamitosam, & lingua,

(*d*) *Amoris impuri violentia.*

& lingua, optimo hominis instrumento, simúlque loquelâ privat. Hoc ferè solent turpes proci, qui ubi vel vi, vel pretio ad inhonesta obsequia perduxere puellas post expugnatum pudicitiæ decus, non alia præstant præmia, quàm odium, contemptum, ignominiam, expulsionem, ludibria, probra. Exemplum ejus rei narrat S. Historia de *Amnone* Davidis filio, qui postquam incestum cum sorore *Thamare* commisit, *exosam eam habuit odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat. Ejecítque eam foras, clausítque fores post eam.* 2. Reg. 13.

V. (*e*) Neque frustra finxere Poëtæ, Tereum in *upupam* conversum; nihil est enim hac ave fœdius, nihil inquinatius, quippe quæ stercore delectetur maximè. Ad hæc longo & acuto rostro, tanquam cuspide, armata, tyrannidem in aviculas exercet; habétque cristam plicabilem; quæ cùm erigatur per longitudinem capitis, refert diadematis regij similitudinem. Agnoscas in turpi volucre, turpem & crudelem Terea, quem libidinis sordes & cœnum, etiam in transformata natura delectant. *Progne* verò in hirundinem mutata, sparsas cruoris in pectore maculas circumfert, & Ityn impiè peremptum garrula voce luget. *Philomela* figuram lusciniæ subijt, etiam hodie de Terei injuria suavissimo cantu conquerentis. Sic citò transit facinus scelestum; manent tamen indelebiles sceleris notæ, & longa pœnitudo.

VI. (*f*) Vltimò ostenditur, quanti referat, matrimonium auspicatò contrahere. De connubio Prognes cum Tereo, Ovidius?

----- non pronuba Juno,
Non Hymenæus adest, non illi Gratia lecto;
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides strauere torum, tectóque profanus
Incubuit bubo, thalamíque in culmine sedit.
Hac ave conjuncti Progne, Tereúsque, parentes
Hac ave sunt facti. gratata est scilicet illis
Thracia, Diíque ipsis grates egere: diémque,
Quóque data est claro Pandione nata tyranno,
Quóque erat ortus Itys, festum jussere vocari.
Vsque adeò latet utilitas.

Adeò non prospiciunt, non advertunt homines, quid sibi conducat, vel eventurum sit. Quoties hoc ipsum occinunt sibi conjuges amœbæo: Pereat dies, quâ te primùm vidi: dispereant conciliatores & conciliatrices, quæ te mihi sociârunt; & cum Medea exclamat: Ad-

(*e*) *Scelerum diuturna nota.* (*f*) *Inauspicatum connubium.*

Adeste sceleris ultrices Deæ,
Crinem solutæ squallidis serpentibus,
Atram cruentis facibus amplexæ facem:
Adeste, thalamis quondam meis
Quales stetistis.

Nempe Erinnyes, Furiæ, & ceteræ pestes Erebi, nuptiarum diræ præsides & auspices. Quid mirum deinde, hisce initijs respondere media, medijs extrema, & Terei repeti tragædiam.

SYMBOLVM XXXVII.

Zetes & Calais, alati juvenes.

6. Metam.

Ethicè.

1. Malè blandiens mulier, aut voluptas. 2. Avaritia. 3. Officiales & Ministri Principum. 4. Prodigi heredes. 5. Variorum rapacitas.

PHineus, Thraciæ, vel Arcadiæ, vel, ut quidam volunt Paphlagoniæ rex, non minùs avarus, quàm dives, filios duos *Plexippum* & *Pandionem* ex *Cleopatra* susceptos, novercæ *Harpalices* criminatione inductus, oculis orbavit. Igitur pari pœna plexus à Jove, talionem recepit. Insuper immissæ sunt ei *Harpyiæ*, aves rapacissimæ, quæ assiduè infestantes ipsum, non sinebant ullo loco quiescere; cibos etiam ab ore comedentis rapiebant, omniáque contactu fœdabant. Erant eæ vultu quidem virgineo, sed uncis manibus seu potiùs unguibus, turpissimo & insatiabili ventre. Morabantur in *Stymphali*, Arcadiæ lacu, unde *Stymphalides* dictæ. Nomina illarum *Aëllo; Ocypete; Celæno.* Adversùs hæc monstra cùm præsidium nullum sufficeret, demum Phineus se convertit ad opem à *Calai* & *Zete* (seu Zeto) *Boreæ* filijs petendam. Hi quòd in expeditione Argonautica in insulam Colchos ad rapiendum vellus aureum instituta, perhumaniter fuissent & prolixè à Phineo excepti, & insuper ei propinquitate, ob Harpalicen sororem, conjuncti libenter operam suam adversùs harpyias obtulerunt. Igitur & pennarum auxilio (nam ex alato patre geniti, & ipsi librantur alis) & sagittandi peritiâ

freti, in *Plotas* usque insulas, in mari Jonio sitas, monstra infestissima fugârunt; longiùs ea persecuturi, nisi Ægyptiæ Deæ *Isidis* oraculo admoniti fuissent, ne *Iovis canes* (sic enim Harpyias appellabat) ulterius profligarent; quare retrorsum conversi, duas illas insulas, in quibus Harpyias reliquerunt, à *conversione* sua *Strophades* nominarunt.

Ethica.

Varios hæc fabula conceptus subministrat, quos antequam proferamus, Maronem audiamus 3. Æneid. de Harpyis, Æneæ classem ad Strophadas appulsam incessentibus.

-----Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ, Jonio in magno; quas dira Celæno,
Harpyiæque colunt aliæ, Phinëia postquam
Clausa domus; mensásque metu liquere priores
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deûm Stygijs sese extulit undis,
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.

In his insulis dum accubabant epulis Troiani,

En subitò horrificæ lapsæ de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiúntque dapes, contactúque omnia fœdant
Immundo.

I. (*a*) Apulejus has Harpyias pro nequissimis mulieribus usurpat, quæ vel rixando unguibus in alios involant, vel blandiendo & vultu ad nequitiam composito incautos pecunijs emungunt. Non inscitè hoc. Nam virginei vultus, uncæ manus, proluvies ventris ostendunt sub specie castæ virginis, malè blandientem libidinem latere, quæ denique infame sceleris pretium cum turpi cupiditate effundit. Sed de hoc argumento alibi.

II. (*b*) Ad avaritiam Harpyias alij referunt. Finguntur enim virgines, quòd omnis rapina arida sit & sterilis, & malè quæsitis tertius non gaudeat hæres. Plumis sunt circumdatæ, quia, quidquid invaserit rapina, celat. Volatiles dicuntur, tum quòd habendi cupiditas sit in

(*a*) *Nequam mulier, aut malè blandiens libido.* (*b*) *Avaritia per harpyias significata.*

in omnes auferendi occasiones intenta, & celeriter in alienas opes involet: tum quia malè parta, citò malè perduntur; & divitiæ ab uno avolent ad alium. Innuitur hoc Harpyiarum nominibus, nam *Aëllo*, est quasi ἐλῶν ἄλλο, id est, alienum tollens. *Ocypete*, celeriter auferens. *Celæno* nigrorem significat; nam candidum nihil & sincerum ab avaro exspectes. *Harpyiæ* vocantur ἀπὸ τῦ ἁρπάζειν, à rapiendo. *Pallida* semper *ora* habent fame inexsaturabili, & plus quàm canina, juxta illud: *Semper avarus eget.* Turpissima est Avaritiæ *ventris proluvies*, nam

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur opes.

Ecclesiastæ dictum est cap. 5. *Avarus non implebitur pecunia.* Nam illi tam deest quod habet, quàm quod non habet. *Uncæ manus* sunt Avaritiæ, scilicet ad trahendum, non ad dandum. Psaltes regius conqueritur Psal. 9. *Insidiatur, ut rapiat pauperem; rapere pauperem, dum attrahit eum.* Id est, avarus & impius insidiatur, & conatur rapere pauperem, & prædam suam facere, dum attrahit eum in rete suum dolis, fraudibus, violentiâ. *Tristius haud illis monstrum*, nempe, Harpyis; Est enim avaritia dirissima generis humani pernicies, testante Siracide c. 9. *Avaro nihil est sceleſtius.* Nam ex nimia acquirendi cupidine proveniunt usuræ, furta, fraudes, lites, seditiones, cædes, expilationes pauperum, venditiones legum, eversiones juris, fidei, honestatis. 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Juvenalis Sat. 14. hoc ipsum vidit:

------- Sed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?

Id est, ditescere festinantis. Consentit vetus dictum:
Cui nihil satis est, eidem nihil turpe est.

III. (c) Sunt, qui Harpyias applicant Ministris Aulicis, Officialibus Principum, Rationariis, Quæstoribus, ærarii Præfectis, qui virgineas præ se facies ferunt, dum commoda Fisci, jussa Principis, fidem & fidelitatem suam prætendunt; interim uncis unguibus rapiunt, abscondunt, & sese aliorum fortunis ditant; donec *Zetus* aliquis aut *Calais* (quorum hic ἀπὸ τῦ καλῦ, hoc est, ab *honesto*, ut Alciatus observat; ille à ζητεῖν, *quærendo* nuncupatur) vir, inquam, quæsitor honesti, cui salus Principis, Reipublicæ emolumentum, patriæ incolumitas, ipsa denique justitia cordi est, cæcutientem Principem (nempe *Phineum*) de periculo admoneat, administrationem in melius restituat, & substitutis publicæ rei curatoribus, in subdolorum locum, Harpyias illas usque ad Strophades insulas, hoc est, ab officijs suis ejiciat tanquam improbos Jovis, hoc est, Principis, canes, quales Harpyiæ appellabantur. Rectissimè Sapiens Pro-

(c) *Officiales & Ministri Principum.*

verb. 21. *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia voluerunt facere judicium.* hoc est, rapinæ, & opes raptæ, quæ impios in altum opulentiæ, potentiæ, dignitatis fastigium evexerunt; hæ ipsæ paulò pòst velut pondus plumbeum eos detrahent à suis honoribus & muneribus, propter violatam justitiam. Alii Harpyias triplex hominum genus esse volunt, qui Reges ac Principes miserè vexant, oculos mentis fascinant, eorúmque facultates ad se rapiunt, scilicet Adulatores, Delatores, Fœneratores.

IV. (*d*) Per Harpyias etiam possunt denotari rapaces & prodigi avarorum parentum filii ac heredes. Phineus à Diis excæcatus est, quod suos ipse filios exoculâsset. Faciunt hoc parentes, magis solliciti, quantum pecuniæ, quàm quantum probitatis filiis relinquant. Unde plerumque prodigos & profusos sortiuntur heredes, qui malè acquisita, peiùs dilapidant. Virginea quidem facie blandiuntur non rarò liberi parentibus, speciem aliquam honesti, & virtutis amorem simulant; postquam verò clausérunt oculos progenitoribus suis, & eos extulerunt, tum verò uncis & rapacibus digitis in eorum opes involant, capiunt, rapiunt, & quæ voracem in ventrem ingesserunt, cito iterum per luxum profundunt, & exhauriunt. Horatius de his canit lib. 2. od. 14.

Absumes heres cæcuba dignior,
Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum superbo.

Adagione fertur: *Si vultur es, cadaver exspecta.* Quod in rapaces heredipetas convenit; qui, sicut vultures discerpunt unguibus cadavera, sic avitas & paternas opes, ipsis relictas, dilacerant & dissipant.

V. (*e*) Ad Harpyiarum fabulam etiam illi pertinent, de quibus Salomon Prov. c. 21. *Qui congregat thesauros linguâ mendacii, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Opes enim *lingua mendaci*, hoc est, per injustitiam partæ redeunt in jugulum parantis, & velut Harpyiæ eos stringunt, strangulant, suffocant. Cuiusmodi sunt primo Judices, qui auro corrupti mendacem ferunt sententiam. Secundo falsi testes, qui fidem vendunt nummis. Tertio, Advocati, qui ob lucrum iniquam defendunt causam. Mercatores, qui mentiendo vitiosas, aut nimio pretio indicatas extrudunt merces. Quinto, Adulatores, qui nequiter assentando crumenas emungunt virorum divitum & Principum. Sexto, Chrysopæi, qui profitentur artem faciendi auri, & fumum pro fulvo metallo reddunt. Septimo, Quicunque quacunque ratione dolosè, fraudulentérque colligunt nummos; Omnes harpyiæ rapacissimæ, & virgineo seu

(*d*) *Prodigi heredes.* (*e*) *Variæ variæ rapientes Harpyiæ.*

seu simulato vultu, iniquo Mammonæ inhiantes, dolosáque manu rei alienæ insidiantes.

SYMBOLVM XXXVIII.

Iason, ope Medeæ, vellus aureum rapit.

7. Metamorph.

Ethicè.

1. Indoles magnanima. 2. Virtutis comes prudentia. 3. Eius calcar, præmia. Aurei velleris origo. 4 Victoria sui. 5. Lucta Rationis & Appetitûs. 6. Aries Symbolicè.

IAson filius fuit *Æsonis*, fratris *Peliæ*, regis Thessaliæ, qui Æsonem, mortuo *Creteo* parente, hereditate paterna eversurus, extorrem egit. Cuius impietatis ac injustitiæ ut ne pœnas daret, statuit Jasonem, præclaræ indolis adolescentem, ex fratre nepotem, perdere; idque per cuniculos & insidias. Consilium igitur, haud novum tyrannis, suggerit juveni, ingenio manúque prompto, si vellet, ut dimidium regni cum ipso partiret, proficiscetetur in *Colchidem*, regionem Asiæ ad vellus aureum (commune tunc temporis heroicæ fortitudinis ac felicitatis pignus & experimentum) inde referendum, non ignarus, in quanta pericula conjiceret magnanimum pectus. Jason, cui sedebat animo nullis cedere difficultatibus, cùm alioquin ipsius ætas & indoles nihil humile, nihil ignavum caperet, incensus studio adipiscendæ gloriæ, navim ingentem, *Argo* dictam ab architecto, fabricat è ligno quercûs Dodonææ fatidicæ, à Pallade ostensæ. Adsciscit sibi quinquaginta nobilissimos, fortissimosque illius ævi juvenes, è tota Græcia, excitos, navigationis socios, spe novæ laudis, famæque immortalis consequendæ. In his ipsum Herculem, Castorem & Pollucem *Dioscuros*, seu Jovis filios; Zeten quoque, & Calain Bereadas, nempe Borea vento prognatos; de quibus supra, multósque alios strenuos viros. E vatibus eum secuti sunt Orpheus, Mopsus, Amphiaraus.

Cúmque hi Argonautæ diu incertis itineribus in ignoto mari vagati fuissent, tandem desideratum Colchorum portum, ubi fluvius *Phasis* exit in mare *Ponticum*, tenuerunt. Æta vel Æeta, rex peregrinos comiter excepit. Causam tam laboriosæ navigationis sciscitanti, respondet Jason,

se *aurei velleris* asportandi causa, atque ad Peliam, regem Thessaliæ referendi, per tot discrimina advenisse. Rex Juvenem, & comites ipsius miseratus, quippe qui sciret, quàm arduum id negotium esset, exposuit Jasoni pericula, quæ in eo tentamento subeunda essent; opus esse virium haud quaquam humanarum: tauros domandos ignivomos, deinde ad arationem subjugandos: esse pervigilem draconem, velleris custodem, superandum: esse armatorum virorum, è dentibus draconis seminatis, repentè enascentium exercitum excipiendum. Non terruerunt hæc, animum virtutis plenum; quin accenderunt magis, & ad audendum provocârunt.

Interim, dum juvenis immani se accingit conatui, *Medea* Æetæ filia, non magis amore hospitis advenæ capta, quàm periculo commota, post difficilem affectuum cum ratione luctam (timebat enim patriam, patrem, consanguineos offendere, & quodammodo prodere externis nuptiis) tandem commiseratione juvenis & eius virtute flexa, constituit, ei conjugii fœdere se adjungere, & auxiliô, periclitantem juvare. Quocirca herbas quasdam in Hecatæ luco carptas, & certo carmine incantatas, porrigit Jasoni, futurum adversùs omnia monstra præsentissimum præsidium.

Jámque ad locum certaminis erat ventum, cùm æripedes apparent tauri, ignem ore, naribus spirantes, & ipsas etiam herbas ardenti halitu incendentes, horridóque mugitu terrorem spargentes. Contremiscebant alienô periculô, Jasonis socii, ipse non movebatur suo. Nihil cunctatus objicit sese furibundis bestiis; fretúsque amuleto, quod à Medea acceperat, mulcet palearia taurorum, & impositô jugô, illos aratro jungit, terram proscindit, dentes draconis, quondam à Cadmo interempti (nam aliquam eorum partem à Pallade acceperat) seminat; momentóque citiùs hastati & galeati prodeunt è terra viri, infesta Jasoni intentant arma. Non defuit sibi heros; saxum, ut erat monitus, ingens jaculatur in hostes, & ecce, conversis extemplo in semetipsos telis, mutuis vulneribus conciderunt omnes. Supereſt ergo vincendus draco, crista terribili, linguâ trisulcâ, fulmineis horrendus dentibus, custos arboris, ex qua vellus pendebat aureum, hunc ubi succô Lethæis de herbis expressô consperſit Jason, & valentia quædam verba addidit, continuò resoluta in somnum bellua, liberum heroi ad arborem permisit aditum. Ille deripit vellus aureum, tot votis exoptatum, tot laboribus quæsitum, & cum Argonautis comitibus clandestinè discedens, nobile spolium, & unà Medeam, charissimam sponsam, in Thessaliam avehit.

Insequitur

Insequitur abeuntes iratus pater; hunc ut à via divertat Medea, *Absyrtum* fratrem, etiamnum puerum (quem secum fugæ comitem in hæc consilia traxerat) membratim conscindit & laniat: inque diversas spargit partes, ut scilicet persequentem regem obiectis laceri filii artubus averteret, & dum is se colligendis pueri membris detinet, effugiendi spatium inveniret. Successit crudelis dolus; patrem remoratur pietas; Medea cum Argonautis in Thessaliam, Jasonis patriam defertur, quæ heroas inclytos, post tot ac tantarum rerum gestam gloriam, immortalitatis famæ decoratos, læta & gratulabunda excepit.

Cæterùm origo velleris aurei hæc fuit. *Phryxus* Athamantis Thessalorum regis, & Nephelæ filius, unà cum sorore *Helle*, defuncta matre, insidias Inûs noveræ metuens, ariete conscenso, qui aureo vellere, lanatus, Pontum ex ea, quà angustior erat parte, sublimis in aëre trajicere cœpit. Helle undarum territa strepitu in Pontum decidit, & submersa est; unde factum, ut pars illa maris deinceps *Hellispónti* nomen obtineret, Phryxus incolumis in Colchidem ad regem Æetam pervenit; à quo benignè exceptus, arietem Jovi, vel, ut aliqui volunt, Marti immolavit, & aureas illius exuvias in luco iis diis sacro suspendit. Aries verò vector inter sidera locatus, pristinam tenuit effigiem, atque à Phryxo Phryxéus est appellatus.

Ethica.

I. (*a*) Quòd ingentia pericula in navigatione Colchica exantlanda, inque auferendo vellere aureo horrenda discrimina proposita, Jasonem nec à profectione, nec ab aggressione monstrorum absterrere quiverint, ostenditur, animum & bonitate naturæ præstantem, & virtutibus insigniter imbutum (id quod Jason instructori suo *Chirone* debebat) laudabilique gloriæ cupiditate incensum, nihil sapere humile, nihil abiectum; quin potiùs ipsis difficultatibus exacui, & ad fortiter, etsi periculosè, faciendum, inflammari. Habent hoc sublimes spiritus; per Templum *Virtutis* ad ædem *Honoris* ascendere solent. Jason ubique victor, demonstrat, virtuti & magnanimitati omnia cedere, omnia pervia esse; nec quidquam tam arduum, quod non constanti, improbóque labore, animíque firmitate attingere, tuíque juris facere possis. Avida, inquit Seneca, est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat, marcet sine adversario; crescit in adversis. Et Ovidius:

Apparet virtus, arguitúrque malis.

Silius:

(*a*) *Indoles magnanima.*

Silius:

------ Explorant adversa viros.

Et Seneca Tragœdus:

Virtutis est domare, quæ cuncti pavent

Nam Philosopho Romano teste: Non quia difficilia sunt, multa non audemus: sed quia non audemus, difficilia sunt.

II. (*b*) Sed tamen sine Medeæ consilio, nihil præstitit Æsonides noster. Horatius canit, *Mole ruit sua, vis consilii expers.* Hoc per Medeam significatur; est enim μῆδος *cura, consilium,* à μή-δομαι curam gero, delibero, meditor, provideo, prospicio. Sine consilio & ratione prudenti impetus omnis, etiam in honestissimis caloribus, in ventos effunditur. Temeritas, inquit Curtius lib. 4. ubi primum effudit impetum, veluti quædam animalia, amisso aculeo, torpet. Et licet initio felicitas aspirare videatur, ad ultimum tamen temeritati non sufficit. *Medea* ergo jungenda *Iasoni*, & *Diomedi* sociandus *Ulysses.* Nulla sine sapientia fortitudo; vacillant vires, nisi consilio fulciantur. Etiam bestiæ ruunt in pugnas, sed cæcas. S. August. epist. ad Hieron. Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultò timet.

III. (*c*) Calcar ad virtutem erant Jasoni *præmia*, juxta Poëtam:

------- Quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas?

Et alius?

------- Laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet,

Delectet, inquit D. Gregorius hom. 17. in Evang. mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Jasone Duce, Virtute Comite, Gloria Auspice, fortissimi quique Græciæ juvenes, Argivæ robora pubis, & heroum genus, ut Catullus loquitur, incitati sunt ad fortitudinis eximium Decus longinquis è terris per mille pericula quærendum. Tanti est, incitamentum laboris ab exemplo & præmiis sumere. Jasonem imitatus est Philippus cognomento *Bonus*, Burgundiæ Rex, & Dux Brabantiæ, qui anno Christi 1429. (*d*) Ordinem ac Societatem Equestrem instituit, è viris nobilitate & opibus, clarissimis, quam *Aurei Velleris* appellavit. Illius insigne: Torques aureus, cum ignitabuli figura, scintillas de silice excutientis, dependente imagine sive Arietis Phrixæi, sive Agni Gedeonici, cum inscriptione: *Pretium non vile laborum.* Munus enim & partes horum sunt magnatum, Catholicam fidem armis tueri ac propagare, Christianæ

(*b*) *Virtutis comes Prudentia* (*c*) *Calcar virtutis sunt præmia.* (*d*) *aurei velleris origo.*

Christianæ tranquillitatem Reipublicæ defendere ac conservare: quódque per ignitabulum innuitur, hostes orthodoxi nominis *fulgure terrere, fulmine ferire.* Aliquis hoc lemma affigit: *antè ferit, quàm flamma micet.* Significat egregios animos Deo incitante cœlestes amoris flammas ad defensionem religionis concipere, quibus inflammati, præclara obeunt facinora, & sibi ad vellus aureum, an potiùs ad beatam immortalitatem viam muniunt. Quos

Ardens evexit ad æthera virtus.

Et quia hîc nobilitatis fit mentio per virtutem adeptæ, pérque virtutem conservatæ, rectè quidam ait: Non illæ homine Nobili dignæ laudes sunt, si formosus videatur; hoc muliercularum est. Non si robur & vires efferantur: athletarum est. Non si divitiæ prædicantur ab omnibus: negotiatorum est. Sed illa vera laus est nobilitatis, si plurima sapiat, præterita respiciens, futura prospiciens. Ipse investiget, & vel faciat, quæ legant alij: vel legat, quæ fecerunt. Aliud est sanguinem, aliud virtutem propagari. Tituli & honores quid nisi arbitria fortunæ, non argumenta virtutis, quæ Majorum gestis, non suis incubat?

IV. (*d*) Jam verò, quid *Tauri* sunt *æripedes*, naribus ignem efflantes, & à Jasone sub aratri jugum missi? quid ferrea armatorum *seges* de serpentinis dentibus enata, & in seipsam adversis hastis conversa?

Quando gravem medios jaculatus in hostes.

Est Jason. quid *Draco* pervigil arboris aureæ, unde vellus suspensum, custos? Nimirum per hæc denotantur pravi affectus, indomitæ cupiditates, efferatæ concitationes animi, quibuscum viro forti pugnandum est, & victoria referenda. Hîc locum habet illud Sapient. c. 10. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Pugna sanè ardua, & magnos etiam heroas sternens. Nam *qui dominatur animo suo, major est expugnatore urbium.* Prov. 16. Id etiam Ethnici suspexere. Naso:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia.

Et:

Audax res vicisse alios; victoria major
Est animi fluctus composuisse sui.

Quantus expugnator urbium Alexander ille Magnus? Totius terrarum orbis victor sibi ipsi succubuit. Sapienter de illo Arrianus lib. 4. vitæ: Alexandri præclara facinora documento esse possunt, sive quis corporis viribus polleat, sive generis splendore emicet, sive bellica virtute,

(*d*) *Victoria sui.*

tute, felicitatéque Alexandrum ipsum superet, sive Africam simul & Asiam (quemadmodum ille animo destinârat) pernavigans subjugârit, sive Europam, Asiæ, atque Africæ tertiam adjunxerit, nihil hæc omnia homini ad felicitatem adipiscendam profutura sunt, nisi pariter moderatio animi accedat, quamvis res in speciem maximas gerat. Hæc ille. Sunt autem juxta Tullium in Tuscul. quæst. *Quatuor* maximè feroces animi perturbationes & impetus, qui bestiarum instar in virum, quámlibet fortem incurrunt. *Ægritudo* seu Dolor, *Cupiditas*, *Metus*, *Voluptas*. Hi sunt edomandi, & ut Rationi pareant, subjugandi, non aliter, atque Tauri & Dracones Colchici; hos vincit, quisquis seipsum vincit; Non vicit, de quo dixi, Alexander, qui *Iracundiæ*, velut ignivomo tauro in se impetum facienti, turpissimè cessit, quod inter alios Valer. Max. lib. 9. c. 3. testatur. Alexandrum, ait, ira sua propemodum cœlo deripuit. Nam quid obstitit, quò minùs illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni objectus, & Clitus hasta trajectus, & Callisthenes mori jussus? quia tres victorias totidem amicorum injustis cædibus victor perdidit? Eundem quomodo *Libido*, & *Ebrietas*, veluti tauri & dracones dejecerint, Curtius & Seneca præter alios memorant. Virum fortem, suíque, suorúmque affectuum victorem describit S. Gregorius lib. 8. Moral. Fortitudo justorum est carnem vincere, proprijs voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare.

V. (e) Nihil est autem elegantius in hac fabula, quàm mirabilis lucta, *Rationis* & *Appetitûs* inter se dimicantium, & Medeam duas in partes distrahentium: hinc amore Jasonis advenæ pectus concutiente: inde pudore virginali, & insuper parentis Æetæ reverentiâ obstante, vellus aureum prodi vetantis. Audiamus ipsam (nam ad mores informandos conducit) secum arduè pugnantem, & Jasoni, quanquam homini peregrino, virtute tamen formáque rara prædito metuentem:

-----cur, inquit, quem modò denique vidi,
Ne pareat, metuo? quæ tanti causa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes infelix. *Si possem, sanior essem:*
Sed trahit invitam nova vis: aliúdque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, probóque,
Deteriora sequor. Quid in hospite, regia virgo?

Vreris,

(e) *Lucta rationis & appetitûs.*

Vreris, & thalamos alieni concupis orbis?
Hæc quoque terra poteſt, quod ames, dare. *Vivat, an ille*
Occidat, in Diis eſt. vivat tamen, ídque precari
Vel ſine amore licet. quid enim commiſit Jaſon?
Quem, niſi crudelem, non tangat Jaſonis ætas?
Et genus, & virtus? quem non, ut cætera deſint,
Forma movere poteſt? certè mea pectora movit,
Dixit, & ante oculos *Rectum, Pietáſque, Pudórque*
Conſtiterant, & victa dabat jam terga Cupido.
Et jam fractus erat, pulsúsque reſederat ardor.

Quid ſequitur? Appetitus adversùs Rationem victoria. Nam quod illa conſtruxerat, Affectus per aſpectum juvenis denuo quaſi expergefactus, deſtruit & evertit.

Cùm videt Æſoniden, extinctáque flamma revixit,
Et luctata diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non poterat, fruſtra Medea repugnat.

Hoc erroneè. Potuiſſet enimverò vincere, ſi ſeriò voluiſſet; potuiſſet repugnate efficaciter, ſi mentem obfirmâſſet. Doctè ſcriptum eſt à M. Tullio lib. 1. Offic. in hunc modum: Duplex eſt vis animorum atque naturæ: una pars in *appetitu* poſita eſt, quæ Græcis ὁρμὴ dicitur, & hominem huc & illuc rapit; Altera in *ratione*, quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendúmque ſit. Ita fit, ut *Ratio* præſit, *Appetitus* obtemperet. Ita Tullius. Sed quoniam hæc pars animi, appetitus, inquam (cujus motus Cicero cupiditates, libidines, concitationes, commotiones, perturbationes vocat) imperium alterius, ſuperioris & melioris, accipere ſæpius recuſat, aut tergiverſatur; hinc aſſiduum pænè & inteſtinum in nobis bellum gliſcit, cùm ſemina & primordia in ipſis generis humani principibus & protoplaſtis anteceſſiſſe cognoſcimus: & ab iiſdem deinde in omnem poſteritatem miſerabiliter transfuſa. Hæc eſt illa pugna *Carnis* & *Spiritûs*, de qua Apoſtolus Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Et Rom. 7. *Non ego, quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.* Id quod alijs verbis Medea dixit: *Video meliora, probóque; Deteriora ſequor.* Et hæc quidem, ſi corruptam naturam ſpectemus ita ſe habent; potentiòr autem *Gratia* hanc pugnam dirimit, & ſpiritui victoriam conciliat, juxta illud ejuſdem Apoſtoli Philipp. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et Geneſ. 4. Caino à

cæde fraterna cruentò, & meliora desperanti, dicitur: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Non enim est æquum, ut servus, scil. Appetitus imperet: Ratio verò tanquam regina ac domina serviat. Concupiscentia cedendo augetur: minuitur resistendo. Vox S. Augustini est, serm. 45. de temp. Pugnat concupiscentia; tu repugna: noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare. Insessoris magis culpa est, quàm equi, si excutiatur. Non has affectiones habendo, sed eis malè utendo, delinquimus, ait S. Prosper. Et veterum Patrum dictum est: *non nocet sensus, si non adsit consensus.* Ad Stoicos est ableganda ἀπάθεια, seu affectuum vacuitas. Non est arbor solida, neque fortis, inquit Seneca, nisi frequens ventus incurset; ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt. Virtutis cos est insultus appetitionum; induratur miles pugnando, & sibi dictum putat:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

VI. (*f*) Neque aries Phryxæus nobis prætereundus est, cùm multiplex ex eo doctrina suppetat. Nam 1. Quòd Phryxum & Hellen per alta vexerit animal hoc, aureâ lanâ decoratum, ostenditur, homines per divitias in sublime efferri. 2. Quòd Helle ex eo delapsa in Pontum deciderit, indicatur divitias mentibus infirmis, quales sunt feminarum, plus exitij, quàm emolumenti adferre. 3. Quòd per mare aries vectorem egerit, significatur, navigationes periculosas ad peregrina littora opum augendarum causa institui:

Per mare, per terras currit mercator, & ignes.

Deinde, inviam virtuti nullam esse viam. 4. Quòd pro arietinis exuvijs asportandis, tanta fuerint discrimina suscipienda, denotatur, quanto sit opus molimine ad opes comparandas, & quidem cum salutis non raro impendio; nam tauri flammivomi, pestilentes dracones, armatæ virorum segetes objiciuntur, ditescere, & possessiones suas extendere volentibus. 5. Quòd præstantissimi quique heroës pro vellere arietino adipiscendo vitam & fortunas suas exposuerint: summæque gloriæ loco duxerint, spolium hoc è Colchide abstulisse monstratur per symbolum, quibus ornatum oporteat esse dotibus animum heroicum & Principalem. Laudatur in Proverbijs sacris c. 30. *Gallus succinctus lumbos, & aries,* Nam arietis cornua, Æliano teste, elephantus exhorrescit; & quid hæc ad immanem ejus proboscidem? Hoc decet Principem, ut etiam majorem, quàm ipse sit, non timeat, sed timeatur ab illo: potentior est, qui viribus

(*f*) *Phryxæus aries quarum rerum Symbolum.*

ribus collectior, quod Salomon innuit per succinctos Arietis lumbos. Deinde dux gregis est Aries. Princeps præeat exemplo. Aries cornibus strenuè decertat; Rectori populi depugnandum est pro subditorum bono. Aries inter sidera locatus denotat assentationem, quæ Divites, lanâ scilicet aureâ villosos arietes, in cœlum attolit. Præterea significatur, viros fortes, & arietinis spolijs indutos, hoc est rebus præclarè gestis celebres, famâ super æthera ferri. Equidem Arietem apud veteres Symbolum heroicæ fortitudinis fuisse, Pierius docet lib. 10. c. 26. hieroglyph. Carolus, inquit, fortissimus Burgundionum Dux, Caroli V. Imp. avus Sodalitatem è viris lectissimis instituit, cui ab *Arietino Capite* cognomentum indidit, & singulis aureum hujus animalis caput gestandum dedit. In moneta quoque Galinei Imp. aliquis extat nummus, in quo aries expressus cernitur, cum inscriptione *Iovi Conf. Aug.* Quid quod Jupiter ipse Hammonius, arietinis cornibus ab Ægyptijs repræsentaretur, quem veluti salutiferum, salutisque Deum mirificè venerabantur. atque hoc imitandum magnis est animis, ut beneficentiâ præstent. Et verò constat, jam olim columnis arietina capita adsculpta fuisse, corymbis inde propendentibus, qui foliorum & fructuum varietate lasciviebant. Quô quid aliud innuitur, quàm viros heroicæ fortitudinis (cujus imago caput arietinum est) esse patriæ columnas & columina, eam quà virtute sua temporibus belli tuendo: quà providentiâ tempore pacis gubernando, conservando, bonis omnibus augendo?

In auratum Phryxi arietem sic quidam argutè.

Impia Thebeæ fugientem regna Novercæ
Fulva auro Phryxum per freta vexit Ovis.
Post ubi consedit securo in littore Vector,
Ut vellat vellus nobile, mactat ovem.
Nimirum solet hoc auri furiosa cupido,
E secta miseri pelle crumena rubet.

SYMBOLVM XXXIX.

Medeæ facinora.

7. Metam. & Tragœdia. 1. Senecæ.

Ethicè.

1. Mulier iracunda. 2. Procantium perfidia. 3. Cura parentum & exempla.

QUod Euripides Tragicorum præstantissimus de Helena canit in Oreste:

Πάσαις γυναιξὶν ἄξια συγεῖν ἔφυ
Ἡ τυνδαρὶς παῖς, ἡ κατήσχυνε γένος.
Omnibus mulieribus digna odio exiſtit
Tyndari filia, quæ inflammavit genus.

Id pariter de Medea dici potest, quæ dedecus & probrum fuit sexûs sui, scelerum omnium portentum. Hæc postquam *Thesaurum* patrium, nempe *Vellus aureum*, amatori suo prodidit, ipsúmque desertis parentibus, sorore, regno, patria, in Thessaliam secuta fuit, laniato priùs & frustillatim consciſſo *Absyrto* fraterculo; aliquamdiu à Jasone benè & liberaliter habita, duos filios ipsi peperit *Mermerum* & *Pheren*, Pausaniæ dictos: alij *Marmorum* & *Pheretem* eos nominant. Pòst artibus suis, scilicet magicis, & herbis in aheno Hecatæo coctis, Æsonem socerum suum senem jam, in Acherontis limine constitutum, mariti Jasonis rogatu, ad juventutem revocavit: novis scilicet beneficijs, nec exiguis, utroque devincto. Pervenit ejus rei fama ad *Peliadas* filias Peliæ illius injusti, qui regnum paternum Jasonis per vim possidebat, quod supra memoravimus. Ad has ipsa etiam Medea, postquam Bacchi quoque nutrices jam anus, olim floridas Nymphas, juveneſcere fecit, simulans sibi cum viro suo dissidium intercedere, confugit. Illæ eandem patri suo grandævo Peliæ, qualem patruo contulerat, gratiam petunt. Medea, quæ jam ante injuriam marito illatam ultum ibat, fingit initio vultum, tanquam rei difficultate abstèrritum, ut suspensione responsi, desiderium petentium magis incenderet. Tandem quasi victa precibus, artis suæ experimentum in vetulo ariete præmittit, cujus cùm annis & situ

ſitu ſqualidi guttur ferro ſolviſſet, membra ſecuiſſet, & cáeabo merſa cum herbis coxiſſet, mirum dictu! repentè in earum aſpectu aries ponit cum cornibus annos,

Et tener auditur medio balatus aheno,
Laſcivítque fugâ, lactantiáque ubera quærit.

Obſtupeſcunt Peliades, tantóque magis urgent propoſitum ſuum, quantò præſentius ſpecimen artis mirificæ ſuismet oculis aſpexere. Medea, ſicut erat tota è fraudibus compoſita, & regem, & eius ſatellites in altum ſoporem murmure dat magico; jubet adeſſe filias pugionibus inſtructas, ſuáque juſſa ſequi. Hæ parentis ubi torum ambiere, imperat venefica, gladios ut impigrè ſtringant, & ſi quidem piæ velint eſſe in genitorem, ſenilem cruorem multis per totum corpus vulneribus hauriant, ut vetulo evacuato ſanguine, juvenilis in venas infundatur. Peragunt illæ mandata, & averſis oculis (obſtabat enim pietas) vulnera cumulant vulneribus, ſenémque fruſtra tendentem brachia: crudeliter dilaniant. Ultimum ictum gutturi infixit Medea, ſenemque confecit; & artus lebeti, quemadmodum diſſectum arietem immiſit. Sed ille nec juventam, nec vitam recepit. Clamore & ejulatu perſonat regia; ad pœnas repoſcitur Medea. Iſta ſubitò ex oculis & manibus evadit; nam haud ignara itineris aërei, curru repentè ſublimis (dracones alati eam trahebant) Corinthum ad maritum Jaſonem, læta ob vindictam, elabitur.

Eò ubi pervenit, deprehendit novis eſſe nuptiis implicatam conjugem; *Creontis* Corinthiorum regis filiam (Propertius *Glaucen'*, Seneca *Creuſam* vocat) ſuperinduxerat. Hic enimuerò furore correpta, nihil non egit, ut maritum ab adultera divertat; extrema minatur omnia, ſi perſiſtat in cœptis. Fruſtra minæ; negat Jaſon ſe dimiſſurum Glaucen. Creon haud ignarus, cum qua muliere ſibi negotium eſſet, toto illam Corinthiorum regno migrare jubet ocyùs, & exulare. Erat hoc oleum addere flammis; femina tot modis læſa, humanum omnem abjicit ſenſum; & irâ diſſimulatâ, paucúlorum rogat dierum ſpatium, per ſpeciem ſuis valedicendo, revera atrociſſimæ vindictæ, parandæ. Elapſo præſtituto tempore, ſimulat officium grati animi, & per filios, quos ex Jaſone ſuſceperat, mittit Glaucæ, novæ nuptæ, veſtem pretioſam cum monili, aureoque crinali; omnia veneficiis erant infecta. Pallam donò miſſam ubi incauta puella induit, ornatúmque capiti & collo impoſuit, ſubito, ſed occulto igne ardere cœpit, & per ſummos cruciatus interire. Parens dum opem ferre ſatagit filiæ, & pereuntem amplectitur, ipſe quoque velut per contagium tacito corripitur incondio,

cendio, in ipsísque filiæ morientis amplexibus extinguitur. Non stetit hîc triveneficæ furor. Postquàm cum rege Creonte, ac Creusa, totam exussit regiam, Jasonis perfidiam atrociùs ultura, geminos secum liberos rapit, summa tectorum conscendit, maritum ad spectaculum invitat, utrumque filium in oculis parentis, minas & preces extremas miscentis, jugulat, alitéque per auras curru fugit. Athenas delata, ab *Ægeo* rege benignè excipitur; quid enim non potest blanda lenocinii species? Venerat fortè domum *Theseus*, Ægei filius, fortibus factis jam antè clarus, tum etiam clarior ob Isthmum insulam à latrociniis purgatam. Advenam non illicò agnovit parens, nam ora habitúmque mutârant expeditiones bellicæ, aliæ ex aliis susceptæ. Non ignoravit hospitem Medea, quare, suis ut consultum iret liberis, quos se ex Ægeo parituram sperabat, quibúsque Thesei claritas nebulam offusura videbatur, statuit nobilissimum juvenem interficere, eíque venenum in poculo, regis ipsius manu præbere. Ægeus, ut facilè suspicionem afflant maritis uxores, ratus peregrinum adventorem, non hospitem esse, sed hostem & exploratorem regni, pro hospitali scypho, pestem ei porrigit; sumit lethiferum craterem in manum Theseus, haud dubiè toxicatam potionem hausturus, nisi pater deprehensis in capulo, generis sui signis, poculum ei excussisset. Medea supplicium effugitura, subitò nebulam magicis verbis sibi circumfundit, & inaspectabilis, per nubila, notas vias, evanescit.

Ethica.

I. (*a*) Iterum nobis occurrit mala femina; adeo huius herbæ feraces sunt non modò historiæ, sed etiam fabulæ. Nos etsi sexum hunc minimè diffamandum duximus, & plura jam diximus, próque occasione dicemus, quæ quidam & quædam minùs patienter audiant, non possumus tamen (si mores docere volumus) Meduſas, Medeas, harúmque similes cum elegantia ceremoniarum excipere; cùm nec Jasones, Theseos, Hercules sine censoria virgula transmittamus. Nunc de Medea. Apparet hinc, quid patret muliebris animus, in furorem concitatus. Si vindicta stimulat, in cædem ruit & sanguinem. Ut noceat, ferro sibi & igne viam aperit. Medea semper impotens. Semper immodica, sive amet, sive oderit, per proditiones & parricidia grassatur suas ad libidines explendas. Nomen quidem à *consilio*, quod supra docuimus, traxit; sed quia, sprevit optimos rationis instinctus, posthabuítque depravatæ cupiditati, per funera in suum & alio-

(*a*) *Muliebris iracundia.*

& aliorum exitium properavit. Documentum ipsa dedit, quod Siracides dixit cap. 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Coluber sive serpens venenum gerit in capite & cauda; mulier mala insidias suas nequiter orditur, nequiùs finit. Ira, furor, præcipitatio, commune vitium huic sexui. Juvenalis Sat. 6. exclamat:

------- quoties facit ira nocentem
Hunc sexum! rabie jecur incendente feruntur
Præcipites, ut saxa jugis abrupta.

Et Terentius in Heautont. de feminis huius farinæ.

Neque jus, neque bonum, aut æquum sciunt:
Melius, peius; prosit, obsit, nihil vident,
Nisi quod libido suggerit.

II. (*b*) Jason quoque nuper heroum maximus haudquaquam heroicè se gessit, amores suos à conjuge, quæ tot ipsum sibi beneficiis obstringebat divertendo, aliámque superinducendo. Quid enim non debebat Medeæ tot periculorum depultrici? quid pro *Vellere Aureo* tot aliorum votis necquicquam expetito? Nec erat, quod displicere posset in uxore. Par ætas, forma, genus. Nempe transversum egit turpis amor, quem ut exsatiaret, plures in torum pellices induxit. Sed grandi malô suô. Discant hinc mariti, ne exacerbent consortes thalami. Monet Apostolus Ephes. 6. *Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Idem sibi dictum putent viri, *ne uxores suas ad iracundiam provocent*, injustis eas modis irritando, quod Jason fecit, datam Medeæ fidem sceleratè fallendo. Neque rarum est, quod feminæ ultionis auxilium à Styge postulent. Desperatio hoc facit. Unde si non per alites dracones, certè per volatiles hircos per alta feruntur. Quòd si Medea magicis jam antè artibus imbuta, monstra domuit, superbis hospitem Jasonem spoliis ornavit; cur venefi-cam duxit domum? cur ad nominis gloriam consequendam præstigiis usus est? Cur fidem *Hypsiphilæ*, Lemni reginæ, Thoantis regis filiæ ex se matri factæ, non servavit? Conqueritur ipsa apud Ovidium, per epistolam,

Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte futura tori.

Atque hoc est, quod solent perfidi multarum nuptiarum proci; quòt sponsas sibi copulant, tot suo sibi jumento mala accersunt. Vaga libido dum plurium pudicitiam fallacibus promissis expugnat, denique in striges incidit: has amat, has amplexatur, dignum patellâ operculum. De Dulcitio Diocletiani Præfecto historiæ memorant, eum, cùm S. Anastasiam & Socias

(*b*) *Procantium perfidia.*

Socias Virgines à Religionis castæ proposito frustra avertere tentâsset, repentè oculis animi, corporisque captum, de loco judicii se proripuisse, & propinquam ad domunculam delatum, in lebetes & alia vasa coquinaria incidisse, in eorum, tanquam puellarum oscula & amplexus ruisse, vultúmque tam fœdè fuligine denigrâsse, ut omnium risus & ludibrium factus, novum velut monstrum & spectrum exagitaretur; donec per suos domum reductus, faciem quidem pristinam recepit, mentem tamen non mutavit. Lippeloo. 25. Decemb. In hac *Apularia* sæpius amatores stolidi personam agunt, & inter illos Jason chorum ducit.

III. (c) Ægeus Theseum filium non agnovit, quid mirum? oculos ei fascinavit Cupido; animum dementavit Medea. Quòd verò poculum amatorium (Græcis philtrum) è manibus bibituri excussit, in eo parentis officium implevit, cuius est curare, ne filii, filiæve insidiosis artibus, alloquijs, munusculis per lenones & lenas seducantur. O quoties venenum hisce poculis ab inconsulta juventute bibitur, & inde ad amoris impuri insaniam concitatur. Ovidius monet:

Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Sed Ægeus ipse quoque habuisset opus amico, qui medicati virûs Scyphum projecisset, ne cum Medeæ lenoncinio hauriret dolosam pestem. Adeo sæpe patres exemplis docent, quod verbis vetant.

(c) *Cura parentum & exempla.*

SYMBOLVM XL.

Thesei præclara facta.

7. & 12. Metam.

Ethicè.

1. Princeps fortis & sapiens. 2. Inconsulta fœderum societas. 3. Prudentia Politica & Polemica. 4. Amicitia vituperabilis. 5. Puellarum deceptio. 6. Symposiorum & comessationum tempestas. 7. Vita hominum Labyrinthus. 8. Minotauri effigies symbolum secreti. 9. Diabolus similis Procusti latroni.

Parentes Theseo fuerunt, quod dixi, *Ægeus* rex Atticæ, mater *Æthra*, Pithei filia, in Peloponeso regnantis. Qualis & quantus futurus esset, si adultior accessisset ætas, ejus pueritia ostendit. Fortè *Hercules* Træze-

Trœzenem oppidum, Pithei regiam, venerat, & leoninam, quam pro veste gestabat, pellem de via fessus deposuerat. Conspicatus eas exuvias Theseus, etiamnum puer, ratúsque leonem esse, nam apertus ejus rictus pro capitis tegumento serviebat Alcidi, securim è manu servi rapit, belluam cæsurus, cùm reliqui Trœzeniorum pueri ad primum villosæ pellis aspectum se in fugam dedissent. Postea ubi adolevit, Herculis, propinquitate sanguinis juncti, virtutem ac fortitudinem sibi imitandam ratus, multos latrocinijs & maleficijs infames homines, diversis in locis è medio sustulit. Inter illos *Scironem* (quem alij vocant *Sinem* vel *Scinem*) qui in monte non procul Athenis, viatores excipere solitus, eos arborum ramis alligabat, quibus deinde laxatis, & in diversa redeuntibus, pendulos miserrimè discerpebat. Idem multos mortales è præcipiti loco dejecit & contrivit; quem ubi Theseus in suam potestatem redegit, idipsum genus mortis eum experiri coëgit. Infestabat eandem regionem *Procustes*, horrendus latro, qui homines adigebat super lectum quendam ascendere; quô si longiores fuissent, pars pedum supereminens amputabatur; qui verò breviores, immani cum cruciatu ad mensuram spondæ distendebantur. *Cercyoni* quoque, peregrinos ad luctam secum ineundam cogenti, & necanti, necem intulit. *Corynetam* insuper Vulcani prolem, advenas ferreâ clavâ trucidantem, è medio sustulit. Neque minoris animi adversus ferocissimas belluas extitit; nam taurum terribilem, totius Cretæ vastatorem, interemit. Eum taurum Neptunus *Minoi* Cretensium regi donaverat in victimam, Sacra facturo. Quem cùm sibi ob opimitatem servare Minos vellet, taurum efferavit adeò maris Deus, ut toti ferè insulæ vastitatem inferret. Ad hunc domandum missus Hercules, cepit eum, vinctúmque ad *Eurystheum*, Mycenarum regem, qui ei pro Junone labores imperabat, perduxit. Ab Eurystheo dimissus, cùm Atticam incursaret, nemóque eum eo congredi sustineret, Thesei virtute est interfectus. *Aprum* quoque in agris *Calydonijs* (Civitas est, regionis Ætoliæ, & Silva hujus nominis, alia à *Calydonia* silva Britanniæ, è qua sævi leones emittebantur) immissu Dianæ, omnia populantem, conjunctis cum *Meleagro* viribus prostravit. *Herculi* quoque sociam navavit operam, quando jussu Eurysthei, formidabilem *Amazonum* exercitum, multis earum occisis, è Græcia rejecit, *Hippolytæq;* illarum reginæ baltheum detraxit. Maximè verò Theseus fidem & fortitudinem suam probavit *Pirithoo*, Lapitharum (Thessaliæ populorum) regi, Ixionis filio. Ejus amicitiæ hoc fuit initium. Pirithous

virtutis, quæ de Theseo spargebatur, experiundæ causâ, boves illius è campo Marathonio (non procul urbe Marathone, regionis Atticæ) Miltiadis Athenienſium Ducis victoriâ claro, abegit. Motus injuriâ Theseus, abigeum è vestigio persequitur; Pirithous nihil territus ejus adventu, insequenti fert ultro se obvium. Admiratus eam animi magnitudinem atque corporis præstantiam Theseus, primò in colloquium, mox in arctissimam amicitiam venit. Neque diu pòst factum est, ut specimen sinceriſſimæ, constantissimæque fidei luculentum daretur. Pirithous *Hippodamiæ* (quam aliqui Hippodamen, & Hippocatiam nominant, distinctam ab Oenomai, regis Elidis & Pisarum, filia, de qua suo loco) procator, Centauros, quòd essent sponsæ cognati, convivio excepit. Qui simul ac mero incaluerant, omnia turbare, & sponsam Pirithoo eripere cœperunt. Coortâ pugnâ, Theseus amiciſſimo capiti fert auxilium, & compluribus Centaurorum trucidatis, Hippodamiam vindicat. Post hæc inter eos convenerat, ut uxorem, nisi è Jove natam, nullam ducerent; & cùm alia eo tempore haud noscereturr, quæ divino genere oriunda esset, præter *Proserpinam*, Plutonis conjugem, ad rapiendam illam, simul profecti sunt ad inferos. Verum Pirithous (ut quidam scribunt) primo statim impetu à Cerbero, tricipiti Plutonis cane, dilaceratus est: alij referunt, eum cum Ixione parente, & alijs Centauris mole saxi imminentis semper capiti, jam jámque lapsuri, perpetuò cruciari. Maro. 6. Æneid.

Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoúmque,
Quos super atra silex jam jam lapsura, ruenti
Imminet assimilis.

Theseus frustra opem ei ferre conatus, in Ditis potestatem venit, & ab eo in catenis servatus est, donec Hercules ab Eurystheo ad inferos missus, ipsum liberavit, secúmque Cerberum vinctum, frustráque reluctantem, in lucem protraxit. 6. Æneid.

Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius à solio regis, traxítque trementem.

Cæterùm Theseus, cùm nondum esset adolescentiam egressus, eximium charitatis in patriam, ac fortitudinis argumentum præbuit. Minos Cretensium, uti memoratum, rex grave bellum Athenienſibus intulit; cujus causa fuit cædes *Androgei*, Minoë geniti. Is cùm athleta esset egregius, & Athenis palmam obtinuisset, Ægeum præcipuè victoria illa (quod invidia solet) contristavit; cujus etiam insidijs adolescens occubuit.

occubuit. Vicit bello Minos, & barbarum Athenienſibus tributum impoſuit. In annos námque ſingulos cogebantur Athenæ ſeptena puerorum, totidémque puellarum ſorte delecta corpora in Cretam mittere, quæ juventus Labyrintho, ampliſſimo & inextricabili carceri incluſa, *Minotauro*, monſtro horrendo, & biformi (nam hominis & tauri figuram referebat natum ex Paſiphaë Minois uxore flagitioſiſſima.) in pabulum obijciebatur. Theſeus miſeratus civium ſuorum calamitatem, ſatius eſſe duxit mori fortiter, quàm vivere turpiter, & imperare civitati, quæ tam miſerabile tributum hoſtibus pendere cogeretur: igitur conſtituit ultro eandem ſuis cum civibus ſortem ſubire. Conſcendit unà cum damnatis navigium, venit in Cretam, in Labyrinthum cum cæteris includitur, vel devorandus à Minotauro, vel inter inexplicabiles ejus loci flexus fame abſumendus; omninóque pereundum erat, niſi mortem ante oculos certam præſens in corpore virtus avertiſſet. Jam in conſpectum venerat crudele monſtrum, hiabant in prædam terribiles rictus, Theſeum abſorpturi. Non deſeruit juvenem fortiſſimum animus; vim ſuſcitat ira; haſtam, cujus ferrum è patria ſecum clàm attulerat, ſummo quo poteſt niſu intorquet in belluam, & omnibus attonitis, exanimem in terra porrigit. Defunctum hoc periculo, major etiam cura ſollicitat, quînam ex ambagibus illis horrendis evadat. Iterum virtuti favêre Superi; mentem inijciunt *Ariadnæ*, Minois filiæ, ſalutem expediendi Theſeo. Illam iam antè miſeratio ceperat regij ſanguinis, & indolis ad ſumma quæque natæ. Ergo juvenem è funeſtis illis erroribus & anfractibus explicatura, utitur conſilio, quod à Dædalo Labyrinthi architecto acceperat. Lini glomerem per muros injicit; quô Theſeus prehenſô filô, cæca regebat veſtigia; extrema glomeris foris devolvebat Ariadne. Hunc in modum captivus evadit ſalvus & incolumis unà cum civibus in eandem ſortem condemnatis. Atque ut beneficia conciliant amorem, cùm non haberet animi grati præſtantius donum, quàm ſeipſum, liberatrici ſe in conjugem donavit. Illa delectata tam fauſtis nuptijs, cum eo clàm ex Creta profugit. Hîc gloriæ ſuæ maculam aſperſit Perſeus, (quod ſuprà in Jaſone accuſavimus) nam cùm delatus eſſet ad inſulam *Naxon* (in mari Ægæo ſitam, unam ex Cycladibus) comitem ſuam & ſponſam, longè lectiſſimam, optiméque de ſe meritam, & ſomno fortè correptam deſtituit; ſive quòd domi nollet uxoris peregrinæ beneficijs obnoxius vivere: ſive quòd Baccho cedendum erat, Ariadnen ſibi, præ mortali ſponſo, depoſcenti. Hic novæ nuptæ coronam

pretiosissimam imposuit; postea translatam in cœlum, & inter sidera septenis stellis fulgurantem.

Ethica.

I. (*a*) Theseus vir verè fortis, & acerrimus salutis publicæ defensor fuit. Quid enim sunt latrones, quid variæ belluæ à Theseo domitæ, in regnis & provinciis, nisi Turbatores pacis, & communis Boni eversores? Theseum ego magni animi Principem interpretor, qui primis à cunabulis tam *fortiter* quàm *sapienter* facere doctus, nihil antiquius habet, quàm quietem præstare subditis, vias à prædonibus purgare, potentiorum violentiam ab infirmioribus arcere. Qui, si taurus aliquis, aut aper ferus immineat, *Bellum* intelligo, præsenti animo ac consilio occurrat, antequam irrumpat. Qui disciplinam & honestatem morum ac legum tueatur, operámque det, ne juventus (quæ est seminarium civium) Minotauro, monstro turpissimo immoletur, dum institutionis expers, vel ignavo otio torpescit, vel voluptate lasciva dissolvitur, vel nefariâ doctrinâ corrumpitur, & in tributum orco penditur.

Theseus pro charitate patriæ pericula suscepit, exantlavitque. Ad depellendas injurias necessariò arma sumuntur; & quemadmodum est modestiæ conquiescere, nisi injuriâ affectus fueris; ita stultitia est & improbitas, illatas Reipubl. injurias non ulcisci. Plato. 5. de Rep. & Aristot. 7. Polit. c. 8. *Bellum autem*, inquit Tullius, 1. offic. *ita suscipiatur, ut nihil nisi pax quæsita videatur.* Neque frustra Athenienses Palladem armatam pinxerunt; quia qui desiderat pacem, præparat bellum. Armis imbuenda juventus in umbra, quibus utatur in sole. Theseus ab aspectu pellis leoninæ didicit in leones vivos insurgere, juxta illud Horatii epist. 2.

------- venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in Silvis catulus.

II. (*b*) Meminerit Princeps (qualis Theseus fuit) fœdera non temerè cum quibusvis esse ineunda. Theseus societatem feliciùs cum Hercule, quàm cum Pirithoo junxit. Ab hoc mutuam opem accepit; illi præstitit; nec satis prudenter; cum Centauris barbaris & ebriis pugnandum fuit. Valeant fœdera; sed quæ bona fide, bonâ causâ, & cum emolumento contracta. Est enim virtus unita fortior. *Non absque Theseo* (adagio dicitur) ne Hercules quidem. Et Theseus nihil sine Hercule; præsertim ubi Pluto-

(*a*) *Princeps fortis & sapiens.* (*b*) *Inconsulta fœderum Societas.*

Plutoniis vinculis detentus didicit, quid sit in orcum, amici gratia (Pirithoi) descendere; & quid, fortiorem per amicum inde eluctari. Theseus viris fortissimis auxilio fuit, ut Meleagro in conficiendo apro Calydonio, Pirithoo pugnanti contra Centauros, Herculi contra Amazonas, nullo ferò relato præmio, quod Heroïs est, virtutem & laudem, non mercedem spectantis.

III. (*c*) Jam quanti, quámque intricati atque implexi sunt in Aulis ac negotiis Principum Labyrinthi? peribit hîc Theseus, nisi per fidam Ariadnen explicetur; *Prudentiam* intelligo *Politicam* & *Polemicam*, fidelésque consiliarios, quorum directione ac ductu secura ponat vestigia Princeps. Hesiodi sententia est apud Lipsi. de civil. doct. lib. 3. c. 2.

Laudatissimus est, ipsus qui cuncta videbit,
Sed laudatus & is, qui paret recta monenti.

Et Plinius in Paneg. Traiani: Singuli decipere & decipi possunt: nemo omnes: neminem omnes fefellerunt. Confirmat Salomon Prov. 24. *Salus, ubi multa consilia.* Veluti multa in glomere fila; hæc quamvis subtilia, plus possunt, quàm crassi rudentes, quia minorem voluuntur in globum, ut legantur securiùs; & citiùs explicantur in longum, quò ducant plures. Vir doctissimus meritò Bellum Labyrintho comparat, quem cuique semper ingredi licet, sed ingresso non semper egredi; ab eo sumptus absorbentur (Minotaurum cogita) existimatione priùs conceptâ majores, Sfortia Palavicin. lib. 2. hist. Concil. Trid. c. 13. Et Sallustius in Jugurtha: Omne bellum sumitur facilè, cæterùm ægerrimè desinit; nec in ejusdem potestate initium & finis est. Illud incipere etiam cuivis ignavo licet; deponitur, cùm victores velint.

IV. (*d*) Peccavit Theseus in amicitia cum Pirithoo contracta, temerè magis, quàm sapienter. Nam quid? Pirithoo visum est uxorem ab inferis accersere; ergo amicus eius usque ad Stygem sequendus erat? In proverbiis refertur: *amicus usque ad aram.* Quod à Pericle, Duce Atheniensi clarissimo, profluxit; quem cùm amicorum quispiam rogaret, ut in causa quadam, suâ gratiâ falsum dejeraret, reposuit δεῖ με συμπρᾶξαι τοῖς φίλοις, ἀπὸ μέχρι βώμων. *oportet me commodare amicis, sed usque ad aras.* Olim enim jurantes aram tangebant. Hæc igitur prima lex, inquit M. Tullius, in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Contra quam legem peccavit C. Blossius Cumanus, qui T. Gracchi in conjuratione socius, cùm, ut sibi ignosceretur, causam afferebat, quando tanti Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret,

(*c*) *Prudentia Politica & Polemica.* (*d*) *Amicitia vituperabilis.*

taret. Rogatus à Lælio tum temporis consule, etiamne si te in Capitolium faces ferre vellet? respondit, non voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem. Videtis quàm nefaria vox: & hercle ita fecit, vel plus etiam, quàm dixit. Hæc Cicero. Non minùs peccavit Theseus, in Tartarum usque, Pirithoi sui causa sese inferens. Quòd multi, prô dolor! æmulantur, qui ne deserant amicum, deserunt honestatem, famam, salutem, cœlum, Deum, De Theseo Virgilius ab Ænea conspecto, sed tunc, cùm mortuus ille, nunquam ampliùs ad viventes rediret. 6. Æneid.

------- Sedet, æternúmque sedebit
Infelix Theseus, Phlegyásque (e) miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Addo ego: Discite, non in extrema vos pericula conjicere, homínumque pluris favorem & amicitiam, quam Numinis æterni gratiam facere. Hic occurrit mihi, quod Lucianus in dialogo *Toxare* proponit amicitiæ paradigma duos inter juvenes, natione Scythas, quorum alteri *Amizoca*, alteri *Dandamidi* nomen facit. Ille à Sauromatis hostibus captus, cùm navi abduceretur, inclamavit abiens amicum, & fœderis admonuit more patrio sanciti: sanguine scilicet è digitis ab utroque in calicem immisso, tinctíque priùs gladiorum mucronibus, hausto. Quô Dandamis auditô, spectantibus omnibus, undis sese committit, classem insequitur natando, ínque littus evadens, ad Ducem hostilem perducitur, séque vadem pro amico offert. Lytrum postulatus, respondet, nihil sibi pretiosius esse oculis, hosce cupere se redemptioni charissimi capitis impensos. Homo barbarus cùm alia prædæ spes non esset, utrumque jubet ipsi erui, simúlque cum Amizoca dimittit, eodem facto crudelis & misericors. Reversi domum amici cùm essent, Amizoca omnia sibi cum Achate suo communia redditurus, etiam cæcitatis voluit esse particeps: geminum effodit sibi oculum, hôc charior futurus suo Dandamidi, quô similior. Facinus omnium plausu celebratum, decreti honores publici, & alimenta ex communi ærario suppeditata. Ingeniosiùs hoc finxit Lucianus, quàm prudentiùs; est enim hæc cæca amicitia, & Scythico ingenio digna. Nam si officiorum paritas non ab animo modò, sed etiam à corpore petenda sit, neque luscus cum oculato, gibbosus cum recto, neque brevis cum longo, aut parvus cum magno amicitiam inire poterit.

(e) *Ixionis pater.*

V. (*f*) Malè egit Theseus sponsam tot nominibus sibi devinctam, deserendo. Ubi fides promissorum? ubi relatio gratiæ? ubi sacri fœderis (matrimonium intelligo) reverentia; quid deliquit Ariadne, nisi quia hominem in peregrinum, captivum, morte damnatum, nimis pia fuit? quia casus in incertos secuta est fugientem? quia maluit exul esse alibi, quàm felix domi? Hic juvenum desultorius est amor; hæc levitas illorum, quorum constantia & fortitudo celebratur, Habuerit causas Jason, cur Medea non placeret ampliùs; quod enim malè coalescit, non malè dissolvitur; veneficia secum in dotem attulerat illa. At cur Ariadnen deseruit Theseus, quam adeo virtus commendabat? nempe simplices sunt puellarum animi, & nimiùm creduli: pollicitis indueuntur falsis in connubia, Sub spe maritalis tori quot fraudes latent! Epithalamio futuro præsultant Veneres, larvas amantium indutæ, finguntur risus & joci, obtruditur palpum, intenduntur offuciæ, capitur innocentia, pudore spoliatur. In aucupio tam doloso quot incautæ irretiuntur animæ! Capta fuit Ariadne, sed innocenter; cuius utique meruit virtus inter astra habere sedem, Theseus, uti retulimus, torquetur apud inferos, Poëtarum judiciô. Sæpe namque fit, ut quem nimia felicitas extulit, & secunda gestarum rerum fama Diis pœnè miscuit, eum detrahant in imum vitia, faventiorem plerumque fortunam comitantia.

VI. (*g*) Pugna Centauros inter & Lapithas vino graves, exorta, quid moneat, docet Horatius lib. 1. Od. 18.

At ne quis modici transiliat munera Liberi
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata.

Describit Ovidius insaniam ebriorum:

------ ardescunt germani cæde bimembres:
Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur;
Vina dabant animos; & primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilésque cadi, curvique lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus aptæ.

Id hodiéque vinariis & cervisiariis in tabernis factitant opifices & agrestes coloni, qui postquam mensam in orbem coronarunt cubitis, mediocribus initio se poscunt poculis, paulatim majoribus; denique amystide bibunt; uno scilicet haustu & ductu bicongios, & tricongios cantharos exhauriunt; inde fluctuare cerebrum, lingua solvi in jocos illiberales, dicteria, scommata, dissonis clamoribus personare ædes, conspurcari vomitu

(*f*) *Puellarum deceptio.* (*g*) *Symposiorum & comessationum tempestas.*

pavimentum, magis ac magis incendi caput, prurire pugni, à verbis veniri ad verbera, ab ira miniſtrari tela, corripi lances, diſci, orbes, ſalina, crateres, cirneæ, ſedilia, & quidquid furor in manus rapit: exoculari feneſtræ, mutuis in capitibus frangi vaſa ſamia, lignea, ſtannea, cuprea: miſceri merum & ſanguis, omnia agi lymphaticorum more: donec feſſi plagis vel accipiendis vel inferendis, operti tuberibus, vacuati crumenis, extra fores eliminantur à caupone. Exhalata per ſomnum crapulâ, dolenter ſentiunt altera die, quæ ſibi, quæque rei ſuæ domeſticæ Bacchus inflixerit vulnera. Digna profectò his compranſoribus & compotoribus cataſtrophe. Neque apud viliores tantùm ſortis contribules ferveſcunt genus hoc convivia. Simile quandoque ſympoſium nobilior hominum conditio celebrat. Ovidius lib. 5. refert in nuptiis Perſei & Andromedæ (de quibus nos ſuprà) pugnam Cephenorum Procerum exortam, quorum unus.

------ altis
Extantem ſignis, multæque in pondere maſſæ
Ingentem manibus tollit cratera duabus,
Infligitque viro; rutilum vomit ille cruorem.

Et M. Tullius Orat. in Piſonem, Conſulum perpotationem cum Lapitharum & Centaurorum convivio comparat. Et triumvir Antonius ille, an modeſtiùs ſe geſſit, quàm alliata hæc turba, Centauri ſcilicet & Lapithæ, ex parte hominem, ex parte equum referentes, hoc eſt, ſemihomines & ſemiferi, quales evadunt, quicunque per ebrietatem, figuram quidem hominis retinent, ſenſum tamen hominis & rationis evertunt: *bimembres & biformes*, ex homine, beſtiáque compoſiti. Sed ad Antonium Romanorum nobiliſſimum ſimul & ſpurciſſimum. Loquatur Cicero ejus elegantias, Philipp. 2. orat. Qui poſteaquam graviſſima quæque flagitia ei exprobravit, loquamur, ait, potiùs de nequiſſimo genere levitatis: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippæ nuptijs exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere poſtridie: ô rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu, ſi inter cænam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal implevit. Quid fœdius? Hoc poſſunt, qui non poſſunt, quod Antonius potuit. Miles erat, & timendus; in caſtris Martem egit, ſed amicum Veneri. Quid ad Antonium illi, quo-

rum

rum tota vita est assidere foco, volvere cunas, in uxorum servitijs stare, inter plumas viros se præbere, dies ebrietate, noctes libidine distinguere? Cicero *nequissimum levitatis genus* ebriam Antonij immunditiem appellavit; hoc homini gentili naturæ lex dictavit. At Paulus, Orator Apostolicus, haud paulò graviùs intonat Christianis, cap. 5. ad Galat. ibi cùm inter alia scelera, *iras*, *rixas*, *dissensiones*, *ebrietates*, comessationes (quæ solent plerúmque conjungi) enumerâsset, subjungit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Brevis clausula, sed æternùm duratura. Agnovit hoc ethnicus Philosophus Heraclitus, qui in seditione quadam rogatus à civibus, ut concordiam suaderet, suggestum ascendit, calicem frigida complevit, infusam digito farinam miscuit unà cum pulegio, idque bibit, & hinc discessit: nimirum reipsa loquens, pleráque seditiones ex luxu, rerúmque superfluarum usu oriri: inter eos autem facilè constare concordiam, qui modicis ac tantùm necessarijs essent contenti. Plutarchus de garrulitate.

VII. Labyrinthus, in quem inclusus Theseus, varias explicationes habet. Audiamus priùs ejus descriptionem ex lib. 8. Metam.

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus: turbátque notas & limina flexu,
Ducit in errorem variarum ambage viarum,
Non secus ac liquidis Phrygijs Meandrus in undis
Ludit, & ambiguo lapsu refluítque, fluítque
Occurrénsque sibi venturas aspicit undas:
Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum
Incertas exercet aquas: ita Dædalus implet
Innumeras errore vias: vixque ipse reverti
Ad limen potuit: tanta est fallacia tecti.

Et Maro 5. Æneid.

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille vijs habuisse dolum, quà signa sequendi
Falleret indeprehensus & irremeabilis error.

(*h*) Est enimverò, *Labyrinthus* typus vitæ & ingenij humani milléque laborum, periculorum, errorum. Etenim quàm multi mortalium in ambitionis diverticula, amicitiæ cæcas latebras, dominationis cupiditatem, ultionis desideria, fastûs ac superbiæ mæandros, præcipites & errabundi abeunt, ut seipsos non noverint ampliùs, nec cœptorum suorum in-

(*h*) *Vita humana Labyrinthus.*

veniant filum aut exitum. Quid enim sunt mortalium cogitationes *timidæ & incertæ providentiæ* Sap. 9. quàm cæcorum itinerum ambages, &, ut Plinius loquitur, inexplicabiles occursus & recursus, denique nullius exitûs, nisi per Ariadnen seu virtutem. Quis verò explicet, quales ambages, quàm dubios viarum flexus in dictis suis, factis, pactis, conventis implicent *Politici*; quot modos inveniant dicta indicta, facta infecta reddendi, aut simulandi; quot ancipites dolos, & mille vijs indeprehensas fallacias excogitent, idem affirmandi & negandi, & quæ certa videbantur, dubio sensu suspendendi? Et quot in gravissimo, periculosissimóque Religionis negotio sunt involutiones, perplexitates, confusiones opinionum? Quàm multi cæcis errantes in orbem vestigijs, ne Deum quidem ipsum in hoc Labyrintho inveniunt? Quàm multi providentiam ejus inficiantur: quàm multi æternæ Veritatis dicta, mandatáque vel in reprobum detorquent sensum: vel ab ijs morum pravitate in exitium suum deflectunt, & circumvertuntur? De quibus omnibus illud dici posset, quod vulpes de antro leonis: *vestigia terrent, omnia introrsum spectantia, nulla retrorsum.* Nonne verum de his illud Jobi 6. *Involutæ semitæ gressuum eorum.* Et quod Psaltes regius dixit psal. 139. *In circuitu impij ambulant.* Quærit S. Augustinus in dictum psalmum: Quid est circuitus ipsorum? ut circumeant & non stent: in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine; qui enim in longum it, aliunde incipit, alicubi finit; qui in gyrum it, nusquam finit; ipse est labor impiorum, ne quidem æternitatis cruciabilis circulo absolvendus. Evasissent, si lumen Rationis, si Legem divinam, si judicium potiùs S. Matris Ecclesiæ, tanquam fidissimæ Ariadnæ, quàm sensum suum sequi voluissent.

VIII. (*i*) Minotauri effigiem (quæ scilicet superiore sui parte semivirum Centaurum cum clava, inferiore taurum referebat) inter signa militaria Romanis ideò fuisse scribit Festus, quòd non minùs occulta esse debeant consilia Ducum & Principum, quàm fuerit olim domicilium Minotauri labyrinthus: idque vel maximè in bellicis expeditionibus observari debet. Id noverat exactè Metellus Macedonicus, qui sciscitanti cuidam ex amicis, qua ratione tam subito consilio uteretur: Si ipsam, ait, vestem scirem consiliorum meorum esse consciam, eam confestim abijcerem. Etenim σύμβουλος ἱερὸν ἐστὶ χρῆμα. *Consultor res est sacra.* Itâque Philippides Comicus, cùm Lysimachus ipsi dixisset, se velle de suis aliquid rebus impertiri: Quidvis (inquit) ô rex, modò ne quidpiam arcani. Vide Alciatum Emblemate XII. IX.

(*i*) *Minotauri effigies symbolum secreti.*

IX. (*k*) Quia mentio *Procuſtis* latronis in geſtis Theſei injecta eſt, afferam, quæ Stengelius cap. 14. Labyr. diſſeruit. Procuſtes, inquit, notiſſimæ crudelitatis prædo, obvios quóſque de inſidijs exceptos, & domum abſtractos, ſuo grabato applicabat; & ſi proceriores eſſent, amputatis pedibus decurtabant; ſi breviore corpuſculo, funibus alligatos, & intolerabili cruciatu affectos, nervorum detorſionibus extendebat. Talis prædo animarum eſt diabolus, omnes ſibi cupit facere æquales. Abundantes ſpoliando cruciat & tentat: egentes deſiderijs extendit & torquet. Igitur divitias dat, ut auferendo efficiat impatientes: aufert, ut alliciendo, cupiditate accendat. Hæc ille. Cauſinus verò in Symbolis per Procuſtem intelligit Hæreticos SS. Scripturæ depravatores, qui nunc demunt, nunc addunt de ſuo, prout Spiritus fanaticus dictat.

(*k*) *Diabolus ſimilis Procuſt: latroni.*

SYMBOLVM XLI.

Formicæ in homines.

7. Metamorph.

Ethicè.

1. Formicarum reſpublica, & adumbratæ virtutes. 2. Homines fungino genere.

ÆAcus Jove & Ægina, Æſopi Bœotiorum regis filia, natus, cùm Æginam, Ægei maris inſulam, de nomine genitricis dictam incoleret, & gravis peſtilentia, irâ Junonis immiſſa, omnem ferè populum abſumpſiſſet, ad preces ipſe converſus, enixè petiit à parente deo, ut vel redderet ſibi cives peſtifera lue ſublatos, vel ſeſe defunctis aggregaret. Audita fuiſſe vota, mox editô ſignô oſtenſum eſt. Fortè ſuberat precantis oculis annoſa quercus, è Dodonæ ſurculo plantata. Per hanc arborem longo commeabant agmine formicæ, grana geſtantes ore. Miratus ingentem numerum Æacus, rogavit Jovem tantam civium copiam, quantam vidiſſet formicularum repentium, ad inanitas inſulæ ſuæ civitates explendas. Annuit Jupiter; & mox intremuit arbor, ominoſúmque, ramis ſine vento commotis, ſonum excitavit. Cohorreſcit Æacus, & terræ, ſtipitíque ſacro oſculum impertit, non ſine ſpe felicis ſucceſſûs. Noctu compoſuit ut in ſomnum oculos, objicitur eadem quercus dormienti, viſá-

que formicarum multitudo seſe latè per agros spargere. Et ecce! quæ modò terræ irrepere videbantur animalcula, subitò de humo se attolere, in truncum erigere, humanámque membris formam induere cœperunt. Vix manè evigilârat rex, cùm ingens hominum murmur per regiam auditur. Dubitanti, & inter somnum ac vigiliam medio, hæsitantique quid insolitæ sibi voces vellent, concitato gradu nuntiat filius *Telamon* rem lóngè spe ac fide majorem: adesse frequentissimos cives antehac nunquam visos, qui regem salutate, & obsequia deferre cupiant. Æacus ad inexspectatum nuntium attonitus, è conclavi se proripit; conspicit hominum turbam ingentem, omnes regiæ partes occupantem. Alloquitur novos colonos, mutua admiratione defixos, & illis dividit sedes incolendas, agrósque serendos, Myrmidonásque appellat, hoc est *Formicas*, quales olim fuerant, quarúmque frugalitatem & industriam etiam in transformata natura retinere deberent. Atque hoc eos præstitisse, ipse rex Æacus affirmavit Cephalo Athenienſium legato:

Corpora vidisti, mores quos antè gerebant,
Nunc quoque habent. Parcum genus est, patiénsque laborum,
Quæsitique tenax, & quod quæsita reservet.

Ethica.

I. (a) Antequam ad mores à formicis discendos deflectamus, operæ pretium erit audire, quid de mirabili horum reptilium natura tradiderint viri sapientes. Præcedat Horatius lib. 1. Sat. 1.

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit, quodcúnque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur antè
Quæsitis patiens.

Et Maro 4. Æneid.

Ac velut ingentem formicæ farris acervum
Cùm populant, hiemis memores, tectóque reponunt.
It nigrum campis agmen, prædámque per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigántque moras: opere omnis semita fervet.

Consi-

(a) *Mirabilis formicarum natura & industria.*

Considerat hoc *insectum* diligentissimè Plutarchus libro, utrùm animalia plus rationis habeant terrestria, an aquatica. Nullum enim, inquit, natura maximarum, pulcherrimarúmque rerum tam augustum speculum habet: quoniam hîc ceu pura quadam in guttula, virtutis totius significatio clarissimè relucet. *Amicitiæ* imago est, illa inter formicas communicatio; *fortitudinis* simulacrum illa in ferendis laboribus alacritas; multa *temperantiæ*, multa *providentiæ*, multa *justitiæ* semina & argumenta existunt. Jam verò notæ sunt omnibus, illa primùm in accursu *benevolentia*, dum vacuæ onustis cedunt viâ, aut transitum præbent: dum quæ vel gestatu, vel importatu difficiliora sunt, arrosa partiuntur priùs, ac gestabile pondus, in plurimos distributum, reddunt: dum semina exponunt, siccántque sub dio, quod pluviæ signum est. Omnem verò intelligentiæ cogitationem superat illa, ne rursus in segetem exeant semina, *procuratio*: neque enim ut sicca, incorruptáve, in antrum congesta semina maneant, contingit: sed mox humiditate loci perfusa, lacteum quiddam contrahant, mollescántque, ac verti in herbam pergant. Ut ne igitur pullulent, ac in frugem corrumpantur, alimentíque vim amittant; durent autem & esui sint, umbilicum grani, quà mitti germen solet, erodunt multò antè, castrántque.

Non minùs eleganter & admirabundè Plinius de formicis lib. 11. c. 30. Jam in opere, quis labor? quæ sedulitas? & quoniam ex diverso convehunt, altera alterius ignara, certi dies ad cognitionem mutuam nundinis dantur, quæ tunc earum concursatio? quàm diligens cum obvijs quædam collocutio ac percontatio? Silices itinere earum attritos videmus, & in opere semitam factam: ne quis dubitet qualibet in re, quid possit quantulacunque assiduitas. Hæc Plinius.

II. (*b*) Nunc ad mythologiam, quam pulcherrimam tradit noster P. Cornelius à Lapide in Proverbia Salomonis, ex quo tametsi paulò fusiore, propter festivitatem argumenti referemus, mutatis quibusdam & additis, virtutes, industriam, solertiam, laborem, frugalitatem, prudentiam, sapientiam, œconomiam, & politiam formicarum, tanquam imaginis perfectissimæ Reipublicæ, quam instituit Æacus ex Myrmidonibus, formicarum posteris.

Et quidem cap. 6. in illa verba: *Vade ad formicam, ô piger, & consídera vias ejus, & disce sapientiam. Quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Sic commendatur vir ille doctissimus. Formicarum

(*b*) *Formicarum respublica, & virtutes adumbratæ.*

rum providentia, ſolertia, diligentia multimoda eſt. Nam 1. formica faciendo frumentationem, providet ſibi cibum in æſtate, ut eodem vivat in hieme. Hinc apologus Æſopi de cicada in æſtate, cantui indulgente, & hiberno tempore, eſuriente. Cui illud formica: *Æſtate cantaſti, ſalta in hieme.* 2. Frumentum defert in ſua antra, quaſi in cellas & apothecas, ibique recondit & aſſeruat, unde formica dicitur, quaſi *ferens* vel *forans micas*, id eſt, perforans, ut ait Iſidorus. Idem homini faciendum eſt, & labore iuventutis, alimenta paranda ſenectuti. Hinc adagium: Ἀγαθῶν μυρμηκία: Bonorum myrmecia, à μύρμυζ *formica*; quô ſignificatur opulentia per laborem formicinum parta. Midæ, ſcribit Cicero lib. 1. de Divinat, illi Phrygio, cùm puer eſſet, dormienti formicæ in os tritici grana congeſſerunt; quô prædicebatur, illum fore ditiſſimum. Eſt autem μυρμηκία cavernula formicaria; & accipitur etiam pro gymnaſio, in quo diſcipulorum frequentia dat operam ſapientiæ, utique à formicis diſcendæ. 3. Formica grana incidit, & arrodit, oculos exedens ſeminis, ne germinent & putreſcant. En induſtriam in conſervando penu. 4. Meliora grana ſeligit, deterioribus relictis. Officium hoc eſt & cura patrisfamilias, ut attendat in emendo, non quàm leve ſit pretium, ſed quàm bona merx. 5. Præſentit ſerenitatem; túmque aëri exponit grana; præſentit & pluviam, & tum recondit ea. Tempeſtatis obſervatio ad res, & negotia opportunè peragenda, omnibus eſt, obſervanda, qui providè gubernare volunt rem ſive publicam, ſive privatam. 6. Formica quod viribus nequit, hoc conſilio & continuatione perficit; unde aſſiduitas eius laborandi excavat ſemitas, ſaxa, rupes. Nempe labor improbus omnia vincit. 7. Formicæ licet careant rege, duce, inſtructore, tamen velut in Democratia quadam obtemperant ſibi mutuò, & obſecundant; ac ſine legibus juſtum rectúmque colunt, id quod aureâ Saturni ætate fecerunt homines. 8. Averſantur res fœtidas, ut origanum, ſulphur, cornu aduſtum. Facit hoc in animis virtute præditis amor honeſti & famæ bonæ. 9. Sunt ventre ſtricto, & in ſenio more avium volant aſſumptis alis. Homo ſapientiæ ſtudioſus ventrem ſtringat per temperantiam & abſtinentiam; atque ad altiora transferat cogitationes & ſtudia ſua. 10. Myrmicoleon eſt inter formicas, quod inter apes fucus; alieno fruitur labore per rapinam ablato. Denotantur hîc homines frugiperdæ, & qui nihil agunt in vita, quod vitâ ſit dignum. 11. Formicæ dividunt onera, inque plures partiuntur. Nimirum conſiliô & ſolertiâ fit facile, quidquid videtur multum habere difficultatis, pro-

verbio

verbio dicitur, *multæ manus onus reddunt levius.* 12. Formicæ non rarò prænuntiæ mortis extiterunt. Eam prænuntiavere Cimoni Athenienſium Duci, teſte Plutarcho; & Neroni, perhibente Suetonio. Cauſam dat Aldrovandus, quòd formicæ ſint terræ filii, an filiæ, & in cavernis habitent, mortuorum conditoriis. Præſtantiſſimum philoſophorum, Platonem reddidit, *Meditatio* mortis. 13. Formicis bilis eſt ſtimulus laboris & agilitatis. Nam juxta adagium: *& formicis ſua bilis ineſt*, qua excitatæ pugnant turmatim in hoſtes, aditum in antra molientes. Hoc telum, flavam bilem, homini natura dedit, quaſi cotem virtutis; ad politiam pertinet *arcere, quæ nocere poſſunt.* Et Salluſtius ſcribit, ſapientes pacis causâ gerere bellum; & laborem ſuſtentare ſpe otii. Admonet etiam proverbium hoc, neminem inimicum, quamvis puſillum contemnendum, aut temerè laceſſendum.

Atque hæc pleraque in caput 6. Proverbiorum ſacrorum Cornelius attulit; idem in caput 30. eiusdem libri, explicans illa verba: *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi &c.* ita diſſerit: Hæc ſapientia elucet in formicis, quæ cùm non habeant ducem, ſuo tamen quæque inſtinctu & motu agit, quod convenit. Apes habent monarchiam; Formicæ democratiam ſeu regimen populi. Eſt autem formicarum reſpublica quaſi caſtrenſis; unde urbes, quaſi ſub terra ſibi ædificant inſtar caſtrorum, ea ſolertia, proportione, menſurâ, diſtributione, ut eas intuitus Simon Majolus Epiſcopus Vulturienſis, ut ipſe ſcribit in Dieb. Canic. coll. 7. magis miratus ſit, quàm fabricam Neapolis, urbium pulcherrimæ. Præterea, quid mirabilius, formicæ ſuas urbes in tria quaſi habitacula dividunt; in quorum ſcilicet uno vitam degunt, ac communiter comedunt; in altero alimenta ſua quaſi in horreo vel granario recondunt: in tertio mortuos ſuos ſepeliunt, teſte Plutarcho loc. cit. Ælianus lib. 6. de animal. c. 43. addit quartum, ſcilicet gynæceum, ubi feminæ pariant. Inſuper formicæ turmatim incedunt, ſed miro ordine, aſtutia, & pace; vacuæ enim onuſtas non ſpoliant: nec eis quidquam ſurripiunt, ſed quævis ipſa ſibi colligit, & quod collegit, in communem acervum comportat. Aliæ, inquit Ælianus lib. 2. c. 25. ad legenda grana eunt: aliæ onus portantes redeunt, ac ſummo cum honore ac modeſtia, aliæ aliis de via decedunt. Et alibi Idem: Formicæ imprimis ſedula atque operoſa animalia, tanto laborandi ſtudio tenentur, idque abſque ulla excuſatione & prætextu, quo uti ſolent ignavi, ut ne noctes quidem in ſuo opere ceſ-

sent; modò sit luna plena, nam interlunio quiescunt. Cùm autem tanquam ad pabulandum proficiscuntur, natu grandiores sese junioribus duces præbent; atque ad segetes ut pervenerunt, adolescentiores sub stipula stant: duces verò ascendunt, & spicas abscissas inferioribus dejiciunt: hæ verò eas distrahunt, & suis ex glumis & vaginis grana inclusa explicant. Hæc Ælianus, insignis naturæ explorator. Quid aliud desideres in Republica hominum, sive spectes ædificia, quibus civitas benè ordinata constare debet: sive Ordinum civilium discrimina, sive juventutis educationem: sive vita functorum curam: sive incolarum pacem, concordiam, mutuum auxilium: sive laboris sedulitatem, otii propulsionem: sive alimentorum provisionem. Quid quod formicæ cœlestium notionem quandam habent, ac sæpe cœlum suspiciunt, præsentiúntque ventos & imbres, unde se domi continent. Quocirca Ælianus lib. 1. c. 22. eas astrologiæ peritas asserit. Plinius lib. 11. tribuit eis vaticinia. Denique formicæ dum senescunt, & oneri succumbunt (nam tunc alas emittunt, ut homo canos capillos) è Reipublicæ administratione abeunt, & in eminentem locum, teste Alberto M. l. 8. c. 26. avolant, veluti ad cœlestia, fastidio terrenorum anhelantes. Hæc ex diversis Cornelius, & nos ex illo, ut siquis dubitet, tantorum virorum auctoritate judicium suum submittat. Strabo lib. 8. per formicas, homines intelligit terram fodientes, & agriculturam exercentes, olímque pro domibus antra habitantes. Quo mortalium genere nihil est innocentius, nihil Reipublicæ utilius. Hinc ille Phrygii fabulatoris apologus. Rústicus cùm vitæ finem adesse sibi cognosceret, cuperétque filios in agrorum cultu fieri sedulos, vocavit eos ad se, & filii, inquit, ego è vita discedo; quidquid comparsi, id totum vobis in vinea quærendum relinquo. Illi post patris obitum latere thesaurum in vinea rati, arreptis ligonibus, solum omne diligenter effodiunt. Thesaurum quidem non invenere, vinea tamen improbo labore & sudore culta copiosos fructus produxit, illósque divites effecit. Tantùm potest assiduus more formicarum labor; quæ, quod Arrius scribit in Quæstion. de Tuscia, veterem urbem, ad Volsiensem lacum, *Contenebram* nomine, per cuniculos deleverunt; unde locus ille vulgò *Castrum formicarum*, nominatus. Adeo nihil formicis ad pacis & belli deest artis; & potuerunt meritò Myrmidones non tantùm nomine, sed etiam posteritate & politia formicarum gloriari. Ubi etiam disce, quod Ovidius monet:

-----Quæ non possunt singula, plura nocent.

Tiberio

Tiberio Cæsari in deliciis erat draco, quem de more, manu ipse sua enutriebat, hunc cum à formicis consumptum accepisset, oraculo monitus est: *Vim multitudinis caveret.* Suet. c. 27.

II. (*b*) Pro additamento huius fabulæ formicas in homines transformantis, disce, quanti interesit, è formicis, an è fungis ortum habere; nam etiam ex his enatos esse homines. Ovidius docet 7. Metam. qui de Corintho mentionem faciens canit:

------ hîc veteres ævo mortalia primo
Corpora vulgarunt, pluvialibus edita fungis.

Ait pluvialibus, quia fungi procreantur è pluvia. Facetè Plautus in Trinum. de Charmide quodam sycophanta, qui causiam, petasúmve latiorem in capite gestabat: *Pol, hic quidem fungino est genere, capite se totum tegit.* Videas non rarò genus hoc hominum è fungis prodeuntium, qui toti quanti, stupidi sunt, bardi, blenni, plumbei, corpus sine pectore, pistillo retusiores; quibus cerebrum est glacie coneretum, verissimi fungi, qui vix in herbis, plantísque nomen merentur, ignavum pecus fuci, & latam inglorij trahentes alvum. Miseram familiam, miseriorem civitatem, ubi magnus fungini germinis proventus est; suâ corrumpunt, destruunt, perdunt ignavia, quidquid laboriosæ formicæ congesserunt. *Pluviales* meritò vocat Naso *fungos*; nuspiam enim copiosiùs crescunt hinc orti homines, quàm inter cyathos. Non inscitè Plautus ait, tales toto capite tegi; nam tali ex tecto quid nisi umbra proijcitur, & offusæ rationi tenebræ? Hinc Ethica monet, ut, quibus in locis luxuriat fungorum progenies, manus adhibeatur ad sarriendum, exherbandum, runcandum, vellendum, elidendum. In mentem venit, quod Joannes Chokier in thesauro Polit. lib. 5. c. 19. refert, se Lutetiæ non sine risu vidisse, desidiosa, & valida mendicabula, instar asinorum plaustris juncta ad evehendas urbis sordes.

Sic decrescunt fungi, crescunt
formicæ.

(*b*) *Homines fungino genere.*

SYMBOLVM XLII.

Cephalus uxorem Procrin imprudens occidit.

7. Metamorph.

Ethicè.

1. Zelotypia inter conjuges, quantum malum. 2. Cur in astris animalia.

CEphalus, Æoli nepos, uxorem habuit *Procrin* Erechtei Atheniensium regis filiam, quacum amantissimè vivebat, uti testatur ipse apud Poëtam:

Conjuge eram felix, felix erat illa marito,
Mutua cura duos, & amor socialis habebat:
Nec Jovis illa meos thalamos præferret amori:
Nec me, quæ caperet, non si Venus ipsa veniret,
Vlla erat: æquales urebant pectora flammæ.

Sed ô nihil tutum in rebus humanis! Contigit ut Cephalus defatigatus feris persequendis (erat enim venationi perquam deditus,) æstu, sudoréque fluens, auram refrigerandi sui causâ, aliquoties vocaret. Quod cùm quidam è famulis Procridis inaudijsset. Nympham aliquam hoc nomine vocari ratus, ad dominam verba detulit. Illa (ut res est plena suspicionis amor) verita, ne suos amores alienis posthaberet maritus, exeuntem in silvas, clàm subsequitur, & ut in furto virum deprehendat, inter fruteta se occultat. Cephalus cum agitandis feris pro more incaluisset, laboréque fessus ad virgulta se recepisset, *auramque*, ut se reficeret, iteratò invocaret; Procris suspicata, jam jam adfuturam pellicem, quò certiùs exploraret rem, erigit se, simúlque validiùs commovet frondes, sub quibus delitescebat. Ea arbusti concussione & tremore Cephalus adverso, credidit prædam venaticam id loci occultari, jaculum igitur magna vi contortum mittit in Procrin, inscius quam feriret. Labitur illa, trajecta telo, & in præsentia conjugis exhalat animam, perpetuámque infelici sagittario luctûs materiam relinquit.

Ethica.

Ethica.

I. (a) Gravis omnino morbus est, inquit Ludovicus Vives lib. 3. de anima, *Zelotypia*; gignit in animo inquietudines, noctes ac dies turbulentissimas, omnes voculas, omnes auras captat, arripit, amplificat apud se, cum iniquissima de singulis calumnia. Nascitur è suspicacibus, & facit ipsa suspicaces, atque ad peiora omnia credenda proclives: tandémque transit in odium & rabiem; unde ultiones, & violentæ non rarò mortes. Equidem nihil inter conjuges existere potest gravius, quàm mutuæ fidei diffidentia, ex qua nascitur conjugij pestis suspicio, è suspicione observatio dictorum, factorum, nutuum omnium; è dubijs falsísque signis persuasio; ex hac cædes & parricidia. Mille hujus rei documenta suppetunt. Theodosius minor Arcadij filius, Theodosij M. nepos, Eudociam Augustam conjugem ob pomum Paulino Senatori donatum, è societate tori sejunxit; Paulinum, ut quidam tradunt, eadem nocte occidit, vel in exilium deportari mandavit. S. Itta ob iniquam suspicionem, è rupe præceps in altam voraginem deturbata est Otho III. Imp. falsò delatum comitem occidit. Henricus Imp. S. Kungendis innocentiam ferro, igníque exploravit. De Ludovico V. Boiorum Duce, cognomento *Severo* supra in Tereo mentionem fecimus. Non minùs tragicum est, quod in antiqua vitæ S. Udalrici Episcopi Augustani historia legitur. Qui ad Rhenum perlatus, atque ad comitem quendam divertens, cùm assideret mensæ, ecce introducitur in triclinium miserandi vultûs femina, emaciata, pallida, ossea; de cujus collo humanum caput, ídque tabidum, catenâ revinctum pependit. Hoc tam triste mulieris spectrum, in extremo triclinij angulo cum canibus prandere atque hordeaceo pane & aqua contentum esse cogebatur, ad mortem potiùs, quàm ad famem arcendam. Quod tam miserabile spectaculum non solùm exterruit S. Antistitem, sed etiam à ferculis ad se totum rapuit, occupavítque. Quid multis? ea matrona Comitis erat uxor, iniquè adulterij damnata; caput è collo pendulum Equitis fuit, qui criminis ejusdem falsò insimulatus, occisus est. Tota probatio, suspicio fuit; nam fortè unà colloquentes viderat Comes. Qui cùm à præcepta sententia recedere nollet; denique S. Præsul ad preces confugit, & Deus per amputati capitis putrem linguam hujusmodi vocem edidit: *Ego cum hac femina non peccavi.* Absoluta criminis matrona, & pristinæ famæ, thalamóque restituta. Quidquid sit de fide hujus historiæ, quam

(a) *Zelotypia.*

Stengelius refert tom. 3. de Jud. divin. c, 34. non importuna tamen est proposito nostro. Antiquiora memorat Val. Max. lib 6. c. 3. Horridum, inquit, Caij quoque Sulpitij maritale supercilium; nam uxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognoverat. Nec aliter sensit Q. Vetustius, qui repudiavit uxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari, secretò loquentem viderat. Jungendus & his Públ. Sempronius Sophus, qui conjugem repudij nota affecit, nihil aliud, quàm se ignorante ludos ausam spectare. Hæc Valerius. In hanc severitatem & sævitiam plerumque degenerat nimius amor, & ex hoc insanus timor. Cephalus de sua Procri:

------ cuncta timemus amantes.

Et de se: ------ facies, ætásque jubebant
Credere adulterium; prohibebant credere mores,

Horum utri plus adhibendum fidei? nam juxta ICtos. *nemo præsumitur esse malus, nisi probetur.* Et quid fiet, si quem vita demonstrat probum & integrum, sola condemnet suspicio? Præsertim verò feminæ si Galeno credimus, huic obnoxiæ sunt vitio, quippe quæ imbecillioris judicij, timidæ, & ad tristia suspicanda pronæ. De femina Procridi simillima scribit P. Jacobus Bidermannus in Del. sac. lib, 3. narrat. ult. Eam juveni nobilitate, divitijs, forma, virtute præstanti nuptam, suspicionem læsæ fidei conjugalis ex eo collegisse, quòd diceretur maritus frequens Catharinam quandam in ore habere, & ad eam quotidie itare; videlicet ad ædiculam D. Catharinæ Virgini & M. sacram. Ejus dicti ambiguitas tantis intemperijs agitavit Zelotypam, ut semet ipsa transverberaret cultro. Ejusmodi conjugiorum tempestates non rarò concitantur per vetulas susurratione nimis credulas aures turbando. Fuit ex hac feminarum tribu quædam, quæ cùm in mariti libello precatorio, plerumque aperto, psalmos ei, qui de Pœnitentia inscribuntur, advertisset in usu frequentiore esse, sibi persuadens, precationes illas adulterij Davidici testes, etiam à viro suo pro formula pœnitendi usurpari; eo denique perturbationis & mœroris adducta est, ut manus sibi violentas inferret. P. Georg. Steng. de Jud. div. tom. 2. c. 36. qui pro clausula hujus narrationis addit: Quid denique securum erit inter conjuges, si pietas ipsa trahitur in adulterij suspicionem. Idem tomo 4. c. 35. horrendam historiam fusè recenset ex Petro in Catal. lib. 3. c. 56. De Juliano quodam, cognomento *Hospite*, postea sanctimoniâ claro; qui, quòd uxor se absente parentes suos, hoc est, nurus socerum & socrum,

ut

ut gratissimos hospites, & ex via fessos, amantissimè excepisset, & in maritali lectulo ambos collocâsset, conspicatus duos in toro suo cubantes, statim exclamavit: adulterium! & utrumque momentò confodit. Parricidiô deinde cognitô amarissimis infusus lacrimis ad prærupta Nili fluminis, casam piscatoriam ædificavit, & mira charitate advenas omnes excepit; donec denique ex leproso, quem hospitalissimè habuerat, subitò rosei juvenis instar refulgente, inque cœlum evanescente, intellexit, commissorum veniam datam sibi, & ipse, & conjux pia morte defuncti, ab eo sunt in astris recepti, quem quia in terris hospitem habuerunt, *Hospitum* nomen jure tulere. Rectè igitur vovet, gratulatúrque Vates Venusinus:

Felices ter & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula; nec malis
Divulsus querimonijs
Suprema citiùs solvet amor die!

II. (*b*) Occasio hîc incidit *Canis*, cui nomen *Lælaps*, quem Cephalus unà cum jaculo, cujus ictus erat inevitabilis, ab uxore Procri: hæc ab Aurora, aut, ut quidam volunt, (neque enim in fabulis certa requiritur narratio) à Minoë Cretensium rege, dono accepit; quô sese Cephalus in silvis assiduè oblectabat; nam canis

Non jaculi, non retis egens; quemcunque sagaci
Nare procul legeret, dente tenebat aprum.

Hæc denique oblectatio, uti narravimus, in tristem luctum desijt; Procris suis ipsamet muneribus miserrimè perijt; cujus fatum miseratus Jupiter, canem inter astra retulit, qui *Sirius* dicitur, ἀπὸ τῦ σείρειν, id est, à hiando, quod per æstum canes faciunt; vel ἀπὸ τῦ σειράνω, quod est, *arefacio*; hoc enim sidus circa Julias calendas exoriens omnia torret. Poëtæ, quibus libera fingendi potestas, non rarò duos cœlestes canes, Minorem seu Procyonem, de quo Symb. 10. & Majorem, seu Sirium confundunt, Ut Ovidius lib. 4. Fast.

Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tota sitit tellus, præripitúrque seges.

Sed parùm hoc refert; nos ethicam indagamus, monemúsque, inter Rivales sive viros, sive feminas (quales erant Aurora & Pocris) dona plerúmque exitialia esse. Deinde neque canem venaticum, neque jaculum pro dono vel dando vel accipiendo satis convenisse Procridi, cui colus & lana erant tractanda, arma linquenda viris. Ipsa marito causa fuit

(*b*) *Cur in astris animalia.*

sa fuit silvas impensiùs sectandi, & curas domesticas in ferarum agitationem divertendi. Tertiò, quid faciunt bruta animalia in cœlo? cur à Jove, & Dijs cæteris inserta sunt astris? ut indicetur, quale sibi cœlum fingant, qui cupiditatibus suis abrepti, in ijs felicitatem suam repositam credunt. Sic venator *Canes* etiam inter sidera suspicit; equorum studiosus, *Cyllaros* & *Pegasos* contemplatur; sectator Bacchi sua desideria ad *Amphoram* mittit; avarus, inauratos *Arietes* miratur; invidus oculos in scorpios, caudâ venenum lethale ferentes intendit; libidinosus proclives in Venerem *Tauros* considerat; iracundus flammivomos *Leones* inter astra colit; pigritiæ deditus tardigrados *Cancros* sibi objcit; mensarum assecla, in *Lepores* & *Pisces* sidereos prurit; superbus in *Capricornum*, Jovis collactaneum, hoc est, tollentem in altum cornua Caprum lumina vertit; ita nullum est Vitium, cujus in cœlo, velut in alto ferarum stabulo imago non repræsentetur, & falsa sub specie sideris, non ametur ac desideretur.

SYMBOLVM XLIII.

Dædali felix volatus, infelix Icari filij.

8. Metamorph.

Ethicè.

1. Opificum invidia mutua. 2. Ingenium vafrum. 3. Ingenium solers. 4 Parentum officia. 5. Temeritas juvenilis.

Dædalus Athenienſis, artificum omnium suæ ætatis præstantissimus, invenit primus perpendiculum, terebram, glutinum, vela, antennas, statuas, nervis & rotis occultis mobiles, quæ *automata* vocantur. Hic ex invidia *Perdicem* sororis filium, de muro arcis Athenarum deturbavit, quod is serram, circinum, tornum excogitâsset, quem Minerva ingeniorum fautrix in avem cognominem, in ipso casu suo transformavit. Quam ob causam Dædalus judicium & damnationem metuens, in insulam Cretam exulatum profugit. Hic *Labyrinthum* construxit, multiplici & intricata viarum perplexitate irremeabilem; in quo tam ipse, quàm filius Icarus à Minoë Cretensium rege fuit inclusus, eò quòd turpibus *Pasiphaës* reginæ amoribus fabricando subservijsset;

set; & *Ariadne*, Minois filia, ejus operâ Theseum è labyrintho emisisset. Cùm igitur terra, marique negatum sibi videret effugium, solus restabat aër, per quem fugam duxit esse tentandam. Simulat ergo munus se conficere velle, & opus mirabile, quô regis placare posset animum; poscit ceram & varias pennas; quibus impetratis; conficit alas & sibi, & Icaro filio: annectit eas humeris, & avium in modum libratus è Creta in insulam Sardiniam aërium carpit iter. Urbem Cumas delatus, Apollini templum erigit, grati monumentum animi. Icarus, dum spretis paternis monitis, justô altiùs evolat, cera solaribus liquefacta radijs solvitur, decidunt pennæ, & ipse delabitur in mare, cui nomen à se *Icarium* fecit.

Ethica.

I. (a) In adagijs dicitur: *Figulus figulo invidet, faber fabro.* Artificij enim similitudo magis æmulationem, quàm benevolentiam conciliat. Hesiodus canit:

Καὶ κεραμεῖ κεραμεὺς κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτώχῳ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Odit námque faber fabrum, figulúsque molestus
Est figulo: mendico protinus invidet alter
Mendicus: cantor cantorem lividus odit.

Ussit invidentia Dædalum, & incendit adeò; ut adolescentem ingeniosum, propinquo junctum sanguine, in disciplinam sibi à sorore traditum, ob industriam & solertiam mentis, præcipitârit ex alto; & mentitus sit insuper, eum lapsum fortuito casui deberi. An non profectus discipuli cedebat in laudem magistri? sed invidia cæcutit ad honesta, quamcunque sit oculata in rebus alterius reprehensioni subjectis. Neque rarum est, ut discipuli laborent ingrati animi vitio; magistri verò livoris afflentur veneno; quiritantur scilicet si oleum perdant & operam in stupidis & bardis instruendis capitibus; irritantur, si nanciscantur ingenia suismet feliciora, & artis dubiam factura palmam; timent, ne *discipulus supra magistrum.*

II. De Perdice Ovidius:

----- at illum
Quæ favet ingenijs, excepit Pallas, avémque
Reddidit, & medio velavit in aëre pennis;

(a) *Opificum invidia mutua.*

Sed vigor ingenij quondam velocis, in alas,
Inque pedes abijt, nomen quod & antè, remansit.

Quid sibi hoc: *ingenium in alas abijt?* In Pegaso jam diximus, illum ad musas non esse natum, quem deficit celeritas inveniendi. Si elaboraturo poëma: Si texturo orationem Rhetoricam: si dicturo ad populum, stillatim tantùm labuntur in mentem verba, non habet is quod metuat, ne obruatur eloquentiæ flumine. Neque Dædalum aget, vel nepotem Dædali, si laboriosè quidem tundat incudem, nihil tamen nisi lentè extundat. Ingenium *Perdix*, etiam avis factus, retinuit, sed in alis duntaxat, quibus nequitiam suam texit. (*b*) Apud Pierium lib. 24. Perdix, *astutiæ pravæ* hieroglyphicum est. Quid enim? ex alto præceps actus, mutatur in avem sui nominis; quâ quid astutius & nequius? homines, inquit Pierius, improbi cùm à Sapientiæ (scilicet Athenarum) arce decideriint, à rectis honestisque studijs alieni facti, tametsi astutia freti aliqua, suis in rebus excellere videantur, hisque tractandis super alios attolli, sordidis tamen rebus impliciti, nihil sublime sapiunt, sed perdicum instar humi volitantes, dolis & fraudibus subnixi, rem quocunque modo studeant facere; quibus ars est vaferrima ad elabendum, capturámque declinandam, quod Græci dicunt ἐκπερδίζειν, *perdicum more se extricare.*

III. (*c*) Meritò celebratur ab omnibus artificium Dædali; quid enim ingeniosius?

------ geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motáque pependit in aura.

Verè Poëta:

------ grande doloris
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.

Quid ars possit & ingenium, atque depromptum ab utroque consilium Dædalus verbis ostendit & factis.

------- Terras licet, inquit, & undas
Obstruat; at cœlum certè patet, ibimus illàc;
Omnia possideat, non possidet æthera Minos:
Dixit: & ignotas animum divertit in artes,
Naturámque novat;

Dum ex homine efficit volucrem. Tanta vis inest menti, celeres habenti motus; nullis claudi potest repagulis; altiùs evolat, & super obstantes difficultates eluctatur. De hac Ovidius lib. 4. Trist.

Sola

(*b*) *Ingenium vafrum.* (*c*) *Ingenium solers.*

Sola nec insidias inter, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, barbariémque timet,

Et lib. 3. Eleg. 7.

En ego cùm patria caream, vobísque, domóque,
Raptaque sint, adimi quæ potuere mihi.
Ingenio tamen ipse meo comitórque, fruórque:
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

Quantò viribus prævaleat ingenium, apologus docet. Leo comprehensus laqueo, totis viribus vincula disrumpere conabatur; quò autem majore conatu restim trahebat, hòc arctiùs implicabatur. Vulpes illac iter habens, cùm hoc esset intuita: Non viribus, inquit, mi rex, istinc evades, sed ingenio. Relaxandus est laqueus & dissolvendus, non trahendus. Quod cùm leo fecisset, soluto nexu liber evasit. Et solertia quid valeat, videmus in sciuro, quantillo animalculo, cui cauda petasi instar, est in sole pro umbraculo: in transiliendis arboribus pro ala: in tranandis, dum cortici insistit, aquis pro velo. In proverbium abijt: *Dædali alæ.* cùm quis urgente necessitate ad subita confugit consilia,

IV. (*d*) Monitis suis Dædalus partes omnes boni parentis explevit. Audiamus Nasonem:

Instruit & natum; medióque ut limite curras,
Icare, ait, moneo: ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat:
Inter utrumque vola.

Et 2. de arte.

Nam sive ætherias vicino Sole per auras
Ibimus, impatiens cera caloris erit.
Sive humiles propiore freto jactabimus alas,
Mobilis æquoreis penna madescit aquis.

Pari ratione Phaëtontem suum Phœbus monuit lib. 2. Metam.

Altiùs egressus cœlestia signa cremabis,
Inferius terras: *medio tutissimus ibis.*

Itaque primò observandum erat Icaro: *inter utrumque vola.* Hoc est. *Medium tene.* Horat. lib. 2. Carm. Od. 10. Auream vocat mediocritatem, & monet:

Rectiùs vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas

(*d*) *Parentum officia.*

Cautus horreſcis, nimiùm premendo
Littus iniquum.

Idem lib. 1. ſerm. Sat. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citráque nequit conſiſtere rectum.

Et lib. 1. epiſtol. 18.

Virtus eſt medium vitiorum, & utrinque reductum Solonis nobile dictum celebratur: Μηδὲν ἄγαν. *ne quid nimis*, & Cleobuli: μέτρον ἄριστον, *modus eſt optimus.*

Alterum paternum Dædali monitum: *Me duce carpe viam.* Et de arte:

Me pennis ſectare datis: ego prævius ibo:
Sit tibi cura ſequi; me duce tutus eris.

Nempe parentum exempla, ſunt optimi filiorum magiſtri. Rationem educandæ prolis ab animalibus brutis docet, proponítque S. Ambroſius. Primò, inquit lib. 1. hexam. c. 18. accipitres pullos ſuos nidis ejiciunt, ac, ſi morentur, propulſant pennis, atque præcipitant, verberant alis, cogunt audere quod trepidant, nec ullum poſtea deferunt his munus alimoniæ. Rationem ſubdit: à tenero pullos ſuos inſtituere videntur ad prædam, quia prædando vivere debent; cavent, ne pigreſcant in ætate tenera, ne ſolvantur deliciis, ne marceſcant otio, ne diſcant cibum magis exſpectare, quàm quærere. Idem c. 17. hirundines adducit, quæ pullos cæcutientes ſuâ norunt oculare chelidoniâ, ut Tertullianus loquitur. Et lib. 4. c. 6. urſas proponit, quæ fœtus informes tamdiu lambunt, donec eos ad ſui ſimilitudinem efforment. Et aquila plumeſcentes pullos alis verberat, exemplóque ſuo provocat ad volandum. Ita facit DEUS ipſe, Deut. 32. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum* (populum Iſraëliticum) *atque portavit in humeris ſuis.* Quod imitentur parentes, probitate vitæ liberos ſuos in ſequelam trahentes. Aquilæ pullos ſuos ad ſolem explorare feruntur, nidóque proturbare, tanquam illegitimos, qui nictantibus hunc oculis intuentur. Ita probandi filii, & primis ab annis inſtruendi ad Solem illum æternum cognoſcendum, amandum, colendum. Regulus ſeu trochilus avicularum minima, cùm ſuis viribus altiùs eniti in cælum non queat, ſuper aquilæ pennas ſe recipit, & ſic plumeo quaſi eſſedo in ſublime fertur. Faciendum hoc parentibus; tenella proles præmiolis ad pietatem & mores bonos invitanda, ſic quaſi molliore via paulatim ad virtutis ardua ſub-

subvehenda. Documentum educandæ juventutis etiam cervæ edunt, quæ partus à se editos exercent cursu, fugámque meditari docent, ad prærupta ducunt, saltum demonstrant, ait Plinius lib. 8. c. 32. Philomelæ, quod Aristoteles scribit lib. 4. hist. animal. c. 9. præcinunt pullis, eósque docent modulos, quos imitentur. Monitum est Siracidis c. 30. *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Hoc est, operam omnem illi rectè instituendo nava, ne impingas & confundaris eius dedecore ac infamia, quam incurres cum ipso ob licentiam pravam vivendi. Legitur inter fabulas Æsopicas, seniori cancro filios suos ob gressum obliquum increpanti, respondisse illos, priùs ut ipse rectà incederet, tum se præeuntem secuturos; Quod cùm frustra conaretur, nihil aliud, quàm risum juniorum retulisse. Usque adeo parentes oportet esse duces filiorum bonos, & illius meminisse, quod Dædalus inculcavit filio: *Me duce carpe viam.*

Tertiò apparet in Dædalo sollicitudo magna, metúsque, ne filius insuper habita admonitione paterna, volatu temerario feratur. Ovidius:

------ ignotas humeris accommodat alas,
Inter opus, monitúsque genæ maduere seniles,
Et patriæ tremuere manus: dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo, pennísque levatis
Antevolat, comitíque timet.

Et alibi idem Poëta:

Et movet ipse suas, & nati respicit alas
Dædalus, & cursus sustinet usque suos.

Præsagiebat jam tum optimus senex ruinam filii, fidentioris æquò, & volandi avidioris. Vultus ipse pueri, notas præferebat audaciæ nimiæ. Neque difficile est, levitatis & petulantiæ indicia primis in herbis pueritiæ deprehendere, & ex unguiculis ungues colligere. Urit maturè urtica; in calyce se rosa prodit. Ovidius canit:

Ingenium cæleste suis velociùs annis
Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Juxta Sapientes, imago cordis est vultus: oculi sunt speculum mentis; vox quædam animi, corporis est motus. Seneca in Thyeste;

------- tacita tam rudibus fides
Non est in annis.

Prodit se natura in pueris, nondum per fraudes simulare docta. *Ex studiis*, inquit Sacer parœmiastes c. 20. *Suis intelligitur puer, si munda & recta*

recta sint opera eius. Non desunt tamen, quorum malitia superat ætatem: quique fronte, oculis, vultu mentiri didicerunt, à sanguine patris tradu-ce, à lacte matris bibito, à malorum consortio. Non frustra Dædalo *gena maduere seniles*, nam ex vultu Icari apparebat juvenilis ferocitas, & quæ-dam ad audendum projectio.

V. (e) Icarus paradigma est temeritatis & levitatis juvenilis. Poëta depingit eam:

Cùm puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deservítque ducem, cœlíque cupidine tactus
Altiùs egit iter. Rapidi vicinia Solis
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras;
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigióque carens, non ullas percipit auras:
Oráque cæruleâ patrium clamantia nomen
Excipiuntur aquâ, quæ nomen traxit ab illo.

Sic cadunt, quicunque temerariè nituntur in altum, & volant *pennis non homini datis*: ut loquitur Horatius lib. 1. Od. 3. Præfidens Icari levitas, speculum est juvenum, de quibus idem Poëta in arte Poëtica.

Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúsque, & amata relinquere pernix.

Idem ibidem de puerili genio:

------ gestit paribus colludere, & iram
Colligit, & ponit temerè & mutatur in horas.

Hebræi Ecclesiastici c. 30. cautio est; *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus* (Græcè ἀνειμένος, id est, *sibi relictus*, carens fœno disci-plinæ, dissolutus) *evadet præceps.* Quod Seneca dixit in Troiade.

Juvenile vitium, est regere non posse impetum.

Id veteres alia imagine figurarunt. Exprimebant adolescentem nudum, velo quodam obductos oculos habentem, cuius dextra post ter-gum erat vincta; læva soluta; hunc insequebatur *Tempus*, multas occa-siones subministrans. Singulis verò diebus filum unum de velo, quo facies illius operiebatur, detrahebat. 1. *Nudus* adolescens significat, æta-tem illam judicio & ratione carere, déque malis, quæ gessit, gloriari; tan-tùm abest, ut erubescat. 2. *Clausos* habet oculos, quia tanquam cæcus

(e) *Temeritas juvenilis.*

cæcus fertur in vitia præceps, alium non habens ductorem, quàm pravos affectus suos. 3. Dextram habet *ligatam*, sinistram *solutam*, quia nihil dextrè & consideratè agit, sed omnia sinistrè, perturbatè, prout affectus dictat. 4. Hunc persequitur *Tempus*; nam fugiunt anni, & accelerant mortem, serò pristinos dies optanti. 5. Quotidie *filum* unum de velo detrahitur, quia vita per singulos dies minuitur, & infructuosa docet experientia, retro esse Occasionem *calvam*, antrorsum *capillatam*; hîc apprehendendam esse. Expertus est Icarus exitio suo, quid sit parentum monita, quid seniorum consilia spernere; spiritus elatos sequi, & sine duce, in media se pericula inferre, mentis præcipiti ac ferociente impetu, & casuum instantium improvido. Genus, opes, potentia, forma, vires, quid sunt aliud, quàm pennæ ex cera factæ, leviſſimo momento dissolvendæ? Has inflant assentantium voces: *euge! belle!* σοφῶς! Juvenis es, dives es, gratiosus es, Fortunæ pullus es; quin audes aliquid ætate, indole, libertate tua dignum? procurre de carceribus, in quibus adhuc parentum te severitas constrinxit? utere donis tibi á Natura, & meliore Sorte concessis. En flabra, en alas, quas affingunt & affigunt incauto pravi Socieni; quibus dum se vecors permittit animus, tantò profundiùs descendit ad inferos, quantò sublimiùs fictitiis alis evolasse sibi videbatur. Plenæ sunt historiæ hujusmodi *Icaris*, serò nimis opem clamantibus, & temeritatem suam damnantibus; seri gemitus, sera suspiria, cùm *ora cæruleâ excipiuntur aquâ*.

Atque ut Icarus est symbolum adolescentis stolidi & vecordis: ita Dædalus imago viri sapientis est, qui ex *Labyrintho*, è negotiis, inquam, impeditissimis, *labore & constantiâ*, quod Lipsii fuit Symbolum; *ingenio & industria, pietate & doctrinâ* geminas sibi comparat alas, quibus è maximarum difficultatum perplexitate sese explicat, & supra hominum, eventus admirantium, consilia non capientium, opiniones ac judicia sublimis fertur.

SYM-

SYMBOLVM XLIV.

Meleagri torris Fatalis, & sororum in gallinas transmuratio.

8. Metamorph.

Ethicè.

1. Neglectus religionis. 2. Concordia Principum. 3. Æmulatio stolida. 4. Rivales feminarum. 5. Sagarum maleficia. 6. Incantamenta luxuriæ. 7. Vita hominis, lampas.

OEneus Calydoniæ, urbis Ætoliæ, rex, cùm felici rerum successu, atque fructuum feraci anno, Dijs cæteris primitias frugum obtulisset, solam Dianam neglexit. Indignata Dea, aprum immisit horrendæ magnitudinis, Calydoniæ regionis vastatorem. Non tulit ulteriùs bestiæ furorem, & vastitatem patriæ *Meleager*, Oenei filius, juvenis fortissimus; convocat totius juventutem Græciæ, & inter alios, Theseum quoque, de quò superiùs; lectissimi roboris omnes, & manu promptissimos. Constituto tempore aggrediuntur belluam; quæ qualis fuerit, indicat Poëta:

Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix,
Et setæ densis similes hastilibus horrent:
Stántque velut vallum, velut alta hastilia, setæ.
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit, dentes æquantur dentibus Indis;
Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus arent:
Et modò crescentes segetes proculcat in herba,
Nunc matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in spicis intercipit: area frustra,
Et frustra exspectant promissas horrea messes;
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus,
Baccáque cum ramis semper frondentis olivæ.
Sævit & in pecudes: non has pastórve, canísve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.

Diffugiunt

Diffugiunt populi, nec ſeſe in mœnibus urbis
Eſſe putant tutos.

Quid atrocius hoc apro?

------ excitus medios violentus in hoſtes
Fertur, ut excuſſis eliſus nubibus ignis.
Sternitur incurſu nemus, & propulſa fragorem
Silva dat, exclamant juvenes, protentáque forti
Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro.
Ille ruit, ſpargítque canes, ut quiſque furenti
Obſtat, & obliquo latrantes diſſipat ictu.

Poſt multa cum fera terribili certamina, nec paucis ab ea dilaceratis, Meleager venabulum in armos adegit, belluam ſtravit, impoſito pede caput exitiabile preſſit. Quia verò *Atalanta* virgo, fortitudine nihil cedens viris (fuit hæc *Iaſij* Arcadis, non *Schœnei* in inſula Scyro regnantis, filia, id quod perperàm intruſum eſt Ovidio) beſtiam ſagittâ jam ante jcerat, & quaſi auſpicium victoriæ præmiſerat, Meleager captus amore & admiratione viraginis, exuvias ei & caput feræ, quod jure venatorio, ſibi debebatur, obtulit. In ea re, aliorum ſtudium, aliorum indignatio (ut invidia ſemper comes eſt fortunæ) eminuit; præſertim in *Plexippo* & *Toxeo*, fratribus Althææ, matris Meleagri, acerbè ferentibus, tanti diſcriminis, per omnem Græciam celeberrimi palmam, ad mulierculam deveniſſe, poſthabitis tot viris fortibus, & tam ſtrenuè pugnantibus. Igitur amplius aliquid ſibi licere rati, quòd avunculi juvenis eſſent, aggrediuntur puellam, tanquam vindices rapti honoris, extorquent ei decus honorarium. Invocatus Meleager advolat, injuriam ab Atalanta prohibet, utrumque ferro conficit. Althæa ſoror, Meleagri mater, ubi vidit fratrum cadavera in ſanguine ſuo natantium, oblita pietatis maternæ, ultionem de fratribus parat. Poſt brevem deliberationem, fatalem profert ſtipitem, quo Meleagri ſalus & vita juxta Parcarum decretum, continebatur, ita quidem, ut cum ligno in cinerem redacto, etiam Meleager futurus eſſet cinis & pulvis. Ardebat igne ſtipes, matris manu injectus foco; ſimúlque Meleager viſcera arcano quodam æſtu ſenſit torreri & conſumi; nec latuit cauſa mortis, quam lentam, & denſos inter gemitus oppetijt, ſorores ejus, luctûs & amoris impatientiâ cùm à ſepulchro, cineribúſque fraternis avelli non poſſent, in volucres Meleagrides, ſeu Africanas gallinas, mutatæ, tandem avolarunt.

Ethica.

Jam quæ ad vitæ præcepta, & morum informationem pertineant, diſpiciamus. I. (*a*) Cauſa immiſſi in Ætoliam vaſtatoris apri, neglectus fuit religionis, & cultûs Dianæ, illorum temporum ſuperſtitione celebratæ. Ex religione contempta, ait Mythologus, publicæ contingunt calamitates, agrorum ſterilitas, animalium peſtilentia, noxiarum incurſus beſtiarum, cæteráque mala urbes & provincias peſſundantia. Horatius canit Ode 6. lib. 3.

Dij multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

II. (*b*) In conjunctione virium, potiſſimorum Græciæ heroum, elegans concordiæ ſchema nobis repræſentatur. Quod ſi viri illi fortiſſimi, unius rogatu & invitamento Meleagri, conſilia, viréſque ſuas contulerunt, ad aprum, Calydoniæ regioni infeſtum exterminandum; quid par eſt facere Chriſtianos Principes, ad Belluam illam, Turcam intelligo, à finibus ſuis propulſandam, pleráſque partes orbis jam dudum fulmineis dentibus, formidandis exercitibus, ferro, flammáque, terra, maríque vaſtantem?

III. (*c*) Meleager avunculos trucidans, pingit ob oculos hominem impotenter abutentem felici victoriæ ſucceſſu. Sic Alexander Macedo, poſtquam vino & victorijs inebriatus, ſeipſum noſſe deſijt, levibus de cauſis amicorum primos ſuſtulit. Neque moderatiùs uſus eſt victoria Horatius de Curiatijs tergeminis relata, qui ſororem, interitum ſponſi, pro muliebri conſuetudine plangentem, ſua manu interfecit. Omnia ſibi licere putant, qui egregio aliquo facinore devinxerunt multitudinem. Contra Sapientes ſuadent, non inſoleſcendum rebus ſecundis & in proſperitate metuenda adverſa; homini privato non *viribus*, ſed *juribus* vindicandas injurias. Sed & Plexippus ac Toxeus præfervido calore impotentiùs exarſerunt, dum invidiâ cum femina certârunt. Quid enim? tulerit munus illud Atalanta; prærogativa fuit non honoris, ſed amoris. Et quid potuit minùs facere Meleager, ſi quidem decorum ſequi voluit, quàm venatrici tam nobili, aprum telo ſaucianti; molliorem affectum demonſtrare? Feminea in laude non minuebatur virorum gloria, & penes victorem erat, quem vellet in communionem honoris ac prædæ admittere. Multa dantur infirmiori ſexui, quæ ſi quis ipſi invideat, parùm ſe fortem probat, & prudentem. Indulgentia

(*a*) *Neglectus religionis.* (*b*) *Concordia Principum.* (*c*) *Æmulatio ſtolida.*

tia est, non injuria, si plusculum quid feminis permittitur & defertur; Nescit, quid decus sit, qui dedecus, ex æmulatione cum tunicata hac gente, accepisse se putat.

IV. (d) Gloriam virtutis suæ Meleager Atalantæ transcripsit, & rivales concitavit. Mira res! quòd viri suos triumphos in mulierculas referant, & trophæa ex arundine suspendant. Et quid aliud eveniat inde, quàm ut illæ caligatæ, gladiatæ, galeatæ, cristatæ incedant? Quid feminæ cum aprorum exuvijs? Hoc est, quod sexum hunc ferocem reddit; quod Atalantas in tumorem dat, & vultus, ne Herculi quidem sustinendos, tunc præsertim, cùm Deianiræ, colum ducere cœpit. Et quoties pro formosiore paulò juvencula rivalium concurrunt gladij in pugnas, vulnera, cædes. Pudendum, quòd etiam heroës, qualis Meleager fuit, in hanc servitutem degenerent! Pro *Briseide*, Lymessia puella captiva, quantas inimicitias susceperunt Achilles & Agamemnon? Pro *Lavinia*, Latini regis filia, quas strages ediderunt Turnus & Æneas? Meleagrum, si verum fateri velimus, non tam fatalis Parcarum torris igne crematus, quàm ardentior in Atalantam amor conbussit.

V. (e) Althæâ, quid magis impium? ut fratres ulciscceretur, suum ipsa filium perdidit. Deinde saga fuit, magicis artibus in proprium sanguinem grassata. Tertiò, cùm ignis igne fuisset plectendus, & venefica rogo comburenda, prævénit carnificem, & violentas sibi manus intulit:

Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit pœnas, acto per viscera ferro.

VI. (f) Althææ Meleagrum parienti apparuerunt in regia *Parcæ*, quæ fata infantis ita ediderunt. *Clotho* dixit, eum *generosum* futurum: *Lachesis fortem*; *Atropos* titionem ardentem aspexit in foco, & ait: *Tamdiu hic vivet, quamdiu titio hic non fuerit consumptus.* Hoc Althæa mater auditô, exilijt de lecto, atque titionem extinxit, eúmque in medio regiæ loco, obruit terrâ, ne ab igne invadcretur. Eum deinde torrem ob fratres interfectos protraxit, igni imposuit, & cum conflagrante, vitam filij extinxit. Hoc solent devotæ Tartaro Canidiæ; sigillis cereis, laneis, cretaceis, luteis exercent veneficia, Ita pharmaceutria apud Maronem eclog. 8. loquitur, & agit:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Uno, eodémque igni: sic noster Daphnis amore.

(d) *Rivales feminarum.* (e) *Sagarum malitia.* (f) *Incantamenta luxuria.*

De lanea & cerea effigie Horatius lib. 1. Sat. 8. & constat experientiâ, occultis flammis è Stygio rogo raptis non rarò vetitos amores per striges accendi, maléque corpora, animósque depasci. Maro loc. cit.

Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.

Cave, quisquis amas & ardes; fatalem in te geris foculum, cujus fomes sunt aures & oculi, flabellum lingua, titiones, impuri tactus, prunæ incauta conversatio, ignis libido, cinis perditio. Venus ut pestilentiùs urat, adjutores adhibet ciniflones Acheronticos, lenones & lenas, magos & sagas, qui primos nocendi aditus aperiunt per incantamenta, illis maximè timenda, quorum fœda cupiditas etiam per superstitiones ad desideratæ voluptatis flagitium tendit.

VII. (g) Si tamen à Poëticis figmentis, lubet fatalem Meleagri torrem ad naturam, & mores inde deductos transferre, negari non potest, vitam nostram igni similem, paulatim consumi & extingui. *Lucerna Domini spiraculum hominis*, ait in Proverbiis Salomon c. 20. Id est, spiritus vitalis, seu vita hominis, quasi lumen aut radius ab æterno illo Sole derivatur & dimanat. Et sicut lucerna alitur oleo & aëre, eóque deficiente extinguitur; sic vita conservatur *humido*, quod vocant, *radicali*, & spiritu, sive halitu, quo deficiente deficit & emoritur. Rursus quemadmodum lucerna una accendit aliàm, sibi vicinam; sic pater vitam suam communicat cum filio. Unde Plato lib. 6. de legib. *Gignentes*, inquit, *& alentes liberos, vitam tanquam lampada tradunt aliis alii.* Hinc sponsis olim in nuptiis accensæ tædæ præferri solitæ, significabant, lumen vitæ prolibus gignendis impertiendum. Inde Prometheus ignem è cælo furatus, eúmque corporibus seu statuis à se factis, indidisse, & illas animâsse fingitur. Atque hanc lucernam immaturè sæpius extingunt cùm filii, temulentiâ, incontinentiâ, iracundiâ, contumaciâ in progenitores, cæterisque adolescentiæ vitiis abrumpentes annos vitæ; tum etiam parentes, *quorum iniquitatem Deus reddit super filios, in tertiam & quartam generationem Deut. 5. Præsertim imprecationes matrum, juxta illud. Ecclesiastici c. 3. Benedictio patris firmat domos: maledictio autem matris eradicat fundamenta*, id est, sobolem ac familiam, eiúsque opes & honores diris devotionibus delet, & instar facis aut titionis extinguit, quod Althæa Meleagro fecit.

(g) *Vita hominis, lampas.*

SYM-

SYMBOLVM XLV.

Nisus Rex in avem haliætum: Scylla filia patiter in citin volucrem vertitur.

8. Metamorph.

Ethicè.

1. Mulieri secretum non committendum. 2. Proditionis detestatio.

REx oppidi Megaræ & vicinæ regiunculæ erat *Nisus* opibus & civitate abs se exstructa, *Nisæáque* appellatâ, sat felix, si *Scyllam* filiam non habuisset. Cùm enim *Minos* Jovis & Europæ filius, Cretæ Rex, Athenienſibus ob filii *Androgeo* necem (de quo in Theseo egimus) bellum inferret, antequam ipsam urbem *Atticam* obsideret, statuit vicina expugnare oppida, initiô à Megarensibus factô. Quam civitatem cùm Minos arcta obsidione premeret, vix tamen spes esset illius potiundæ, evénit, ut Scylla, *Nisi* regis filia, curiositate speculandi exercitûs, Cretici, prælatam murorum turrim conscenderet, ipsúmque regem Minoëm mœnibus obequitantem contemplaretur accuratiùs, quàm egregiè pudicam deceret. Cúmque hoc faceret frequentiùs, ex fumo, ut dicitur, in flammam, ex aspectu in amorem incidit. Et mox exarsit adeò, ut ad viam cupiditatibus suis muniendam, constituerit patriam hosti prodere. Cæterùm non ignara, purpureo Nisi parentis *crine* Patriæ fatum, & totius civitatis salutem contineri, quæ capi minimè possit, illo non resectô; de nocte patrem non observata aggreditur, dormienti crinem fatalem abscindit, & cum præda per medios hostes ad regem tendit, habere se, quæ ad magnam ipsius felicitatem pertineant. Benignè admittitur, illecebras orditur à salutatione blandissima, causam accessûs exponit, simúlque crinem, & cum eo civitatem, capútque parentis prodit. Minos, qua erat mentis generositate, mulieris improbitatem aversatur, parùm sibi decorum existimans, hostile oppidum non vi, sed proditione muliebri capere, qui in armis & virtute omnia ponebat; jubet ex oculis facessere flagitium, additis diris in caput scelestum execrationibus. Neque segniùs instituti belli rationes persequitur; donec oppido tandem, arcéque potitus, sui juris utrumque fecit, legibúsque captivæ civitati impositis, retro in Cretam vela vertit. Scylla se

se desertam, contemptámque videns, & omnibus insuper exosam, amissâ patriâ, calcato omni decore ac honestate, profligatâ pudicitiâ, eò demum redacta est insaniæ, ut victoris classem secutura, sese in mare præcipitem daret. Quam inter undas fluctuantem, & jam carinarum extremam prensantem, conspicatus Nisus pater, qui paulò antè mutatus fuerat, in haliæëtum (ex genere aquilarum vel accipitrum, vulgò *falconem*) aduncis impetit unguibus, iratóque rostro. Scylla metuens sibi ab infestante volucre, retrahit manus à navigio, & aura sublevante, subitas induit plumas, inque avem, *cirin* nomine (ἀπὸ τῦ κείρειν, à *tondendo* appellatam) transformatur, quam quidam *alaudam* seu *cassitam* esse arbitrantur, quòd comam acuminatam velut galeata in capite gerat, patri scilicet desectam.

Ethica.

I. (*a*) Primum documentum. Purpureus atque fatalis *Nisi* crinis significat, arcana regum & sanctiora consilia non evulganda, præsertim feminis. Etiam Samson in crinibus vires, oculos, libertatem, vitam habebat, sed omnia perdidit, quia secretum suum auribus Dalilæ commisit. Pulcherrimorum consiliorum frustrationes, & fœdi rerum exitus secretorum evulgationi adscribendi sunt. Infirmiori sexui si quid arcani credas, id in vas pertusum te immisisse putes, per mille rimas effluet. Admiranda fuit in Papyrio, puero etiamnum prætextato, taciturnitatis observatio; qui etiam matrem sollicitantem, quid in Senatu fuisset actum (nam ei in curiam cum parente intrare licebat) rara silentii fide in ætate tam tenera, decretorum ignaram esse voluit, uti scribit Gellius lib. 1. c. 23. Taciturnitas, inquit Scribanius c. 15. in Politico-Christiano, est optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum. Arcana consilia PP. Conscriptorum Romæ multis annis nemo senator evulgavit. At nescio quomodo his moribus, aut nocturnæ uxorum blanditiæ, aut imprudens filiorum ac parentum amor, aut amicitiæ necessitudo, aut domesticorum fiducia, occultanda extorqueant. Idem cap. 27. Jam in servorum multitudine magna atria observantium, quis celet omnia? & quod secretum speres mulieri creditum? nullis propè tenetur secreti legibus mulier: prærogativa huius sexus est, nunquam, nusquam silere. Vulgari amat, & ut videri, sic audiri; & secretissimum suum inimicæ aperiet, si desit amica, si socia, si consubernalis, quæ nunquam mulieri defuit. Quid? quòd voluptatis suæ, adeóque & libertatis magnam partem putet, si quod concreditum ipsi, ingenuæ

(*a*) *Mulieri secretum non committendum.*

genua quadam libertate in amicæ profundat sinum. Et certè, quisquis rem mulieri commisit, vulgari voluit; nec certior alia evulgandi ratio, quàm vel unius plerumque mulieris fidei rem committere, maximè si secretum pactus fueris: quò enim & tu sanctiùs imperaveris, & sanctiùs illa spoponderit, hoc avidiùs in narrationem properabit; imò & provolabit. Neque enim satis illi iviſſe est, volare vult. Alas addidit narrandi concredita desiderium. Addidit & timor: vereri enim credas disrumpendam, si diutiùs hoc è recenti torculari mustum pectoribus stringat. Ne mirere: servitutis enim quoddam genus esse putat, non posse loqui; libertatis, posse. Et quis vir hic accuset mulierem? si silere ipse non potuit, cur secretum à muliere sperat? in criminis paritate, nonne maius primum manet auctorem? vult secretum suum vir? imperet linguæ: laxavit? ne damnet mulierem, cuius omnis sapientia in ore est. Hæc vir ille doctissimus. Magno suô malo Nisus didicit, purpureum feminæ, & quidem puellæ se crinem detexisse. Rex fuit; diademate caput cinxit; regnum ipsum eâ fasciâ protexisset, Si capillos eâ involvere cautiùs voluisset.

II. (*b*) Minos insignem justitiam, etiam inferorum judex constitutus, animi sui generositatem & celsitudinem hîc quoque luculenter exeruit; nam perfidiam feminæ dum abominatur, virum se ostendit fortem, & imperatorem strenuum. Non fraude, nec proditionibus oppugnandus est hostis, sed armis & virtute. Alexander certè magnus tantùm abfuit ab his fallendi artibus, ut Ducibus suis dicentibus, Persas intempesta nocte apprimendos videri, responderit, latrunculorum & furum istam esse solertiam; sibi gloriam in consilio habenti, Darium palàm luce aggredi certum esse. Curt. lib. 4. Egregium facinus M. Furii Camilli describit Livius Dec. 1. lib. 5. Ad quem Falerios urbem obsidentem pædagogus (seu ludimagister) optimatum filios ludibundos in castra perduxerat, ut civitatem Camillo proderet. At is denudatum proditorem, vinctis post tergum manibus, pueris verberandum, & Falerios reducendum tradidit; eáque humanitate & fide Falisscorum omnium animos, & ipsam etiam urbem deditione occupavit. Sic Timocharem Pyrrhi Epirotarum regis medicum, proditorem, Fabritius consul respuit, cum dicto: Urbem à filio Martis conditam, armis bella, non veneno gerere. Valer. Max. lib. 6. de Justit. & Tiberius Imp. Catto cuidam Ariminum, præcipuum Germanorum decus & Ducem, promittenti veneno necaturum, respondit: non fraude, nec occultis insidijs, sed palàm & armatum populum Rom. hostes suos ulcisci solere. Tacit lib. 2. annal. Rectissimè Curtius lib. 5. Falli eos vehementer,

(*b*) *Perfidiæ ac proditionis detestatio.*

ter, *qui proditionis præmia sperent, aut exspectent.* Nam etsi vulgò dicitur: proditionem ab hostibus amari; proditores non laudari; Minos tamen justissimus neutrum probavit. Nota est historia de *Tarpeia*, virgine Romana, quæ Sabinis hostibus Capitolium, arcem Romanam, prodidit, præmium pacta quidquid siniſtris manibus haberent: aureas verò tunc armillas brachijs gestabant. Accepti in arcem, in sceleris mercedem, pro aureis donis clypeos, quos lævâ ferebant, certatim in eam conjecerunt, & necarunt. Livius. Ita contigit *Scyllæ*, quæ ut Pausanias refert in Corinthiacis, navi secuta Minoëm pro regij matrimonij societate, turpem ac infelicem, séque dignum vitæ exitum invenit; quippe jussu regis præcipitata in undas, fluctibúsque in littus expulsa, expers sepulturæ, pabulum obscœnis alitibus jacuit; inde fabulæ data occasio pennas ei & volatum affingenti.

SYMBOLVM XLVI.

Paupertas hospitalis Philemonis & Baucidis, conjugum.

8. Metamorph.

Ethicè.

1. Philemon & Baucis multarum virtutum exemplum. 2. Paupertas, probitatis magistra. 3. Paupertas læta. 4. Paupertas liberalis. 5. Remuneratio paupertatis beneficæ.

FOrtè Jupiter comitante Mercurio, humana sub specie, terrarum peragrabat orbem; delatúsque in quoddam Phrygiæ oppidum, pernoctandi & hospitandi gratiam ab incolis rogabat. Excluſi sunt undique. Denique à *Philemone* & *Baucide*, grandævis simul ac pauperculis conjugibus, in agresti quadam casa, & tenui apparatu, neque enim aliter res ferebat domestica, excipiuntur. Anserem illi habebant unicum, & hunc ipsum hospitibus mactare parabant, nisi is volatu tardas ætate effugisset manus, præsidiúmque apud Deos reperisset. Delectati tanta facilitate Divi, ut non immemores officij, sic neque injuriarum sese ostenderunt esse. Jubent in vicinum montem ascendere hospitatores suos,

& ibi

& ibi rei novæ eventum operiri; viam præeunt Dij. Pœnè evaſerant in ſummum, cùm vident totum oppidum aquarum multitudine obrutum, & omnia in lacum verſa, & ſubmerſa; ſola reſtabat domuncula, quam incoluerant. Hanc dum triſtes, & attoniti de civium ſuorum interitu, circumſpiciendo requirunt, ecce tibi! agnoſcunt eam ſubitò in elegantiſſimum, atque edito loco conſtitutum templum mutatam eſſe. Facultate à Dijs quidlibet optandi oblatâ, id unum expetierunt votis, ædis ut illius ſacræ præſtites uterque eſſet, nec alter alterius morti ſuperſtes, tumulare neceſſe haberet conjugem. Annuit optatis Jupiter, fecítque, ut poſt decurſum fatalis ævi ſpatium, Philemon quidem in *ilicem*, Baucis in *tiliam* converteretur, perpetuóque virerent ante fores templi, ſertis deinceps & corollis ab incolis, adveníſque colendi.

Ethica.

I. (*a*) Poëtarum fabulas non paucas è ſacris fontibus derivatas eſſe ac depravatas, oſtendunt Euſebius, Clemens, Joſephus, Lactantius, alij. In hoc figmento ſub perſonis Jovis & Mercurij, hoſpitio exceptorum à Philemone & Baucide, adumbratur hiſtoria Loti Gen. c. 19. qui binos genios cœleſtes, habitu ſpeciéque juvenum peregrè advenientium, humaniſſimè in domum ſuam invitavit, tractavítque. Neque tamen eſt neceſſe commentis poëticis auctoritatem à S. Scriptura accerſere; mores etiam ex fabulis, natura & ratione duce, informantur. E præſenti fictione diſcitur. Primò. Quanta ſit mortalium durities, quanta adversùs ſuperos ingratitudo. Ovidius refert de Jove & Mercurio:

Mille domos adiere, locum, requiémque petentes:
Mille domos clauſere ſeræ.

Deinde docetur, quanta virtus ſit, *paupertas beneſica.*

------- tamen una recepit
Parva quidem ſtipulis, & cannâ tecta paluſtri.

In vili hoc tugurio quanta officiorum promptitudo, quàm illuſtre in obſcuris tectis hoſpitalis benevolentiæ ſtudium!

Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili,
Quo ſuper injecit textum rude ſedula Baucis,
Inde foco tepitum cinerem dimovit, & ignes
Suſcitat heſternos, foliiſque & cortice ſicco
Nutrit, & ad flammas anima perducit anili.

 Quódque

(*a*) *Multiplex virtus Philemonis & Baucidis, pauperum ac hoſpitalium conjugum.*

Quódque ſuus conjux riguo collegerat horto
Truncat olus foliis: furca levat ille bicorni
Sordida terga ſuis, nigro pendentia tigno,
Servatóque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectámque domat ferventibus undis.

Tertiò eminet hîc etiam *paupertas patiens*: Baucis & Philemon.

----- paupertatémque ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.

Quartò, *paupertas concors*:

Tota domus duo ſunt: jidem paréntque, jubéntque.

Hinc eorum hoc votum:

-------- quoniam concordes egimus annos:
Auferat hora duos eadem.

Quintò *humanitas* & *comitas* addita benevolentiæ liberali:

------- ſuper omnia vultus
Acceſſere boni, nec inops, paupérque voluntas.

Sextò, *Relata* à Superis liberalitati *gratia*:

Interea toties hauſtum cratera, repleri
Sponte ſua, per ſéque vident ſuccreſcere vina;
Attoniti novitate pavent, manibúſque ſupinis
Concipiunt Baucíſque preces, timidúſque Philemõn:
Et veniam dapibus, nullíſque paratibus orant.

Septimò, *Pœna inhoſpitalitatis* & inhumanitatis:

------- flexere oculos, & merſa palude
Cætera proſpiciunt, tantùm ſua tecta manere.

Octavò, Repenſus pietati honos:

Illa vetus, dominis etiam caſa parva duobus
Vertitur in templum: furcas ſubiere columnæ,
Stramina flaveſcunt, auratáque tecta videntur.

Nonò, *Perennitas impenſi beneficij*, ſemper florentis, & poſterorum memoriâ celebrati. *Lelex* apud Ovidium oculatus rei teſtis:

------- equidem pendentia vidi
Serta ſuper ramos: ponénſque recentia, dixi:
Cura Deûm Dij ſint, & qui coluere, colantur.

Id eſt, quibus Dij, Deorúmque cultus curæ fuere, & ipſi in Deorum numerum referantur.

Jam hæc morum excerpta, confirmemus pluribus.

II. (*b*) Deus etsi pedibus non utitur, mente tamen perambulat universa, & nimis quàm oculatè explorat mortalium omnium dicta, facta, cogitata: bona, malâque. Quoties pulsat divitum turres, pauperúmque tabernas, per inspirationes & instinctus cæleſtes, per quos, tanquam prodromos aut feciales suos admitti petit, audiríque. Nihil tamen impetrat, nisi apud pauciſſimos, eósque plerumque egentioris fortunæ, quibus paupertate magistrâ stat virtus. Ex hac repulsa calamitates tam publicæ, quàm privatæ immittuntur, quibus peſſimè pereunt, quos nimia prosperitas extulit. Merguntur opes vel malè partæ, vel malè adhibitæ; & gemino sæpe naufragio cum bonis fortunæ jungitur corporis, animíque interitus. Secus accidit ijs, quos paupertas virtutem docuit; rapiuntur quidem communi cum cæteris fato: sed quia nec opum, nec eorum, quæ nascuntur ex ijs, scelerum opprimuntur pondere, è jactura rerum fluxarum, in portum felicis æternitatis enatant.

III. (*c*) Simplicitas, innocentia, & læta paupertas Philemonis ac Baucidis, mirum in modum delectavit Deos, mortali habitu peregrinantes. *Cum simplicibus*, aiunt sacra proverbia, *sermocinatio ejus*, nempe Dei. Hos, ut Venerabilis notat Beda, cœleſtis sapientiæ secretis illustrat, quia terreni fastûs ac duplicitatis nihil habere considerat. Et Salomon loc. c. c. 19. *Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm dives torquens labia sua.* Ille enim doli expers, candidè, innocenter, integregéque vivit; hic varias in artes & fraudes se vertit ac torquet, ut paret opes. Iterúmque cap. 15. idem profatur: *Melius est parùm cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.* Nam ex his moleſtiæ, labores, angores, curæ conservandi & augendi; & superbia in habendis. Tenues autem facultates cum mente bona miram pariunt securitatem, quietem, hilaritatem, modeſtiam, sobrietatem. Vnde S. Chryſ. hom. in psal. 4. Paupertatem vocat matrem philoſophiæ, id est, veræ sapientiæ. Magnus laudator paupertatis Annæus, cùm alijs locis, tum epist. 2. Honeſtiſſima res est læta paupertas; Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parùm habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum pascat, quantum fœneret, si non acquisita, sed acquirenda computat? Quis sit divitiarum modus, quæris? Primus, habere quod neceſse est: proximus, quod sat est. Cui, quod satis est, satis non est, nihil ei satis erit. Et Divus Bernardus de quin-

(*b*) *Paupertas magistra virtutum.* (*c*) *Paupertas læta & secura.*

que negotiat. Opum collectio plena laboris; possessio plena timoris; amissio plena doloris est. Divitiæ, cùm amantur, inquinant; cùm augentur, onerant; cùm minuuntur, cruciant, De beata & secura paupertate Seneca Poëta in Hippolyto:

Quanti casus humana rotant!
Minor in parvis fortuna furit,
Leviúsque ferit leviora Deus.
Servat placidos obscura quies,
Præbétque somnos casa securos.

Idem in Octavia:

------ Bene paupertas
Humili tecto contenta latet:
Quatiunt altas sæpe procellæ,
Aut evertit fortuna domos.

Et Claudianus:

Vivitur exiguo meliùs: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.

Confer inter se pauperem & divitem: cerne vultum utriusque. Hic plenus sollicitudinum tetrica facie tristitiam animi prodit: ille serena fronte sincerum mentis gaudium ostendit; hujus inter curas cor exedentes, bracteata felicitas est: illius mens mœrore vacua, internæ pacis jucunditate perfruitur; Hic quærendi cupiditate anxius, amittendi metu miserrimus, ad omnes fortunæ injurias expositus, quò plus habet, plus cupit: ille in paupertate ditissimus optat, quod satis est, nihil timens: quia nihil habet, quod sibi adhæreat, quod eripi possit. Quàm lætos dies ducit pauper, quàm placidas noctes! dives autem æger animi, morbum suum quocunque pergit, secum trahit, spinis undique circumseptus.

Græcus Comicus ait:

Πενίαν φέρειν δ' παντὸς, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ.

Inopiam ferre non cujuslibet est, sed viri sapientis.

Qualis fuit Philemon; qualísque erat Abdalonymus, ille, à ligone & pala hortensi ad sceptrum regni Sidonij ab Alexandro M. vocatus. Rogatus, inopiam qua patientiâ tulerit (nam regia stirpe oriundo, causa paupertatis, probitas erat) respondit: utinam eodem animo regnum pati possem! hæ manus sufficere desiderio meo; nihil habenti, nihil defuit. Ex quo sermone magnæ specimen indolis hausit rex. Curt. lib. 4. c. 2. De paupertate Lucanus lib. 5. Phansal.

----- ô

——— ô vitæ tuta facultas
Pauperis, anguſtíque laris! ô munera nondum
Intellecta deûm! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
Cæſarea pulſante manu?

Et Petrarcha lib. 1. de remediis utriusque fortunæ. Paupertas mihi gravis eſt, imò tu gravior paupertati. Non in paupertate vitium eſt, ſed in paupere. Illa expedita eſt, hilaris, tuta; tu illam opinione gravem reddis.

IV. (*d*) Apparuit in his conjugibus liberalis paupertas. Primò receperunt humaniſſimè in tugurium ſuum hoſpites, ubique excluſos. 2. Apparaverunt cænulam juxta fortunulas ſuas, ne unico quidem anſeri parſuri. 3. Bonos ſuper omnia addiderunt vultus, & mira comitate pauperinam menſulam condiebant. Veriſſimè ſapientiſſimus & opulentiſſimus regum. Prov. 15. *Melius eſt, vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio.* Hoſpitalitatis enim virtus non tam in ſplendore epularum, quàm in animi benevolentia, & officioſa charitate conſiſtit. Hinc Siracides c. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et Tobias ſenior hoc juniori præceptum dedit cap. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Fecerunt hoc Philemon & Baucis. Hîc ruborem ducant illi, qui in Deos ipſos ſordidi ſunt, quibus offerunt fæcem & vappam, ipſi florem vini bibunt. Barbari in novo orbe inveniuntur, qui detritos calceos *Montium* & *Viarum* diis dedicant, ut proſperum iter obtineant. Sic quidam eius rei, quàm fortè inveniret, dimidium vovit. Reperit in via ſaccum nucibus plenum; nucleos ipſe voravit, putamina ad ſtatuam Mercurii projecit. Alexandro Magno etiamnum puero ſine parſimonia thura ingerenti aris, pædagogus Leonides dixerat, ut illo modo, cùm deviciſſet odoriferas regiones, ſupplicaret. At ille Arabia potitus, thure onuſtam navim miſit, exhortatus, ut largè deos adoraret.

V. (*e*) Sed jam huius in paupere cenſu beneficentiæ præmium videamus; nam Superi non tam ad operis magnitudinem, quàm animi promptitudinem attendunt. Bonam, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 105. Deus voluntatem coronat, quando non invenit facultatem. Et teſte D. Bernardo, tantum mereris, quantum vis; bona creſcente voluntate, pariter creſcit & meritum. Sicut crevit pauperibus his conjugibus. Nam 1. communi aquarum inundantium cladi ſoli ex omnibus ſubtracti ſunt. 2. Ipſorum

(*d*) *Paupertas liberalis.* (*e*) *Remuneratio paupertatis beneficæ.*

2. Ipsorum casa mutata est in amplissimum templum. 3. Sacerdotes templi sunt à diis ipsis consecrati & constituti. 4. Perpetuum remuneratæ pietatis monumentum illi ipsi fuerunt, dum in arbores conversi, virorem immortalem induerunt, donisque & muneribus, tanquam latentes in ligno dii, affecti fuere. 5. Ex ilice seu quercu plectebatur olim Corona civica, quæ dabatur ei, qui in bello servârat civem. Quidni deberetur ea Philemoni, qui deos ipsos ubique rejectos & spretos, hospitio servavit. Tilia cariem non patitur; Baucidis manus, quæ diis hospitibus serviebant, putrescere non debuere. Hîc locum habet illud Prov. 12. *Iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.* 6. Quercus & tilia, uti constat, altissimas radices agunt: tantóque sublimiùs extollunt ramos, quantò profundiùs demittunt in terram fibras. Hoc Philemon & Baucis meruit; utrumque ex humili sorte virtus extulit, nubibus inseruit, diis parem:

------ manétque pii nunquam non gloria facti.

VI. (*f*) De concordia conjugali quid dicam? Etiam mortui non potuere mori, quia dum vivebant, rixari nequiere. De hoc argumento alibi dictum. Hîc sufficiat id unum adjecisse, conjugalis vinculum conjunctionis expressum emblemate eleganti per flores in corollam ligatos: adde lemma: *Quò nexus arctior, hòc jucundior.* Maritalis nodus fœderis *stringit & arcet*; animi namque conjugum mutua charitate devincti perrumpi nequeunt livore, malevolentia, suspicione, perturbatione; *resistunt ligata.* Philemon & Baucis, jam arbores, facti, ventis quidem concutiebantur, non tamen dejiciebantur: *Vicerunt cedendo.* Maritum considerans uxor, sibi dicat: *cede majori.* Ille vicissim sibi occinat: *parce minori.*

VII. (*g*) Inhospitalis animi pœnas si non alio loco attigissemus, posset hoc argumentum pluribus hîc tractari argumentis. Ne longiùs excurramus, satis erit unum, sed rarius, huius rei documentum huc apponere, Sophronius, seu Moschus, in prato spirituali memorat c. 167. de quodam anachoreta, viro sanctitatis eximiæ. Pastoritiam is priùs degebat vitam, & acribus molossis, tam ipse, quàm pastores cæteri gregem solitariis in locis à prædonum & ferarum incursu defendebant. Fortè peregrinus in eam viciniam delatus, orabat hospitium. Nil impetravit. Igitur sub dio pernoctare coactus, à canibus invaditur & discerpitur. Innotuit ea cædes homini aliquanto post tempore, tum inter anachoretas agenti. Subit animum magna criminis pœnitudo; ideóque supplex rogat superos, ut eius duritiei veniam impertiant. Exinde discit è cœlo, pœnas ipsum inhumanitatis per canes, tanquam per talionem, daturum.

Nec

(*f*) *Conjugale vinculum.* (*g*) *Inhospitalitatis pœna.*

Nec aliter evenit. Qui leones habuit innoxios & familiares in antro comites, canum expertus est iram. Fortè ruri ambulabat, cùm molossi in eum irruentes, mordaciter dentes, quos ab hospite quondam non averterat, strinxerunt, & miserè dilaniarunt. Minatur Siracides c. 3. *Cor durum malè habebit in novissimo.* Expertus hoc, de quo diximus, anachoreta, qui, postquam culpam eluit, supplicium tamen temporale non evasit. Idem experti sunt cives Philemonis & Baucidis, qui quòd saxa magis quàm homines fuerint in Divos, undis superobruti, si non molliendi, certè sicut scopuli tegendi erant.

SYMBOLVM XLVII.

Erisichtonis fames insaturabilis, eiúsque filiæ in piscatorem, aliásque formas mutatio. *8. Metam.*

Famis & Invidiæ imago.

Ethicè.

1. Gravia famis mala. 2. Supplicium gulæ, fames est. 3. Impietas parentum redundat in liberos. 4. Malarum cupiditatum fames. 5. Invidiæ domus, & imago.

Erisichton Thessalus fuit, Deorum contemptor; qui nemus consecratum Cereri, ac in eo quercum sacrosanctam, in qua scilicet dea silvestris habitabat una de numero *Hamadryadum* (quæ cum arboribus, nascuntur & intereunt ἀπὸ τῦ ἄμα, καὶ τῆς δρυὸς) succidit. Tanta impietas commovit omnes nemorum nymphas, ut supplicabundæ ad Cererem se reciperent, oratum, ne scelus hoc inultum pateretur. Audiit preces dea frugum, & Numinum irrisorem Erisichtonem, novo pœnæ genere, assidua videlicet fame cruciare decrevit. Fabulam oblectationis causâ παραφραστικῶς ex Ovidio depingemus.

Erisichton ex Thessalia oriundus, Deos omnes despectum ibat, nec cuiquam sacrificare dignabatur: eò demum impietatis progressus, ut nemus Cereri sacrum ausus sit violare, & arbores vetusta religione Venerabiles cædere. Inter eas arbores Quercus erat, ramis latè diffusis, vittis & sertis, voti causa appensis, sacrosancta. Ad eam stirpem tam eximiam *Dryades* silvarum Deæ, solebant choreas instituere, & festis ludis honores Deæ frugum

gum celebrare. Nihil motus religione loci Erisichton, famulis dat negotium, ut arborem succidant. Illis præ Veneratione Deorum cunctantibus, eripit ipse securim uni è manibus, & in stipitem impingit. Contremuit, ac ingemuit quercus, subitóque pallore frondes & glandes obduci, sudore rami perfundi cœpere; ictúmque repetente manu impiâ, è vulnere trunci manare sanguis. Attonitos habuit præsentes spectaculum, nec defuit, qui manum injiceret ferienti: sed ille conversa in hominem bipenni, detruncavit ei caput; ictúsque iterare instituit. Cùm ecce, medio de robore sonus editur; Nymphæ (unius Hamadryadum) vox erat, sub ligno viventis, & cum ligno morientis; hæc dira fata, sacrilego Deorum Contemptori, minatur. Ille spretis minis, prosequitur scelus, & multis denique percussibus dejicit quercum. Consternatæ tanta impietate cæteræ silvarum ac montium Nymphæ, luctum indicunt, atrísque vestibus mœrentes adeunt Cererem, expostulatum de nefario facinore, & meritas in eius auctorem pœnas oratum. Annuit Dea precibus, séque atrocitati sceleris par supplicium reposituram confirmat: Erisichtonem dirissimâ inediâ excruciatum pessimis modis periturum. Vocat ad se unam ex Nymphis (quæ quòd montes incolant, *Orcades* nominantur) eámque ad extremos Scythiæ fines, perpetuo frigore obsitos, ablegat, ibi *Fames* habitabat ipsa, cum *Tremore* & *Pallore* socijs. Accipit mandata Nympha: vehitur per aëra Cereris draconibus, venit in Scythiam ad asperrimum montem Caucasum. Ejus viciniam circumspiciens, subijcit oculis *Famem* per agros errantem, & herbas dentibus vellentem, tetrum aspectu monstrum; stabant horridi capilli, recedebant in cavitatem lumina, pallor insederat ora; labra squalor & illuvies inficiebat, dentes scabrities exederat; extenuata cutis, & oculos in ipsa viscera admittens; ventris erat pro ventre locus, pectus à spina dorsi pendulum; articuli manuum & pedum, genuúmque junctura fœda macilentiâ extabant. Spectrum utique formidabile, & cui de mediâ nolles occurrere nocte. Nympha ne contagium ex propinquitate monstri traheret (senserat enim se fame vellicari) mandata Cereris remotiùs peragit, & retrò unde venerat, discedit: summa eorum hæc erat:

——ea, se in præcordia condat
Sacrilegi scelerata jube; nec copia rerum
Vincat eam: superétque meas certamine vires,

Obtemperat jussis Deæ *Fames* (quamvis perpetuum, mutuúmque dissidium intercedebat) pérque aërem sublimis ad domum Erisichtonis

fertur;

fertur: invadit noctu dormientem, séque per fauces & ora intra viscera immittit; intimáque corporis exinanit: ipsis adeò venis & medullis inediam inspirat. Quibus peractis, ad antra sua horrida & jejuna revertitur. Mox Erisichton in ipso somno persentiscere cœpit famem, & frustra fatigare dentes, nec aliud, quàm auras pro epulis devorare.

Ut verò est expulsa quies, furit ardor edendi,
Pérque avidas fauces, immensáque viscera regnat.

Nec mora; quidquid vel in undis natat, vel in aëre volitat, vel in terrâ graditur, avidus exposcit, & tamen appositis epulis expleri nequit. Neque moderatiùs sitit, quàm esurit, totos etiam amnes ebibiturus, si in os influerent.

------ & quo copia major
Est data, plura petit.
------ sempérque locus fit inanis edendo.

Nulla ciborum copia poterat restinguere esuriem: adeò quidem, ut consumptis in epulas facultatibus omnibus, filiam unicam, *Mestram* nomine, meliore dignam parente, venum exponeret: hæc verò insita mentis generositate, cùm à servitute abhorreret, Neptunum in vota vocavit: à quo mutata in virum Piscatorem, genitoris famem (tantus amor erat) quâ poterat arte, levabat. Ex Piscatore iterum in puellam redijt: iterúmque diversis dominis vendita, identidem alias & alias animalium formas induebat.

Nunc equa, nunc ales, nunc bos, modò cervus abibat.

Sícque elusis sive Dominis, sive procis, & pecuniâ emunctis, alimenta præbebat parenti: donec adeò vis mali increvit, ut in rabiem actus, suamet membra laniaret, & se ipsum depasceret.

Ethica.

I. (*a*) Inter cæteras calamitates, quibus Deus mortalium scelera plectit, *Fames est*; dirum malum, & quo non facilè aliud acerbius. Quintilianus Declam: 12. §. 21. Felix, inquit, pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors facilis; fames aspera, vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis labes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum. Plinius eam vocat teterrimum mortis Comitem.

(*a*) *Gravia famis mala.*

Et celebrata est sententia ex Homericæ Odisseæ fabulis.

Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
At perijsse fame, res una miserrima longè est..

Longum esset recensere exempla privatæ, publicæque famis, homines ad inhumana quæque patranda cogentis. Pauca quædam adferemus. Samariâ obsessâ à Syris (quod historia sacra Regum lib. 4. cap. 6. memorat.) rabies edendi etiam matres adegit ad proprios filios devorandos. Jerosolymâ à Tito Imperatore cinctâ, non veteramenta tantùm calceorum, zonarum, scutorum lixata, & in cibum apposita (quod non semel factum est alibi quoque post absumptos obscœnos animalium cibos) sed nec humanis quidem carnibus temperatum. Reperti hinc, illinc mortui, quorum ore semesum extabat gramen, quod dum evellerent, defectis viribus conciderunt exanimes. Joseh. lib. 2. de bell. Jud. c. 8. Numantini à Scipione (Affricano posteriore) vallo & aggere circumdati: cùm omnia, quæ famem trahere poterant, consumpsissent: ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Val. Max. lib. 7. c. 6. Babylonij à Dario Persarum rege (à quo desciverant) obsessi, ut commeatus, quos in urbe habebant, diutiùs extenderent, ex toto femineo sexu, cùm singulas viris omnibus delegissent; reliquas, ne eis alendis illorum nutrimenta, per quos Vrbs defendebatur, consumerent, manu crudelissimâ strangulaverunt. Fulgosus lib. 7. c. 7. Cambyses Persarum Rex in expeditione contra Æthiopes Macrobios, quintâ itineris parte confectâ, tanta commeatus penuriâ cum exercitu laboravit, ut cùm inter arenas deessent herbæ, milites sortiti ex se ipsis decimum quemque comederint. Herodot. lib. 3. Seneca lib. 8. de Ira. c. 2. Calagurium, Vrbs Hispaniæ, à Cn. Pompeio, obsidij simul & famis necessitate ita pressa est, ut cives Vxores suas ac liberos in usum extremæ dapis converterent. Val. Max. lib. 7. c. 6. Florus lib. 3. c. 22. Saguntus vetus Hispaniæ civitas & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste documentum, à Pœnis obsidentibus, eò famis redacta est, ut cives extructo, in foro, igni, suas res omnes in flammas conijcerent, sëque ac suos postremò liberos, ne in manus hostium venirent, eódem præcipitarent. Liu. tit. 22. Flor. lib. 2. c. 6. Sub Honorio Imperatore, quod Zosimus narrat lib. 6. annal. anno 415. Romæ tanta caritas & raritas annonæ fuit, ut homines hominibus jam imminerent, & in circo palàm audita sit illa Vox. *Pone pretium humanæ carni.*

II. (*b*) Atque hæc de publica Famis rabie. Privatam, ne prolixior sim, non attingo, nisi Imperatoris Zenonis, qui cùm arreptus morbo comitiali, pro mortuo concidisset, jacuissétque; tanquam cadaver elatus est, & tumulatus. In sepulchro subinde restitutus sibi, lamentabili voce Satellites ad conditorium excubantes, per duas noctes appellavit: *Miseremini & aperite mihi.* Cúmque illi dicerent, alium jam imperare (nempe Anastasium) *Nihil*, inquit, *curo, in monasterium me adducite.* Sed cùm prohibente Ariadna Imperatrice, non aperirent, ferunt aliquantò pòst monumentum fuisse recluſum, inventúmque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos, & vestes, quas gestabat, manderat. *Cedrenus apud Baronium anno Christi* 491. Zonaras refert, eum gulæ & ebrietati indulgentem, errore mentis affici solitum, & prolapsum nihil à mortuo distitisse. Fecit idem Erisichton. Utrumque justissimè punivit fames ob intemperantiam in cibo, potúque. De hoc Mythologus lib. 5. c. 14. Erisichton ubi sua per luxuriam & crapulam profuderat; postea victum per sordes domesticas, & turpitudinem filiæ comparare sibi cogebatur. Quare pietas in divos, in rebus agendis prudentia, & in præsentibus bonis conservandis parsimonia viro bono est necessaria. Hæc ille. Prodigalitate & luxu iram Numinis provocari, documentum sunt Sodomitæ. Nam quid hos in tam immania scelera, & pares sceleribus pœnas pertraxit, nisi quod sacer historicus Gen. 9. refert. *Superbiæ, saturitas panis, & abundantia, & otium; & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Et Amos c. 4. Optimatibus Samaritarum, nullius rei, nisi voluptatis & saginæ curam habentibus, minatur, eos veluti *vaccas pingues* ab Assyriis mactandos, & contis sublatos, ferventibus ollis immergendos, ac coquendos. Sic gula plectitur fame, vel propriâ, vel alienâ.

III. (*c*) Ex hac etiam fabula elucet, quanta sit impietas parentum, qui suâ culpâ ad extremam penuriam redacti, denique subsidium vitæ à liberorum flagitiis petunt. Erisichton, ubi bona sua luxu dilapidaverat, demum & filiam prostituit. Illius verò ætatis homines, ante cusas pecunias, pecora aliásque merces invicem permutabant. Illa itaque ab hoc accepta ove, bove ab illo, alia ab aliis mercede, & suæ & paternæ subvenit inediæ, ut ait Tætzes, Homeri interpres in illa verba Lycrophonis: ὁ πατὴρ τῆς Μήστρας πάντα κάλα, Φαγών: pater Mestræ omnia devorans, etiam filiæ suæ pudicitiam. Faciunt idem multi alii parentes, non parentes, qui lascivire jubent filias suas, dum permittunt. Egregiè Petrarcha de filiâ

(*b*) *Supplicium gula fames est.* (*c*) *Impietas parentum redundat in liberos.*

filia impudicâ Dial. 23. Lascivire incipit filia: Lautas dapes, & vestes illi molles ac fulgidas, annulósque & armillas detrahe, & quidquid est aliud, quô & ipsa sibi placeat, & placere aliis studeat: objice illi domesticas curas, pensa, acus, & colos, & si quid est operis, quod suaves & molles manus in callum duret: Seduc illam à spectaculis, à concursu populi: festis etiam diebus domi contine; nullum vagis ac discolis cogitationibus tempus relinque. Prostituunt parentes filias, dum eas superbire sinunt, crispare capillos, fucare faciem, vagari per alienas domos, cantare, saltare, pudorem venalem circumferre. Verè Siracides, c. 41. *De patre impio* (adde etiam de matre impia) *queruntur filii* (& filiæ) *quoniam propter illum in opprobrio sunt.* Quippe qui eos in infamiam, & dedecus indulgentiâ, consilio, jussione, inopiâ conjecit.

IV. (*d*) ------- furit ardor edendi,
Pérque avidas fauces, immensáque viscera regnat &c.

Non de fame tantùm pronuntiari possunt: sed de aliis naturæ prodidiis, Avaritia, Ambitione, Libidine, Ebrietate, immodico omni studio, & insatiabili cupiditate, ait in hunc locum Farabius. Mihi huc quadrare videntur quinque viri illi, de quibus S. Bernardus in declamatione super id: *Ecce nos reliquimus omnia*, declaraturus, quàm insatiabilis sit fames, Mundum, hoc est, vanas cupiditates amantium. Vidi ego, inquit, aliquando quinque viros, quid nî phreneticos arbitrer? Primus siquidem plenis buccis marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum, fœtidissimúmque gestiebat haurire vaporem. Tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore: & si quô minus influere videretur, flabello ipse sibi ventum ciebat, tanquam aërem deglutiturus. Quintus seorsim positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus, & maximè: proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat. Miseratus homines, causámque scisitatus à singulis: unam omnibus esse reperio, validissimam famem, &c. Non difficile est divinare, quid hoc sibi ænigmate velit S. Pater. Nam quænam est peritura bona esurientium satietas? nulla. Ipsa copia famem parit. Quinam verò maris fabulum dentibus mandunt, nisi avari? qui sulphureum vaporem hauriunt, nisi libidinosi? qui scintillas ex ardenti fornace excipiunt, nisi iracundi? quos juvat in alto collocatos auram attrahere & devorare, nisi superbos & ambitiosos? qui denique

(*d*) *Malarum cupiditatum fames.*

denique propriàs fugunt carnes, nisi invidi, gulæque dediti? De his omnibus dici possit

-------- Quid non mortalia cogis
Pectora dira fames, nunquam saturanda cupido!

Ad hypotyposin *Famis* adjungenda est domus & descriptio Invidiæ, quam non minùs ingeniosè & artificiosè depingit Ovidius lib. 2. Metam. in hunc ferè sensum & modum.

(e) Fortè Mercurius animum adjecerat ad *Herse*n, puellam nobilitate generis (nam patrem habebat *Cecropem*, Athenarum Regem) & formæ præstantem, connubio sibi copulandam. Et quia Herse Palladis (in cuius consortio vivebat) æquè castitatem atque studia æmulabatur, abhorrebat à nuptiis. Igitur Mercurius convenit *Aglauron*, Herſæ sororem, & blandis instat precibus, ut pronuba velit esse conjugii. Hæc aurum pacisci tur, fidem & operam promittit. Aversata Pallas avaritiam, constituit ulcisci, & Aglauron diris invidiæ stimulis excruciare; studuerat enim pretium nuptiarum excandefacere, & sorori honorem præripere. Rem eò deducit Pallas, rogatu Mercurii, ut Herse conveniret in manum deo. Exinde confert se ad Invidiæ domum, sive potiùs antrum, in ima situm valle, & à conspectu remotum; nec solem admittens, nec ventum; perpetuo horrore septum, ubi nihil nisi frigus, & spissa caligo. Ad eam speluncam delata dea, non sustinuit ingredi (neque enim hoc decorum erat Jovis filiæ) sed postes extrema hastæ cuspide pulsavit.

Concussæ patuere fores: videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
Invidiam: visáque oculos avertit, at illa
Surgit humo pigrè, semesarúmque relinquit
Corpora serpentum, passúque incedit inerti.
Vtque deam vidit, formáque, armisque decoram,
Ingemuit, vultúmque deæ ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:
Risus abest: nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescítque videndo
Successus hominum: carpítque & carpitur unà
Suppliciúmque suum est.

(e) *Invidia domus & imago.*

Paucis eam affata est Pallas (neque enim debebat hoc monstrum alloquiô dignari) & pro imperio jussit Athenas abire, Aglauron, regis filiam, livoris veneno implere; cúmque dicto recessit. Illa obliquo lumine abeuntem respectans,& nescio quid submurmurans,baculum capit tortuosum, & spinis inflexum, atque in viam se dat. Quácunque incedebat, tecta nubibus, nullíque aspectabilis, virentia protrivit arva, exussit herbas, & afflatu suo

------ populósque, urbésque, domósque

Polluit. Denique Athenas ut attigit, urbem ingeniis, opibus, pace florentem, vix tenuit lacrimas,

------- quia nil lacrimabile cernit.

In eadem habitabant arce cum parente, tres filiæ, scilicet *Aglauros*, *Herse*, *Pándrosos*. Huc ubi intravit, rectà petit Aglauron, pectus ei ferruginea manu

Tangit, & hamatis præcordia sentibus implet,
Inspirátque nocens virus, piceumque per ossa
Dissipat, & medio spargit pulmone venenum.

Objicit illi sororem *Herse*n, ut sponsam Mercurii, & illum ut sponsum, fortunatas nempe & nobiles nuptias. Quibus illa imaginibus capta, omnia grandiora & insigniora concipiebat, ut magis semet irritaret & excruciaret, adeò, ut etiam vitam exosa, mortem in votis haberet. Ad invidiæ tormentum, accessit altera pœna: nam à Mercurio in saxum conversa est, & quidem, nigrum:

Nec lapis albus erat, sua mens infecerat illum.

Nigror lividæ mentis in lapideam etiam formam redundavit. Ubi vides, quanta pestis sit invidiæ Domus latebrosa, obscura, horrida, sine sole, sine luce; omnia enim tristia & caliginosa videntur livori; per carnes vipereas, quas mandit, amaræ & cruciantes invidentium cogitationes significantur. Suspiria & gemitus, sunt dolores ex aliena felicitate hausti. Facies pallida & macilenta, torvùm intuentes oculi, rubiginosi dentes, lingua veneno infecta, indicant, tabem internam etiam in corpus effundi; cúmque livor alienæ prosperitati nocere non potest, maledicâ tamen linguâ famæ ac nomini felicium obtrectare studet. Absunt risus & lætitia, nisi ex malis alienis capta. Faciunt invidi, quod Sirenes, quæ dicuntur sæviente tempestate quàm suavissimè canere: contrà cælo sereno & tranquillo mari tristes obmutescere. Et sicut polypus piscis, teste Æliano lib. 1. c. 17. cùm cibus ipsum deficit, suamet sibi brachia præmordet, & devorat,

pari

pari modo invidus ſemet conſumit, & mœrore tabeſcit, cùm non invenit, quibus dentem infigat, quósque lacerét. Et hæc de imagine Invidiæ ab Ovidio luculenter expreſſa.

SYMBOLVM XLVIII.

Miræ Protei transformationes.

8. Metam. 4. Georgic.

Ethicè.

1. Homo inconſtans. 2. Vir prudens & politicus. 3. Sycophanta pſeudopoliticus. 4. Homo vitioſus, & hæreticus. 5. Item diabolus indicatur per Proteum. 6. Homo arbor.

PRoteus Oceani & Tethyos filius, armentorum Neptuni, hoc eſt, phocarum ſeu vitulorum marinorum paſtor, marísque deus. Vehitur & pervagatur per æquora pedibus & curru, quem trahunt phocæ, quas Virgilius 4. Georg. vocat bipedes equos,

------- magnis qui paſſibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum,

Namque aquatiles illæ belluæ priore parte equum, poſtèriore piſcem referunt, vocantúrque *Hippocampi*. Eſt autem Proteus etiam *vates*, qui novit omnia.

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Nihil tamen edicit, niſi conſtrictus vinculis, & coactus. Sed quis vinciat eum, verſipellem, & mille dolis verſabilem? Dum teneri putatur, in alias atque alias formas vertitur, & elabitur: nam ex ſene abit in juvenem; ex homine in tigridem, draconem, leonem, aprum, taurum, ignem, aquam, arborem & lapidem. Deſcribit eius mutabilitatem Ovidius.

Sunt quibus in plures jus eſt tranſire figuras:
Vt tibi complexi terram maris incola Proteu:
Nam modò te juvenem, modò te videre leonem;
Nunc violentus aper: nunc quem tetigiſſe timerent,
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum;
Sæpe lapis poteras, arbor quoque ſæpe videri.

Inter-

Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras: interdum undis contrarius ignis.

Et Maro 4. Georgic.

Verùm ubi correptum manibus, vinclíſque tenebis;
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum
Squamoſúſque draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit: atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.

Cyrene Nympha marina, filio ſuo Ariſtæo, luem & internecionem apum lamentanti, & cauſam ejus peſtis ignoranti, hoc conſilium dedit:

Sed quantò ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tantò, gnate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cùm lumina ſomno.

Adoleſcens obſecutus parentis monitis, ejuſdem ductu penetrat in ſpeluncam Protei, ſub aquis abditam; offendit ſomno correptum; nexibus eum ligat, firmitérque tenet tamdiu, donec is expergefactus, poſt aſſumptas varias figuras, denique rediret in humanam, ederétque oraculum: extinctas fuiſſe apes à Nymphis ſilvarum, in ultionem Sodalis ſuæ *Eurydices*, quàm ipſe conjeciſſet in fugam tam præcipitem, ut currendi ſtudiô, ſerpentem non viderit latentem in herba: cujus morſu interierit, non ſine luctu & planctu miſerabili omnium Nympharum, præſertim conjugis Orphei. Quibus dictis Proteus in mare deſilijt, & Ariſtæum ſuſpenſum reliquit. At non deſeruit eum Cyrene mater; hæc intellectô oraculô, filium docet, quî expianda mors Eurydices, & placandæ Nymphæ: erigeret quatuor aras in luco, & octo tauros, totidémque juvencas mactaret: aris imponeret: corpora cæſarum pecudum in luco relinqueret, poſt novem dies reviſeret. Quod ubi fecit, ecce apum examen ingens è putrefactis boum coſtis evolavit ad proximam arborem, & racematim è ramis pependit.

Ethica.

I. Non tam multas in formas ſeſe vertit Proteus, ut non plures excogitari poſſint explicationes morales. Omitto, quæ de arte magica, Saltatoria, materia prima, aliiſque à doctrina morum remotioribus ſenſis, à quibuſdam traduntur, per Prothei mutationes ſignificata. Ea, quæ

quæ ad mores pertinent, tam sunt multiplicia, ut mihi illud Horatianum epist. 1. lib. 1. exclamare libeat:

Quò teneam vultus mutantem Protea nodo?

Nemini ignotum est adagium: *Proteo mutabilior*; quod in vafrum & versipellem hominem convenit, ac inconstantem, séque pro tempore vertentem in omnem habitum. (*a*) Qualem Martialis lib. 2. epig. *ardelionem* appellat, desultorium scilicet, & præcipiti ardore incipientem multa, prosequentem pauca: plurima agendo, agentem nihil. Huic simile proverbium: *Chamæleonte* (palmari animalculo, Pierio teste, contra Plinium) *mutabilior*: affine utrique: *Vertumno inconstantior*. Hic se in *messorem*, *aratorem*, *frondatorem*, *militem*, *piscatorem*, aliásque formas convertere noverat, ut Ovidius scribit lib. 14. Metam. Exprimitur imago hominis instabilis & vagi, qui in nulla sententia permanet, sed arundinea levitate, modò in hanc, modò in illam partem impellitur, incogitans, imprudens, malè sanus: repentè laudat, quod vituperavit: & ab eo dissentit, cui paulò antè assenserat: citò tristis, citò lætus; mox alter Cato, subitóque histrio: quolibet vento, ut petasón in tectorum culmine, versabilis; jam cum Proteo totus ardor & ignis; jam merum frigus & aqua, illud unum habens constantiæ, quod semper sit inconstans.

II. (*b*) Mythologus lib. 8. c. 8. per Proteum, virum Prudentiæ virtute, & animorum tractandorum peritiâ præditum intelligit; Ego, inquit, virum fuisse prudentem putaverim, & in conciliandis, conservandísque amicitiis callidissimum, in temperandis animorum motibus, ac moribus ad omnes rerum eventus cautè formandis, solertem. Quis enim nesciat, nihil magis necessarium esse, vel in administratione civitatum, vel quotidianâ consuetudine, quàm varietatem ingenii, quæ confert plurimùm ad omnes opportunitates ac rerum vicissitudines? oportet igitur virum prudentem, quoniam non omnes iisdem studiis delectantur ac capiuntur, per varias formas se in hominum amicitiam ingerere, ac variis uti rationibus in Civitatum administrationibus, quoniam alii eventus clementiam, alii severitatem Judicis requirunt. Sic enim Proteum modò fieri ignem, modò aquam intelligendum est: & modò fructiferam arborem, modò crudelem feram propter præmia justitiæ ac supplicia. Hæc Ille. Neque hoc ad publicos duntaxat magistratus pertinet, sed privata quoque prudentia servire debet *Scenæ* & *Tempori*, rebúsque præsentibus se accommodare: quod dicitur *uti foro*, &, utcum-

(*a*) *Homo inconstans.* (*b*) *Vir prudens & politicus.*

que se fortuna obtulerit, ita animum applicare. Quò pertinet illud Græcorum adagium : πολύποδος νοῦν ἔχε : *Polypi mentem obtine.* Quo jubemur, pro tempore alios atque alios mores, alium atque alium vultum sumere ; nam piscis hic cuicunque petræ adhæserit, eius colorem corpore imitatur, ne queat deprehendi. Unde versus :

Se quibus admôvit, saxa colore refert.

Absit autem hinc fœda adulatio omnibus assentandi : aut fluxa fides ex ancipiti temporum mutatione pendens ; quos homines Sacra scriptura *Stultos* vocat, *instar Lunæ mutabiles.* Sed indicatur honesta quædam ratio, quâ viri boni, nonnunquam alienis moribus obsecundant, ne vel odiosi sint, vel prodesse non possint : aut ut è magnis periculis semet, aut suos eximant. Quemadmodum fecit Vlysses apud Polyphemum multa simulans ; apud procos mendicum agens ; unde ab Homero vocatur πολύτροπος, multiformis, multiplex ; quòd pro re nata sciret se in omnes fortunas ac rationes vertere. Ita Brutus stoliditatem & David insaniam simulavit. Quin D. Paulus Apostolus sanctâ quadam astutiâ gloriatur, quâ omnibus *omnia factus sit, ut omnes Christo lucrifaceret.*

III. (c) Quamquam nihil vetat in notandis vitiis usum adagii, mutationésque Protei, quod indicavimus, latiùs trahere, nempe in homines versatili quodam ingenio natos, qui talem ubique personam induunt, quales sunt ii, cum quibus contingit agere. Quod genus eleganter describit Plautus in Bacchidibus : *Nullus, inquiens, frugi esse potest homo, nisi qui benè & malè facere tenet. Improbus cum improbis sit : harpaget, cum furibus furetur, quod queat. Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit ; bonus sit bonis, malis sit malus. Vtcunque res sit, ita animum habeat.* (d) Proteum etiam Clemens Alex. lib. 3. Pædag. traducit ad homines omni vitiorum genere imbutos. Et sanè convenienter. Nam quot scelera pectus insident, tot in eo bestiæ stabulantur, & terribili vagitu, fremitúque ferociunt. Et sicut ignis & aqua insitis dissidiis pugnant invicem, ita vitia inter se discordia, infestant & exagitant pravum animum, nec quiescere sinunt, qui jam flammæ instar in audaciam & iram exardescit : mox instar undæ mollitie & luxu diffluit ; jam in arborem fructiferam per meliora proposita assurgit : mox in lapidem per socordiam & ignaviam indurescit.

IV. (e) S. Hieronymus Jovinianum lib. 2. Proteum vocat. *Quis enim nescit hæreticorum astutias & fallacias in opinionum varietate ac inconstantia?*

(c) *Sycophanta pseudopoliticus.* (d) *Per Proteum homo vitiosus significatur.*
(e) *Item hæreticus.*

stantia? De quibus Apostolus 1. Tim. 6. *Occupantur circa quæstiones & pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.* Dum scilicet falso Religionis veræ prætextu novas sectas & doctrinas comminiscuntur, & eas simplicibus non sine quæstu improbitatis ingerunt; de quibus repeti possit, quod M. Tullius in 2. Philipp. M. Antonio objecit, qui duo millia jugerum campi Leontini Sext. Clodio Rhetori assignavit, & quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceret. Proteo sanè, & polypo quàm simillimi sunt Novatores isti, qui in omnes se colores vertunt, præter rubrum & album: nam nec fronte erubescere, nec pectore sincero candescere possunt. Negando, ajendo, omnes formas assumunt, & contrariis inter se dogmatibus ac opinionibus confligunt. Quorum hoc opus unicum, ut captiosis, ambiguis, implexis, fallacibus verbis, ratiociniis, tergiversationibus illaqueent & decipiant auditorem, & mille cavillationibus evertant ac pervertant doctrinam sanam. Quibuscum frustra clamando certes, nisi eos ad disputandi formam, legémque revoces, & quasi quibusdam Dialecticæ vinculis (quam ipsi cane peius & angue oderunt) constringas (quod Aristæus Proteo fecit) itáque premas, ut se movere non queant, cogantúrque verum vel inviti fateri: non absimiles orcinis spiritibus, à quibus nolentibus adjurationes Ecclesiæ veritatis confessionem extorquent. Contra eiusmodi hostes, tot formis varios, tot dolis versipelles, tot mendaciis versatiles, non expeditum est pugnare. Contra *juvenem* te instruis; quid facies si inveneris *Leonem*? Leoni cogitas occurrere, obviàm fit tibi *aper*. Hostem te putas manibus tenere? Lubricum tenes anguem. Si contra anguem baculo te armas, mox anguis iste in *taurum* excrescit, & baculo tuo cornua obvertit. Securim stringis, ut taurum ferias? mox vertitur in *saxum*, & lapidem feris, qui aciem ferri tui obtundat; sed & alia instruis contra lapides arma? In ictu oculi fit *arbor*, ut lignum sit, quem lapidem esse existimâsti. At contra lignum cum igne venis? Iterum in cassum: nam *ignem* igne non perdes, vertitur enim Proteus etiam in ignem. Ergo superest, ut aquis ignem interficias. Sed & dum fers *aquam*, aquam invenis, in quam ignis repente est commutatus. Quid igitur aquam aquæ addes? Tantum est negotium in varietate fraudum & mendaciorum, non hæreticorum tantùm, sed etiam Pseudopoliticorum, & omnium illorum, qui versutiis, fallaciis, offuciis, vaframentis, logis, fucis os aliis sublinere gaudent.

V. (*f*) Proteum exactissimè refert diabolus, qui meritò *panurgus*, & mille fraudum artifex appellatur. In omnes se vertit formas, etiam in angelum lucis 2. Cor. 11. Quos non fallit ut juvenis, decipit ut senex: & in pede lædit, quem non potest in capite vulnerare. Quod quàm sedulò observet, vel in uno Jobo apparet. Hunc enim, quem prosperitas non emolliverat, variâ tempestate jactavit. Primò in boves arantes & asinos pascentes grassatus, in abigeum se vertit. Mox latro de prædone factus, servos ejus occidit. Eodem pœnè momento in ignem transmutatus, & oves & pastores combussit. Mox in camelos impetum fecit per turbas Chaldæorum. Quid amplius? ventum se fecit, ut domum concuteret, filiósque, & filias ejus opprimeret epulantes. In pestem quoque abijt, & innocentem *percussit ulcere pessimo, à vertice usque ad plantam pedis.* Denique in uxorem ejus migravit, & usque ad animæ medullas linguæ suæ virus trajecit. Quid, quòd Avernalis iste Proteus artibus suis dolosis Christum ipsum circumvenire tentavit: quem post quadraginta dierum jeiunia, non tam panibus, quàm lapidibus petivit; nunc pinnaculi præcipitio sollicitavit; nunc ostensis omnibus regnis mundi ad idololatriam allexit; eúmque jam gulâ, jam fastu, jam cupiditate rerum terrenarum oppugnavit. Usque adeò nemo securus est ab infestationibus Stygij hujus Protei.

VI. (*g*) Proteo in arborem fabulosam mutato addamus, eruditionis causâ, historicam arborem ambulantem, de quâ Joannes Bisselius Dec. 2. Ruin. Ill. in Orpheo. Nostra quoque memoria, inquit, bello, quod Moscos inter ac Polonos gestum est ad Smolenskum urbem, fuit è speculatoribus Sarmatis, qui nuntii functus officio, de Polonis ad Moscos, & ab his ad illos, ultro, citróque commearet; inusitatæ fraudis ingenio semper incolumis, & hostilibus castris indeprehensus. Nam, ut multa, paupertas excogitat, pretij spe propositâ, cùm is aliter nisi ponè stationes ac vigilias adversariorum, iter facere non posset ad mandata perferenda: frondibus arborum semper virentium corpus suum universum à summo capitis, ad summos usque pedes circumtexit; brachijs etiam ad lumbos diligenter adstrictis. Circum humeros autem & scapulas per ambitum, ut in arboribus natura fert, aliquanto latiùs ramos diffuderat: donec sensim supra capitis verticem coirent in cacuminis figuram. Hoc ille cultu tali, magnam ausus & periculi plenissimam functionem, noctibus ambulabat totis, ut hominem hunc, quisquis obvius in eum incidisset, spectrum credidisset arboreum, aut mobiles quasdam

(*f*) *Item diabolus.* (*g*) *Homo arbor.*

dam præstigias. Sed is quoties appropinquantium vel tenuem sensisset strepitum, sistebat gradum, ne quando deprehenderetur. Periculô depulsô repetebat iter, ad usque diluculi primum splendorem. Tunc enim (rem difficilem, sed homini salutis suæ sollicito necessariam!) diebus totis ab ortu solis ad occasum usque subsistebat; ubicunque camporum, eum hora stationis obruisset. Ibi velut arbuscula solitaria sine motibus ullis humanis stabat, quoad ei nox & tenebræ recurrentes, viæ repetendæ tutiorem facultatem reportâssent. Sic hujus tandem operâ tali, solertiáque, multum est ad rei summam promotum. Hæc ille. Quid non potest ingenium cum insigni audacia coniunctum? Nec unus Proteus, vel arbor fuit, vel sub arbore latuit. Cristatus ille serpens ex arbore aut subter arborem in paradiso venenum suum diffudit, primámque matrem vafricie suâ in fraudem induxit. Marci 8. cæcus ad primos redeuntis luminis radios exclamavit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Multi ut tectiùs decipiant, arbores imitantur, folia sua ad diversos ventos inflectentes; rident cum ridentibus, flent cum flentibus, sed sicut crocodili, fictis obsequiis viam ad nocendum muniunt. Non procul Malaca arborem dicunt nasci, cujus radices, cùm multæ sint, in varias disperſæ partes, diversos sortiuntur effectus. Quæ enim ad Orientem spectant antidotum præbent adversùs quodlibet venenum; quæ vergunt ad occasum, præsentissimum propinant toxicum: Idem agunt fallaces Protei. Instar Protei formas induit varias Periclymenus, filius Nelei, frater Nestoris. De quo narrat Hesiodus, ipsum beneficio Neptuni avi, non modò in aquilam, sed etiam in apem, formicam, muscam conversum fuisse, quæ cum aculeum Herculi fixisset, clavâ ab eo interfecta est. Mythol. lib. 8. c. 8. Est autem musca secundùm Pierium importunitatis, impudentiæ, ac indocilitatis Symbolum, cujus audaciæ Homerus meminit in Deorum prœlijs. Ubi nota, quantum molestiæ & negotij facessant etiam minuta animalia, hoc est puerorum frusta, vix virgis aliquando, sed clavâ, domanda. Inter mirabiles & multiplices transmutationes Aristophanes etiam Empusam ponit, quæ modò mula, nunc bos, nunc lapis, nunc vipera, nunc formosa est femina, uno tantùm incedens pede, & miris modis in altum crescens & decrescens, unde adagium: *Empusâ mutabilior.* Quid spectrum hoc significet, tu ipsus conjice, & vide Symbol. 101. in Ethica. num. 2.

SYMBOLVM XLIX.

Acheloi Copiæ-Cornu.

9. Metamorph.

Ethicè.

1. Jactantia militaris sordet. 2. Audacia temeraria & timida. Item sophista vel hæteticus. 3. Pugnandum seu vi, seu dolo. 4. Fluviorum utilitas. 5. Copiæ-Cornu, Virtutis præmium.

DEjanira Oenei regis Ætoliæ filia, Meleagri soror, omnes sui temporis virgines, formæ ac virtutis dignitate præcedebat. Cuius nuptias cùm multi illustres proci ambirent, duo præ cæteris fortitudinis & famæ gloria insignes illam in matrimonium petierunt Acheloüs & Hercules. Ille parentes habuit *Oceanum* & *terram*, hic ipsum Jovem. Oeneus cùm difficilem cerneret optionem, voluit rem committere certamini, illúmque se generum esse dicturum affirmavit, qui alterum luctâ vicisset. Nec mora; congrediuntur ambo luctatores, non minùs arte, quàm robore & pertinacia valentes. *Hæret pedi pes, pectus pectori, brachia brachiis; sudore fluunt artus, & crebro anhelitu concutiuntur. Uterque certus non cedere. Summus in eo conatus, ut alter alterum (erant enim nudi, ceromate inuncti) apprehendat, & prosternat. Dixisses duos tauros infestis cornibus concurrere, spectante armento & pavente. Hercules ubi amplectentis se Acheloi brachia excussit, maximo eum nisu in terram detraxit, jacentísque cervicem arripiens, elisurus erat, nisi Achelous ad consuetas artes seu præstigias conversus, subitò in anguem se mutâsset, & sinuosis flexibus extricâsset. Minas trisulcâ linguâ vibratas risit Alcides, ut qui in cunis ipsis serpentes compressisset. Injicit anguineo collo vincula, suffocassétque, nisi adversarius sic quoque victus induta ferocis tauri forma in Herculem incurrisset. Sed non feliciori successu. Eversus enim & humi provolutus in bove latens antagonista, dum sese ad nova prœlia erigere nititur, cornu alterum victoris, manu revulsum, fractúmque amisit. Sustulerunt illud Naiades (Nymphæ fontium & fluminum) variisque repletum fructibus, *Copiæ*, fertilitatis Deæ, dicârunt. Inde Nympharum una Herculi

culi victori, spectatoribúsque certaminis, inter quos Theseus & Pirithous, è prædivite cornu mensas secundas apposuit. Achelous truncato cornu jam modestior & nativam in formam reversus (fluvium scilicet) sub undas in domicilium suum se retulit, inhonori capitis fœditatem corona salignâ, aut arundinea occultaturus.

Ethica.

I. (a) Acheloo convitijs magis, quàm viribus Herculem provocanti, respondit heros:

------- melior mihi dextera lingua:
Dummodo pugnando superem; tu vince loquendo.

Rectè, & fortiter. Sic etiam Turnus respondit Dranci, homini gloriabundo, & cœlum armis territanti. 11. Æneid.

Larga quidem semper, Drance, tibi copia fandi;
Tum, cùm bella manus poscunt, patribúsque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,
Quæ tutò tibi magna volant.

Et ibidem. ------- tibi Mavors
Ventosa in lingua, pedibúsque fugacibus istis.

Suidæ ἄρης, Mars, dicitur ἀπὸ τοῦ ῥῶ *dico*. Et à privante: id est, *sine dictis*. In bello námque opus est factis, non verbis. Inde Homerus. 16. Iliad.

ἤ τι χρὴ μῆθον ὀφέλλειν, ἀλλὰ μάχεσθαι

Nihil opus est verba augere, sed pugnare.

Unde laus illa Jugurthæ apud Sallustium: *Plurimum facere, & minimum ipse de se loqui*, scilicet solebat. Nihil odiosius præsertim in milite, quàm lingua ostentatrix, juxta veterem jambum:

Bellator ore, re ferè ignavum pecus.

Talis fuit Thraso, miles ille glorioſus Pyropogopolinices apud Plautum, qui gloriabatur clypeum se gestare sole clariorem: qui totas regiones uno difflabat spiritu: qui lancea perforabat cœlum, & sidera in pallorem ac metum dabat. Ita tumentem, magis etiam inflavit Artotrógus parasitus; adeò ut ad auram à Sycophanta factam, os atque nares instar bubali diduceret Pyropogopolinices. Non absimilis huic jactatori miles ille, qui rogatus à Duce genus & originem: Bellona, inquiebat, me genuit: Mars lustravit infantem: victoria nutrix fovit sinu;

(a) *Jactantia militaris sordet.*

nu : cadentem de matre clypeo excepit; vix auras traxi, & jam vagitum, allisi umbonibus. Vah thrasonicè. Qui sapit, heroëm ostendet potiùs provocatus, quàm ut jactet illaudatus. Acheloo cornua superbiùs efferenti, decussit Hercules, docuítque Martem in manu, non in lingua gestandum.

II. (*b*) Hîc nota, cum audacia sæpius contumelioſam & jactabundam linguam esse conjunctam; audaciam verò oriri vel ex inscitia & stupiditate, ut quis virium suarum debilitatem aut præsentis periculi magnitudinem non cognoscat; vel ex fastu, quô alios ferociter despicit, quasi nulla ratione sibi pares, vel ex inani gloriæ cupiditate, cùm quis nescio cuius leviusculæ auræ rumoribus excitatus ad stipendium vanitatis promerendum, vitæ amorem calcat, & falsò fortitudinis nomen ac existimationem aucupatur, cùm tamen intus timoribus agatur. Aristoteles θρασύδειλον, id est, audaciam timidam vocat; talis enim antequam res urgeat, præproperus est & insolens; in pugna verò tardior; cùm contra viri fortes initio seduli sint, & in ipsis factis acres & celeres; cuius rei exemplum nescio an expressius reperias, quàm Xerxis Persarum regis, qui primus in fuga semper fuit; sicubi verò metus abesset, inflatus adeò, quasi naturæ dominus, ante belli experimentum montes in planum deduceret, convexa vallium æquaret, & maria pontibus sterneret. Timiditatis eius, quòd Valerius testatur, lepus erat signum, equæ partu editus tunc, cùm adversus Græcos innumerabilem exercitum duceret, mare classibus, terram pedestribus copiis operiret, unáque denique scaphâ turpiter salutem in fuga quæreret. lib. 1. c. 77. Addo multis temeritatem & Acheloi cornua fiducia artis magicæ crescere, qua præfidentes sperant se adversus omnium telorum ictus, induratos & invulneratos fore, exemplo Acheloi specie serpentis è manibus Herculis elabentis, & repentè taurum induentis. Sed frustra. Superbiam & ferociam egregiè domuit antagonista, dum fracto deformem & lacerum cornu spectantibus risum ac ludibrium fecit. Thrasonicam Acheloi ostentationem satis illa declarant:

------- Dominum me cernis aquarum.

Sarcasmos verò & criminationem:

Jupiter aut falsus pater est: aut crimine verus.

Exprobrando scilicet Alcidi natales suos. Vbi vides genium expressum hominis stolidè ferocientis; sed ubi vires adversarij expertus est, effugium à timore & anguinea lubricitate petentis, terræque irrepentis.

Per

(*b*) *Audacia temeraria & timida.*

Per Acheloi ſerpentinam & taurinam formam exprimitur quoque doloſus Sophiſta, aut hæreticus, qui virus peſtilentis doctrinæ jam inſtar ſerpentis ſub SS. Scripturæ malè corruptæ volumine clàm illabendo inſinuat in animos; jam convitiis, contumeliis, ſeditionibus, armis debacchando in Religionem Orthodoxam, conatur omnibus modis impugnare veritatem, quæ per Herculem deſignatur, *nulli cedentem*, & tam adverſus vafras *Serpentis* inſidias, quàm feroces tauri incurſus prævalentem.

III. (c) Achelous robore, & vera virtute victus, ad artes ſuas dilabitur. Pingit nobis verſuti Ducis ingenium: qui ubi ſe aperta vi & armis hoſti parem eſſe non poſſe videt, clancullariis technis, inſidiis, & Strategematis illum aggreditur. Sic Annibal, poſtquam ſuis ſe artibus à Fabio petitum vidit, minùs ſperare cœpit de felici belli exitu, referente Livio. Sic Jugurtha callidis ferè conſiliis & fruſtrationibus Romana eluſit arma, narrante Salluſtio. Contrà, Hercules ſemper indutus legitur pelle *Leonina*, nunquam autem *Vulpina* aut *Serpentina*. Vera enim virtute & fortitudine, apertóque Marte adortus hoſtes, ſuperavit eos. Sic Alexander magnus ſuadentibus Ducibus, ut Darij exercitum, diſcordem moribus & linguis, intempeſta nocte opprimeret, reſpondens, latrunculorum, inquit, & furum iſta ſolertia eſt: quippe illorum votum unicum eſt, fallere. Meæ verò gloriæ ſemper aut abſentiam Darii, aut anguſtias locorum, aut furtum noctis obſtare non patiar. Palàm luce aggredi certum eſt. Malo me fortunæ pœniteat, quàm victoriæ pudeat. Curt. lib. 4. Negari tamen non poteſt, locum eſſe in bello callidis conſiliis, & artibus; adeóque Duci militari aliquando *Serpentis* aſtu, juxta exemplum Acheloi utendum: dextrè ſuſtinendo hoſtem elabendum eſſe, ſubterfugia quærenda, impreſſiones & aggreſſiones validiores variis flexibus eludenos: aliquando aperta fronte decertandum, & inſtar *tauri* in adverſas acies incurrendum. Poëtæ dictum eſt.

—— Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

Aſſentitur ſacrorum antiſtes Auguſtinus in Quæſt. ſuper Joſue c. 10. *Cùm juſtum bellum ſuſcipitur, ut aperte pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt.* Taurorum eſt, cornibus ſolùm fidere. Conſilium, latebræ, nox, flumina, ſilvæ, colles, venti bella juvant. In omnem eventum Duces quidam præparati, fortunam in poteſtatem habuere; territi exultaverunt; preſſi terruerunt. Serpentis calliditatem taurinæ ferociæ junxit Annibal, quando à Romanis in actum redactus, boum cornibus faſces virgarum, atque arida ſarmenta præligavit, primásque ſub noctis tenebras,

(c) *Pugnandum Marte aperto, & ſtratagematis.*

cornibus accensis furentes boves, super saltus ab hoste insessos egit, latéque terrorem ac fugam spargendo, sibi viam effugiendi aperuit. Liv. lib. 22. Rectè tamen monet Florus lib. 1. c. 12. Eam vir sanctus & sapiens sciet veram esse victoriam, quæ salvâ fide & integra dignitate parabitur. Nam contra pacta & fœdera fraudem quis probet? quis item vilem aliquam & abjectam? ut siquis hostem veneno tollat, aut ciàm immisso, emptóque percussore?

IV. (*d*) Achelous & alii fluvii tauris similes effinguntur, quoniam vel cum impetu irrumpentes, tauris similem edant mugitum: vel quia circa ripas fluminum tauri mugire uberiora ob pascua audiantur. Achelous etiam draconis sive serpentis figuram assumpsit, quia & ipse, & amnes alii sinuoso deferuntur cursu. Acheloum temerè & cum impetu per Ætoliam ruentem, agrósque infestantem, Hercules aggeribus & aquæ ductibus coërcuit & extenuavit, unde dictus est fluvio taurinum cornu defregisse; vel juxta alios, Acheloum geminis alveis labentem, alterum eorum vertit aliò, & sic plurimos Ætolis asseruit agros, omni fructuum genere fertiles. Et quia magnæ commoditates hauriuntur è fluviis, præsertim navigabilibus, Cornucopia, seu copiæ cornu, variorum Autumni fructuum ferax, felicitatis & abundantiæ Symbolum, ex Acheloi cornu exorta fingitur.

V. (*e*) Neque inane est, quod Nympharum una è Dianæ gynæceo Herculem Victorem velut gratulabunda excepit,

--------- totúmque tulit prædivite cornu
Autumnum, & mensas, felicia poma, secundas.

It enim *virtuti fortuna comes*, & dulcis est fructus laborum. Hinc hieroglyphicum: Cornu copiæ, affulgente sole, utraque manu, velut in fœdus porrecta, sustinetur. Inscriptio. *Non deficit alter*, id est, nec sol, nec terra deficit ad frugum copiam procreandam, quando nostræ manus non deficiunt junctim sustinendo. Addunt Poëtæ Herculem peracto certamine palmáque relatâ Acheloi Cornu Dejaniræ sponsæ pro munere nuptiali donasse; quò ostenditur, sudore & fortiter faciendo famam, laudem, felicitatem, velut sponsam domum duci. De sponsis virtute obtentis alibi diximus. Cornu copiæ ex lucta reportatum indicat, Dulcem è bello nasci Pacem, cum Bonis adjunctis, de quibus Poëta Venusinus Epid. carm. sæc.

Jam Fides, & Pax: & Honos, Pudórque
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet: apparétque beata pleno
Copia Cornu.

M. Per-

(*d*) *Fluviorum utilitas.* (*e*) *Copiæ cornu virtutis præmium.*

M. Perpenna Dux belli Romanus, ut significaret felicissimum orbis imperium esse in *pace* & *abundantia* rerum, Cornu-copiæ, & caduceum, globo terræ appinxit. Huc alterum pertinet cornu-copiæ, seu *Amaltheæ*, sive hæc capra fuerit, sive Nympha Melissi filia, quæ lac caprinum Jovi infanti, & in Creta, propter parentis Saturni tyrannidem occultato, præbuisse dicitur. Capra inter sidera relata est; ejus cornu in officii præmium nutrici datum, cum adjecto, ut quidquid optaret, id illi ex eo copiæ cornu largiter suppullularet, & enascerétur.

Unde disces grati virtutem animi.

SYMBOLVM L.

Bivium Herculis.

Ex Prodico Philos. Xenophonte 2. Quintil. lib. 9. c. 2. Cic. 1. Offic.

Ethicè.

1. Virtus & voluptas occurrunt homini in bivio. 2. Herculis imitator Scipio. 3. Littera Pythagoræ. y. 4. Ejusdem explicatio. 5. Bivium Litterarum. 6. Adolescentiæ lubrica via. Invitamentum voluptatis. 7. Attende, quam ingrediaris viam à primis annis.

1. ANtequam referamus ea, quæ Hercules dedit lacertorum robore, fortitudinis specimina, enarranda mentis est excellentia, quæ in ipso etiamnum adolescente eluxit, dum in *Bivio* Voluptatis & virtutis positus, egregiam de se ipso victoriam obtinuit, ac repudiatis vitæ mollioris illecebris, virtutem ad ardua vocantem generoso voluptatis contemptu secutus est. Describit hanc luctam *Prodicus* Sophista Cous, qui Herculem jam puberem, viriléque gerentem animos duplici in via statuit; & utrique huic (a) *Virtutem*, *Voluptatemque* tanquam duces præficit: quarum altera arrogans procáxque; altera serio vultu, modesto incessu, virili voce, aspectu mansueto, liberali ingenio, corpore munda, oculis verecunda, gestu modesta inducitur: Illa, scilicet *Voluptas*, lasciva, fucata, cultu molli, impudenti obtutu, incomposito gradu, fracto sermone, invitat ad prata, ubi vernantes rident

(a) *Virtus & voluptas in bivio se Herculi objiciunt, ille virtutem sequitur.*

flores, placidè labuntur amnes, suaviter canunt volucres, leniter spirant auræ, arbores frondibus & fructibus luxuriant, verbo, merus paradisus oculis objicitur. Altera, nempe *Virtus*, alia omnia ostendebat, scilicet spinas & vepres calcandos, clivos scandendos, calles difficiles, non citra sudorem & pulverem obeundos, salebras transmittendas, prærupta superanda, saxis non tantùm inambulandum, sed etiam indormiendum. Quid consilii hîc fuit Herculi? rejectis malesuadæ voluptatis blanditiis, virtuti se comitem offert; hac duce & auspice per aspera & inamœna gradum infert; eóque pervenit denique, ut *Honor* ei, *Gloriáque* occurrens lauris & palmis prælatis, futurum Orbis victorem salutarent.

II. (*b*) Hoc ipsum eleganter *Silius* lib. 15. expressit, qui Scipionem Æmilianum, Africanum minorem, sub arbore lauro considentem, ac belli cogitationibus districtum fingit, cui se voluptas & virtus offerunt; & illa quidem difficultates atque incommoda virtutis ei ante oculos ponit, ut juvenem ab ejus studio & amore absterreat, atque ad se amplectendam provocet. Contrà virtus voluptatem, ut juvenum perniciem reprehendit, multísque rationibus cogitabundum, ad sui cultum pertrahere contendit. Illa ait:

------ moneo, certare periclis
Desine, & armisonæ caput objectare procellæ.
Ni fugis hos ritus, virtus te sæva jubebit
Per medias volitare acies, mediósque per ignes
Hæc patrem, patruúmque tuos, hæc prodiga Paulum,
Hæc Decios, stygias Erebi detrusit ad undas,
Dum cineri titulum memorandáque nomina bustis
Prætendit, nec sensuræ quid gesserit umbræ.
At si me, comitére puer, non limite duro
Jam tibi decurret concessi temporis ætas;
Haud unquam trepidos dirumpens buccina somnos:
Non glaciem Arctoam, non experiere furentis
Ardorem cancri, nec mensas sæpe cruento,
Gramine compositas: aberit sitis aspera, & haustus
Sub galea pulvis, partíque timore labores:
Sed current, albúsque dies, horaéque serenæ,
Et molli dabitur victu sperare senectam:
Huc adverte aures. Currit mortalibus ævum,
Nec nasci bis posse datur: fugit hora, rapítque

Tarta-

(*b*) *Herculem imitatus est Scipio Æmilianus.*

Tartareus torrens, ac secum ferre sub umbra,
Si qua animo placuere, negat. Quis luce suprema
Dimisisse meas serò non ingemit horas?
Hæc aliáque insidiosè proloquenti respondit Virtus:
Quantùm sola noces animis illapsa Voluptas?
Ebrietas tibi fida comes, tibi *Luxus*, & atris
Circa te semper volitans *Infamia*, pennis.
Mecum *Honor*, & *Laudes*, & læto *Gloria* vultu,
Et *Decus*, & niveis *Victoria* concolor alis.
Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus,
Castra mihi domus, & celso stant colle penates,
Ardua saxoso perducit semita clivo.
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur *Labor*, adnitendum intrare volenti;
Nec bona conscendunt, quæ *Sors* infida dedisse
Atque eadem rapuisse valet: mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus; omnia contra
Excipienda manent, quàm spondet blanda voluptas
Stramine projectus duro, patiere sub astris
Insomnes noctes, frigúsque, famémque domabis:
Idem Justitiæ cultor, quæcunque capesses,
Testes factorum stare, arbitrabere Divos.
Tunc quoties patriæ, rerúmque pericula poscent
Arma feres primus, primus te in mœnia tolles
Hostica, nec ferro mentem vincére, nec auro.
Hinc tibi non Tyrio vitiatas murice vestes,
Nec donum deforme viro fragrantis amomi,
Sed dabo, qui vestrum sævo nunc Marte fatigat
Imperium superare manu, Laurúmque superbam
In gremio Jovis excisis deponere *Pœnis*.

Placuit strenuo Juveni virtutis oratio & via. Tam pacis, quàm bellicis artibus ita excelluit, ut Carthaginem & Numantiam everterit.

III. (c) Ambiguum juventutis tramitem etiam Samius ille philosophus, senex Pythagoras indicarit, qui cursum vitæ humanæ, litteræ Y. comparavit, cuius basis pueritia, summum autem basis, ubi videlicet duo cornua oriri incipiunt, limen seu initium adolescentiæ; quod quisque hominum cùm attigerit, hæreat, ac nesciat in utram se se partem det, dextrámne

(c) *Littera Pythagoræ Y idipsum significat.*

ne, an lævam vitæ agendæ viam teneat. Illam esse virtutis, bonarúmque artium, asperam quidem, sed exitu jucundam & amœnam: hanc luxuriæ, inertiæ & ignaviæ, gratam & suavem in speciem, fine ipso plenam miseriæ. De hac littera extat epigramma in appendice Virgiliana.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ vitæ speciem præferre videtur:
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilémque aditum primùm spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvítque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudémque, decúsque parabit.
At qui desidiam, luxúmque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incautâ mente labores,
Turpis, inópsque simul, miserabile transiget ævum.

IV. (*d*) Meminit huius litteræ Lactantius lib. 6. c. 3. de vero cultu. Duæ sunt, inquit, Constantine Imperator, viæ, per quas humanum genus progredi necesse est; una quæ in cœlum ferat; altera quæ ad inferos deprimat; quas & Poëtæ in carminibus, & Philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem Philosophi alteram virtutum voluerunt, alteram vitiorum; eámque quæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse & arduam, & confragosam; in qua si quis difficultate superata, in summum eius evaserit? habere eum de cætero planum iter: lucidum, amœnúmque campum, & omnes laborum suorum capere fructus uberes atque jucundos. Quos autem primi aditùs difficultas deterruerit; eos in eam vitiorum viam labi, atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multóque tritior: deinde cum in eam paulo ulteriùs processerint, amœnitatis eius speciem repentè subduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus interciſam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eò proferuntur, ut appareat in virtutibus capiendis, labores esse maximos; in perceptis autem, maximos fructus, & solidas, atque incorruptas voluptates: vitia verò quibusdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum, & inanium jucunditatum specie captos, ad acerbas amaritudines, miseriásque perducere. Vna itaque est virtutis ac bonorum via, quæ fert (ut Poëtæ loquuntur) in Elysios campos;

(*d*) *Pythagoreum Y. Lactantius explicat.*

—At

---- At læva malorum ---------
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

In illa, *opulentia*, *honor*, *quies*, *illecebræ* omnes: Sed cum his *injuſtitia*, *crudelitas*, *ſuperbia*, *perfidia*, *libido*, *cupiditas*, *diſcordia*, *ignorantia*, *mendacium*, *ſtultitia*, cæteráque vitia. Exitus autem in profundum præcipitat.

In hac *juſtitia*, *temperantia*, *patientia*, *fides*, *caſtitas*, *abſtinentia*, *concordia*, *ſcientia*, *veritas*, *ſapientia*, cæteræque virtutes; ſed ſimul cum his *paupertas*, *labor*, *dolor*, *amaritudines* multæ. Felix, qui poteſt perpetuis bonis mala brevia penſare, & bonis brevibus contemptis mala æterna exire! Hæc ille.

V. (*e*) Atque hoc Herculis bivium non ad mores tantùm, ſed etiam ad litteras pertinet. Sanè quod de Dialecticâ ſcripſit Gellius lib. 16. c. 8. ad quamlibet doctrinam liberalem, atque ad Chorum totum muſarum æquè referri poteſt. Hujus diſciplinæ ſtudium atque cognitio, inquit, in principiis quidem tetra, & aſpernabilis, inſuavísque eſſe, & incivilis videri ſolet: ſed ubi aliquantùm proceſſeris, tum denique & emolumentum in animo dilucebit tuo, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis. Vulgò dicitur: *Scientiam neminem habere hoſtem, niſi ignorantem.* Qui enim in adyta diſciplinarum ſemel introiverunt, ij demum experiuntur, quàm ſit verum illud Ariſtotelicum: radices litterarum amaras eſſe, fructus verò dulces.

VI. (*f*) Equidem lubricè ambulat adoleſcentia; videt meliora, nec rarò probat; plerúmque tamen peiora ſequitur. Potens eſt illicium Pravitatis, cenſetúrque via tutior, quà plures præcedunt; ſed fallit exitus. Sapientiſſimus regum, inter ea, quæ difficillimam videbantur explicationem habere, numerat *viam viri in adoleſcentia ſua.* Prov. 30. ubi ſic loquitur: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentiâ ſuâ.* Eſt enim mobilis, vaga, inſtabilis hæc ætas ob calorem & fervorem ſanguinis. Adeóque ſicut viæ *aquilæ*, *colubri*, ac *navis* ſunt obliquæ, ac tortuoſæ, atque difficulter inveniuntur, quia nullum poſt ſe veſtigium relinquunt: ita & via, hoc eſt, vitæ ratio, quam quis in adoleſcentia ſua loquitur, difficilè intelligitur; quippe cùm adoleſcens ſe per omnes horas in diverſa torqueat, & nunc huc, nunc illuc rapiatur, nec pronum ſit advertere, quò tendat. S. Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel. c. 4. eleganter commentatur in illum locum

(*e*) *Herculis bivium etiam ad litterarum ſtudia refertur.* (*f*) *Adoleſcentia lubrica via.*

cum Proverb. 9. v. 13. 14. 15. 16. (g) *Mulier ſtulta & clamoſa, plenáque illecebris, & nihil omninò ſciens, ſedet in foribus domûs ſuæ ſuper ſellam in excelſo urbis loco, ut vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo: Qui eſt parvulus declinet ad me, & vecordi locuta eſt* &c. Hæc inquit mulier, eſt ſuada meretrix, ſeu vecors Voluptas, meretricio procax motu, infracto per delicias inceſſu, nutantibus oculis, & ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretioſas juvenum animas capit; quemcunque viderit ſenſu indigum, prætereuntem, ſermonibus adoritur gratioſis, quibus facit juvenum avolare corda, pudore vilis, amictu dives, genas picta, vitiorum ſuccincta comitatu & quodam nequitiarum choro circumfuſa. Theſauros demonſtrat, regna promittit, amores ſpondet, inexploratos concubitus pollicetur, ſine pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones, vitam ſine ſollicitudine, mollem ſomnum, inexplebilem cupiditatem. Atque hæc eſt illa ſeductrix, quæ parvulos, hoc eſt, imprudentes adoleſcentes in tranſverſum agit, à dextro tramite in ſiniſtrum torquet. Hæc S. P. Igitur quiſquis es, qui cum Hercule vis monſtrorum, hoc eſt, vitiorum domitor evadere, ne ſinas te à recta virtutis ſemita deflecti, *nam ſi ſapiens fueris; tibimet-ipſi eris: ſi autem illuſor* (id eſt, irriſor & contemptor benè monentium) ſolus portabis malum, Prov. 9. ſcilicet exitium tibi accerſes ſempiternum.

VII. (h) Ibidem cap. 22. legimus: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Hebræi habent *juxta os viæ ſuæ*, id eſt, bivium. Hinc Vatablus: initia, inquit, puerum juxta bivium viæ ſuæ, id eſt, inſtitue & erudi puerum ab incunabulis, ut recto tramite virtutis incedat: plurimùm enim intereſt, ad dextram an ad lævam deflectat. Rectè autem os viæ, vocatur bivium, quia ſicut os eſt bifidum (finditur enim in duo labra) ſic bivium ſecatur in duas vias. Pulchrè Clemens Alexand. lib. 1. pædag. c. 5. Eſt, inquit, in nobis uber ætatis, ipſa juventus. Nam ſicut ex materno ubere lac ſugitur, quo omnia infantis membra nutriuntur: ita ex juventute hauriuntur mores, quibus reliquæ ætates informantur. Quatuor verò de cauſis dæmon adoleſcentes maximè venatur. Primò, quia ſcit à Deo pios adoleſcentes maximè amari & expeti, ideò hunc florem ætatis gaudet Deo præripere. Secundò, quia ſic viam ſternit ad ſequentis vitæ peccata. Tertiò, quia adoleſcentes facilè falli, difficilè ſe expedire è diaboli vinculis poſſunt. Quartò, quia dum peccant, impotenter peccant. Hæc ille. Unde videant

(g) *Invitamentum voluptatis.* (h) *Multum eſt ſitum in primo bivij Herculei aditu.*

deant etiam atque etiam adoleſcentes, quam ab ineunte pueritia ordiantur telam, quæ puris paratiſque ad ſationem mentibus mandent ſemina: quibus colorum initiis rudes animarum tabulas imbuant, ad quas artes, cogitationes appellant, quod arripiant vivendi genus, quam ſtudiorum ineant viam. Etenim quam quiſque à teneris capeſſiverit vitæ rationem, eam ad exactum uſque ſenium retinebit. Quocirca Sophar amicus Jobi c. 20. *Oſſa*, ait, *ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Cur quæſo, non dixit caro, ſed oſſa ejus? Planè, ſicut quæ oſſibus inſident, cum ipſis dureſcunt ac durant, ita prorſus vitia juventutis, ut ibi notat D. Gregorius, quotidie duriora exiſtunt, ut etiam in ſenectute ſolidentur.

SYMBOLVM LI.

Herculis acta, & apotheoſis.

Ex 9. Metam. 8. Æneidos, Seneca in Hercule Furente & Oetæo & Natali Comite, Mythologiæ lib. 7. c. 1. aliisque.

Ethicè.

1. Cupiditates & affectiones indomitæ ſunt monſtra Herculis. 2. Hydra Lernæa eſt invidia, capitoſa plebs, & ſeptem vitia capitalia. 3. Rationis, & Appetitionis pugna per Herculem & Antæum expreſſa. 4. Leo Herculeus ſymbolum heroum. Temerarius congreſſus. 5. Labores Herculis morali ſenſu. 6. Libidinis ſervitus. 7. Virtus gaudet aſperis. 8. Inſerit aſtris. 9. Invidiæ malum. 10. Fraudis & teæ conſcientiæ detectio. 11. Herculis apotheoſis. 12. Samſonis & Herculis comparatio.

HErcules Jovis & Alcmenæ filius, nomen habet ab Ἥρα Junone, & κλέος gloria, quòd ejus imperijs, magna vi animi & corporis exhauſtis, immenſam gloriam ſit adeptus. Dictus etiam *Alcides*, vel ab *Alcæo* avo materno, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à robore & fortitudine; quæ ipſum toto terrarum orbe celebrem reddidit: Ex ejus facinoribus, quæ *labores* à Poëtis appellantur, illuſtriora quædam, & ad inſtitutum noſtrum magis facientia, adducemus.

Primum virtutis ac fortitudinis documentum jam in cunis dedit, cùm geminos angues à Junone immissos, teneris unguiculis elisit. 2. Adultior, *Hydram*, draconem pluribus capitibus pullulantem, face & ferro in *Lerna* palude oppressit. 3. *Cervam* æreos pedes, aurea cornua habentem in Mænalo Arcadiæ monte, cursu comprehendit, atque interfecit. 4. In Nemeæa silva, juxta *Cleonas* oppidum, inusitatæ magnitudinis *leonem* jugulavit, qui neque ferro, neque ligno, neque lapide interfici poterat; & detractam pellem pro insigni gestavit. 5. *Diomedem* Thraciæ regem, equos suos hospitum carnibus & sanguine pascentem devicit, devictúmque, suísmet equis in pabulum dedit, & equos postea trucidavit. 6. In Erymantho, Arcadiæ monte, terribilem *aprum*, omnia circumcirca vastantem, cepit, eúmque vivum ad *Eurystheum*, Mycenarum regem, durissima quæque Junonis nomine imperantem; attulit. 7. *Stymphalidas* aves humanis carnibus vescentes, (à Stymphálo Arcadiæ oppido, vel lacu, vocatas) solis radios multitudine, & magnitudine obumbrantes, omnémque Arcadiam evastantes, sagittis confixit: vel ut alii volunt, ahenei sonitu crepitaculi procul fugavit. 8. *Taurum*, insulam Cretam damnis & terrore replentem domuit, eúmque vinctum ad Eurystheum attulit: qui postea eum Atticæ regioni immisit non minore cum noxâ: sed à Theseo interfectus est apud Marathonem. Ovid. 7. Metam: 9. *Acheloum*, Calydoniæ fluvium cornibus ferocem superavit, & uno cornu truncavit. 10. *Busiridem* Ægypti regem hospites suos mactantem occidit. 11. *Antæum Terræ* filium, immani magnitudine & crudelitate gigantem, secum luctari cogens, semel, iterum, ac tertiùm prostravit. Verùm cùm ea esset adversarij vis, ut quoties terram, scilicet matrem suam, attingeret abjectus, toties validior resiliret ac resurgeret; Hercules medium arreptum, è terra sublimem tamdiu sustinuit & compressit, donec disruptus exspirârit. 12. *Calpen* & *Abylam*, montes, alterum in extremis Hispaniæ, alterum in Mauritaniæ finibus, antea conjunctos, disjunxit. 13. *Aurea mala* in Hesperidum hortis, interempto priùs dracone pervigili, qui ea custodiebat, sustulit. 14. *Cœlum*, jam fessо, & succumbente ponderi Atlante, humeris tulit. 15. *Geryonem*, Hispaniæ regem tricorporem, bello superavit, ejúsque armenta abduxit. 16. *Cacum* latronem, Vulcani filium, semihominem & flammivomum, bovésque abactos, & cauda arreptos aversis vestigijs in speluncam suam trahentem, oppressit. 17. *Lacinium* latronem, extremam Italiæ oram infestantem, sustulit, ibique

bíque Junoni Laciniæ templum constituit. 18. *Centauros* Thessaliæ populos, bimembres, id est, partim homines, partim equos, cecidit; nam cùm à *Pholo*, uno ex Centauris, hospitio fuisset perhumaniter exceptus, aliique Centauri vini odore concitati in pocula involare vellent, alii pinus cum radicibus evulsas pro armis haberent, alii saxa ingentia, alii lampades accensas, alii secures magnas; commissum est prœlium; Hercules multos trucidavit, cæteros in fugam vertit. 19. *Augiæ* regis Elidis stabulum, trium millium boum capax, immisso Alphéo flumine repurgavit. 20. *Hesionem* Laomedontis Troianorum regis filiam, monstro marino expositam, liberavit, occisô priùs cetô: sed cum Laomedon equos præstantissimos, in prœmium illi promissos denegaret, Hercules indignatus Troiam evertit, & interempto rege, Hesionem Telamoni, qui primus murum conscenderat, in partem prædæ concessit. 21. *Amazones*, bellicosas mulieres, magnam Asiæ partem occupantes (dictas, quod altera è mammis careant ab A. privante, & μάζος mamma, quam lævam, arcûs tendendi causâ sibi præciderant) debellavit, earúmque reginam *Hyppolyten* cepit, eiúsque baltheum ad Eurystheum retulit. Captam verò, Theseo bellorum socio dedit, ex qua Hippolytum, insignem & castissimum juvenem suscepit. 22. Ad inferos descendit, & *Cerberum* tricipitem canem, iter prohibentem, triplici catena vinctum ad superos traxit, Theseúmque amicissimum ab inferis reduxit. 23. *Aquilam*, quæ Promethei in Caucaso monte religati perpetuò renascens jecur exedebat, sagittis trajecit. 24. *Brevia*, & *Syrtes*, periculosissimos in mari Libyco sinus, amissâ navi, pedes superavit. 25. *Columnas* duas, de ejus nomine Herculeas dictas, in mari Gaditano erexit.

Atque hic tantus, talisque Hercules, post tam egregia fortitudinis documenta, in molles feminarum amores incidit, miseréque interiit. In iis *Omphále* fuit, regina Lydiæ, quæ fortissimum virum adeò dementavit, ut cogeret eum sagittas & clavam, leonisque exuvias, cum calatho & colo, cultúque femineo permutare, & fusum trahere.

Quod exprobrat ei Deianira apud Ovid. in Epist.

Non pudet Alcidem victricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassáque robusto deducis pollice fila:
Æquáque formosæ pensa rependis heræ.
Diceris infelix scuticæ tremefactus habenis.
Ante pedes Dominæ pertimuisse minas.

Deinde in amores *Ioles*, Euriti Oechaliæ Regis filiæ, delapsus est; quod cùm Deianira conjux resciviſſet, per *Lycham* servum, tunicam ei submisit venenato Nessi Centauri sanguine (quem Hercules ob intentatum uxori suæ flagitium, sagittis trajecit) infectam; futurum rata, ut ea res languentem mariti amorem excitaret, eúmque ab aliis feminis avulsum, ad se unam revocaret; nam Centaurus moriturum se sentiens, ut hostem ulciſceretur, vim vesti amatoriam ineſſe perſuaſerat. Quam cùm Hercules ſacrificaturus induiſſet, cœpit paulatim virus colore membrorum reſolvi, & præſentiſſimam peſtem per omnes artus ſpargere. Tantis cruciatibus in furorem heros verſus, Lycham famulum, ignarum fraudis, è Cenæo monte in Euboicum mare præcipitavit; ipſe autem fruſtra conatus excutere flammam, poſtquam arcum & Sagittas *Philoctetæ*, fideli laborum & itinerum comiti donaverat, in ardentem ſe pyram, in *Oeta* monte exſtructam conjecit, & inter graves ejulatus, animam efflavit. Quod Deianira audiens, dolore percita, mariti ſe clavâ interfecit; ex cuius ſanguine poſtea nata eſt herba, quæ *Nymphæa* & *Heracleon* dicitur. Hercules autem tanquam expiatus ignibus, meliore ſui parte in cælum abiit, ubi receptus inter Deos, dignum tantis laboribus præmium eſt conſecutus.

Præcipuos labores ac laudes Herculis enumerat Ovidius. 9. Metam. hiſce verſibus.

Mors mihi munus erit; decet hæc dare dona novercam (*a*)
Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Buſirin domui? ſævóque alimenta parentis
Antæo eripui; nec me paſtoris Iberi
Forma triplex, nec forma triplex tua Cerbere movit?
Vósne manus validi preſſiſtis cornua tauri?
Veſtrum opus Elis (*b*) habet, veſtrum Stymphalides undæ,
Partheniúmque nemus? (*c*) veſtrâ virtute relatus
Thermodoontiaco cœlatus baltheus auro?
Pomáque ab inſomni malè cuſtodita dracone?
Nec mihi Centauri potuere reſiſtere, nec mî
Arcadiæ vaſtator aper? nec profuit Hydræ
Creſcere per damnum, geminásque reſumere vires?
Quid? cùm Thracas equos humano ſanguine pingues,
Plenáque corporibus laceris præſepia vidi,
Viſáque dejeci, dominúmque, ipſósque peremi?
His eliſa jacet moles Nemeæa lacertis:

(*a*) *Iunonem.* (*b*) *Augiæ ſtabulum.* (*c*) *Vbi Cerva aripes.*

His

His jacet horrendum Tiberino gurgite monſtrum:
Hac cælum cervice tuli. Defeſſa jubendo
Sæva Jovis conjux: ego ſum indefeſſus agendo.

Qui Herculis facinora ad hiſtoriam revocant, dicunt eum ætatis ſuæ ducem præſtantiſſimum fuiſſe, magnásque ductâſſe copias: quidquid terrarum Oceano cingitur, peragrâſſe: ſuſtuliſſe tyrannos, quotquot erant graves, & ſubjectis intolerabiles; aut ſiqua civitas injuriosè finitimas diciones infeſtaret, immani aſſueta victui, aut hoſpitum nefariis gaudens cædibus. Pro quibus legitima regna, moderatásque respublicas conſtituit, & in vitam, humanos induxit mores, ac ſociabiles. Adhæc cum Græcis juxta verſatus eſt ac barbaris, cum maritimis, atque mediterraneis: quibus antea malè conveniebat per infida commercia; & in deſertis terris urbes condidit, fluminâque avertit, campos inundantia; vias aperuit in difficilibus aſcenſu montibus; nihil non molitus, ut mare & terra quàm latiſſimè paterent cunctorum uſibus mortalium. Hæc Dionyſ. lib. 1.

Ethica.

I. (*d*) Si moralem ſenſum ſpectemus, quid aliud ſunt tot monſtra domita, & exterminata, quàm pravæ concupiſcentiæ ſub jugum rationis miſſæ, & varia animi vitia expugnata? Nam quòd Hercules etiamnum infans cunabula ſua virtute illuſtrârit, geminos ſerpentes ſuffocando, quid aliud innuitur, quàm indolis bonæ radios jam in prima ætatis aurora eluceſcere? *Segullum* eſt terræ genus in ſummo ſolo, ex quo metallarii cognoſcunt ſubeſſe venam auri: quare viſis his ſignis perfodiunt terram, & latens aurum eruunt. Pari ratione pueritia dat ſpecimina futuræ probitatis vel improbitatis. Ovidius canit:

Ingenium cœleſte ſuis velociùs annis
Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Et illud alterius Poëtæ:

------- Virtus non poſtulat annos.

II. (*e*) Hercules ab anguibus ad Hydram, ſeu Draconem, gradum pugnando & vincendo fecit. Quæ bellua quid aliud eſt, quàm vel *Invidia*, quæ ſuperanda, ad virtutem graſſanti; vel plebis opinio & obtrectatio, utique viro forti & ſapienti contemnenda. Utrumque expreſſit Horatius. De Invidia in Epiſtolis ait:

(*d*) *Cupiditates indomitæ ſunt monſtra Herculea.* (*e*) *Hydra Lernæa eſt invidia, plebs capitoſa, & 7. vitia capitalia.*

----- Diram qui contudit hydram,
Notáque fatali portenta labore ſubegit.
Comperit invidiam ſupremo fine domandam

Idem de plebe lib. 2. Epiſt. 1.

Bellua multorum es capitum? nam quid ſequar? aut quem?

Alii namque aliis tenentur ſtudiis, & difficile eſt ſeligere, quos imiteris. Non enim, inquit Seneca, ea felicitas eſt mortalium, ut tutior ſit via, quà plures præeunt. Et univerſim de vitiis dici poteſt, reſectis aliis, alia ſubnaſci. Horat. lib. 4. Od. 4.

Non hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

Hinc in adagiis *hydram ſecare*, dicitur, cui poſt multiplices victorias, ſemper nova ſeges pugnandi objicitur. Expertus eſt Hercules, cui poſt Lernæam belluam interfectam, cum novis identidem monſtris decertandum fuit. Ubi notandum, ad hydram perimendam, & ferro & igne opus fuiſſe, quô adurerentur ſuccreſcentes capitum fibræ: nam fruſtra ferro compeſcas malum, niſi ſemen mali tollas in radice. 2. Hydra oppreſſa, Symbolum etiam eſt Principis magnanimi & prudentis, rebelles perdomantis, vel ferro, id eſt, robore ac armis: vel igne, conſilio & ſapientia. 3. Per Hydram Lernæam intelligas 7. vitia capitalia, ex qtibus veluti fontibus ac capitibus, tanquam ex corrupta radice, omnis generis peſtes oriuntur. Hercules ſanè, niſi ſeptem Hydræ capita præciditſet, mille alia repullulaſſent. Teſtis ipſe de ſe apud Ovidium lib. 9. Metam. ubi loquitur de Acheloo ſub ſerpentis ſpecie ſecum dimicante:

Pars quota Lernææ ſerpens erit unus Echidnæ?
Vulneribus fœcunda ſuis erat illa: nec ullum
De comitum numero caput eſt impunè reciſum;
Quin gemino cervix hærede valentior eſſet.
Hanc ego ramoſam natis è cæde colubris;
Creſcentémque malo, domui: domitámque peremi.

Eiusmodi Draconem ſeu Hydram vidit Joannes Apocal. 13. v. 1. *de mari*, tanquam ex Lernæa palude, *aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata.* In quem locum Blaſius Viegas noſter: Capitalia, inquit, vitia comparantur draconi, qui ex ſerpente diuturnitate temporis in grandem magnitudinem excreſcit, ita ſeptem vitia capitalia dum ſinuntur ſive conſuetudine, ſive naturæ corruptelâ

ruptelâ excrescere, demum fiunt lethifera, & immensi dracones existunt. Quod malum ne existat, amputanda serpentum capita, dum parva sunt, juxta psalmum 136. ubi beatus dicitur, qui *Babylonis parvulos alliserit ad petram.* Id est, concupiscentiam, dum parva est, absciderit aut contriverit. Deinde comparantur septem capitalia vitia septenis draconis capitibus, quoniam draco cristam gestare capite dicitur, Apostolus Joannes *cornua* appellat; omnia quippe peccata quandam superbiæ cristam gerunt, quatenus homo per superbiam contemnit Divinam legem, per quam à peccando prohibetur; quod Hieremias indicat cap. 1. *Confregisti jugum, rupisti vincula, dixisti: non serviam.* Per *diademata* significatur, hæc septem capitalia vitia in mundo dominari, & propterea instar Principum, regales coronas in capite gestare. Paulus monet Rom. 6. *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali, ut obediatis concupiscentiis eius.* Quid enim indignius, quàm se huic tyrannidi subjicere? Nam *Omnis*, Christo asserente, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Joan. 8. v. 34. Hæc Viegas. Arripiat igitur Hercules Christianus *clavam* firmæ voluntatis ab honesto non discedendi, & *facem*, id est, dolorem eius non repetendi, quod adversus propositum suum deliquit, idque frequentet quotidiana in semetipsum inquisitione; enimverò si studium hoc singulis diebus excolatur, *Excetræ* virosæ, nempe Concupiscentiæ pravæ vires minuentur, paulatímque succidentur ac exurentur.

III. (*f*) Inter alia Herculis certamina, difficile unum cum Acheloo fuit, de quo in Acheloo; deinde cum gigante *Antæo.* Hæc lucta pugnam *Rationis* cum *Appetitu* significat. Est enim Hercules, inquit Cornelius à Lapide in cap. 11. Ecclesiastæ v. 10. *Mentis* & *Spiritus* Symbolum; per Antæum, id est, *contrarium*, denotatur *corpus.* Herculis pectus est sapientiæ & prudentiæ sedes, cui perpetuum est cum Appetitu & Voluptatibus certamen; pertinaciter enim resistunt, nec facilè ab illa superari se sinunt; nisi *Corpus* ita in altum, & procul à rerum terrenarum contactu mens extulerit, ut pedes, hoc est, affectiones, nullum ampliùs fomentum à tellure accipiant; imò cupiditates, velut terræ filii prorsus interficiantur. Et hæc est omnium victoria præstantissima: unde in Scipionis Africani tumulo legitur elegantissimus hic Versiculus:

Maxima cunctarum Victoria, victa voluptas:

Et Boëtius hoc ipsum Herculis factum celebrans, ait:

---------- superata tellus
sidera donat.

Demosthenes

(*f*) *Rationis & appetitûs luctamen.*

Demosthenes Sapientis esse dicebat, nunquam animo connivere, neque affectibus licentiùs indulgere, ne effrenati rationis imperium deserant. Et Cicero in Offic. Appetitus omnes contrahendi, sedandique sunt, excitandáque est animadversio, & diligentia, ut nequid temerè ac fortuitò, inconsideratè, negligentérque agamus. Et ad Quint. Fr. Epist. 1. Esse abstinentem, continere omnes cupiditates præclarum magis est, quàm difficile.

IV. (*g*) Leo ab Hercule occisus (quemadmodum à Samsone quoque factum) & detracta pellis, virtutis est spolium, ac hieroglyphicum. ideóque Diogenes conspicatus quendam, eo ornatu sibi gloriosè placentem, exclamavit: Ecquid virtutis indumentum vituperas? Laërt. in Diog. Hinc proverbium, *asinus in pelle Leonis*, in eos dicitur, qui se magnificentiùs ostentant, quàm pro suâ conditione; ut asinus ille Cumanus, qui Leonis sibi exuvias applicans, terrorem multis incutiebat: sed postea ex ruditu & auriculis agnitus, personatus leo probè fustigatus est. Herculis æmuli fuere Agamemnon, Æneas, aliíque heroës, fortitudinis Symbolum amictu leonino, præferentes. Herculem se Albertus V. Dux Bavariæ cognomento *magnanimus* ostendit, qui leonem pro assecla cane, & pro scabello, pedibus substratum habuit. Cujus vultum etiam pictum Cerberus Turcicus extimuit; cujus manum romphæâ, tanquam clavâ, armatam, *Hæresis*, Hydra feralis, contremuit. Præterea Herculem leonis indutum pelle, clavam manu ferre, cætera nudum, significat illum fortitudine sua defensum, adjectitiis armis non indiguisse. Quò etiam facit, quòd ejus *Clava* fuerit ex robore, seu ligno quercino confecta, ad ostendendum solidæ virtutis simulacrum: quercus enim firmissima adversus ventos, nil nisi folia amittit. Pier. lib. 51. Unde in nummis Nervæ Traiani Imp. ex S. C. leonis caput, cum clavâ supererecta, impressum est: inscriptio: *Optimo Principi*, cuius idea fuit Hercules. Alii scribunt, Clavam ex oleastro fuisse, quam post victoriam de gigantibus cœlum oppugnantibus, relatam, Hercules Mercurio consecrârit, quæ repullulârit, actísque radicibus in insignem arborem excreverit: quô innuitur virtutem & famam non inarescere, non aboleri vetustate temporis, sed semper vigere & virere sicut oleaster.

(*h*) Herculis dormientis pollicem pygmæi, cubitales masculi dimetiri ausi, ex unico digito mirati sunt molem manûs; quia tamen sopitum deprehenderant, aggressi sunt armis impetere: sed is subitò experrectus, veluti pulices partim contrivit, partim leonina pelle, quam gestare

(*g*) *Leo Herculeus heroum Symbolum.* (*h*) *Temerarius congressus.*

gestare solitus, involutos asportavit. Ex Philostrato. Nota, quàm temerarium sit eos insectari, qui viribus aut sapientia prævalent; pygmæi in uno pollice metiendo laborabant, & totum tamen Herculem invadebant. Adde lemma: *volunt* non *valent.*

V. (*i*) Quia verò supervacaneum sit, singulis Alcidis gestis pressiùs inhærere, perstringemus pleraque. Rapaces stymphalidis lacûs aves superatæ, docent avaritiam vincendam viro forti & sapienti. *Amazonum* reginæ ablatus baltheus, indicat, femineos affus, illecebrásque subigendas. *Taurus* Cretæ domitus, denotat iracundiæ impetum frangendum. *Centauri debellati*, vinositatem fugiendam: *Cacus* flammivomus, fraudulentam malitiam esse cavendam. *Augiæ stabulum* perpurgatum, urbem aut provinciam sceleratis hominibus liberatam: aut animum à flagitiis mundatum. *Dracone* superato, poma aurea ex Hesperidum hortis sublata, præmia virtutum, oppressis vitiis. *Cerberus* triceps, tria inprimis vitia designat, *superbiæ, avaritiæ, libidinis*, per quæ homines ad inferos devolvuntur. Hæc, Cerberô eductô ab Hercule, aut, ut à forti probóque viro devicta, aut, ut à sapiente hominibus manifestata, indicantur. Hercules *cælum* humeris sustentans significat virum, pro virtute, religione, salute communi ardua quæque in se suscipientem. *Columnæ* in mari Gaditano, tanquam in expeditionum Herculearum termino ex ære exstructæ & erectæ, cum inscriptione: *Non plus ultra*, ostendunt, metam laborum & laudum Herculis, à nullo alio attingi posse: attigit, & superavit Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imp. qui imperium suum per ingentia terrarum, mariúmque spatia usque in Indiam Orientalem & Occidentalem extendit, unde illius verba: *Plus ultra.* Cæterùm per columnas constantia & fortitudo denotatur, quæ necessaria est ad virtutem & laudem comparandam; quæque durat & persistit inter assilientes fluctus; *quam stantem injurioso pede non proruat Fortuna. Horat. Od.* 35. *lib.* 1. Quod verò Hercules, *Omphales* amore dementatus pensum inter feminas traxerit, significat viros etiam fortissimos & sapientissimos per mulieres emolliri & emasculari.

VI. (*k*) Hic idem Hercules (exclamat Mythologus) post tot superata pericula, post tot latrones de medio sublatos, post purgatum horrendis monstris orbem terrarum, *Omphalæ* captus amore, multa turpia, & prmis rebus gestis indigna commisit. Cur hæc litterarum monumentis tradita sunt? aut cur ad posteros transmissa? ut nos commonefacerent antiqui sapientes, viro bono semper esse vigilandum: quia si parumper oculos à virtute deflexerit atque conniveat, ab appentia tanquam à rapidissimo

(*i*) *Laborum Herculis explicatio brevis.* (*k*) *Libidinis servitus.*

pidissimo fluvio, ad libidinem & ad illegitimas voluptates defertur, suaptéque natura prolabitur. Hic propter muliebres (nempe *Deianiræ* & Joles) amores postea in crudelissimum genus mortis incidit, quoniam voluptatum omnium finis est dolor & miseria. Hæc ille. Quænam verò turpior servitus, quis probrosior mancipatus, quàm servum esse libidinis? Domitorem orbis ad pedes puellæ procumbere, eius minas extimescere? clavam cum colo, exuvias leoninas cum stola muliebri permutare? O dedecus! ô probrum! ô dementia! Nonne hîc quoque, verum illud Regum lib. 3. c. 11. quod de Salomone scriptum: *averterunt mulieres cor eius.* Usque adeone sapere & amare, ne sapienti quidem, aut forti datur? etiam orbis terrori? Prô nefas pudendum! De se ipso loquitur apud Propertium effeminatissimus Alcides:

Idem ego Sidoniâ feci servilia pallâ
Officia, & Lydâ pensa diurna colô.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

Eandem ignominiam subiit Assyriorum Rex Sardanapalus, qui positis masculi sexûs indumentis (ô flagitium!) mentitus est feminam, interque puellas & evnuchos eviratior spadone, delituit. Denique à Præfectis suismet, *Nini* seu *Ninivæ* obsessus, inter mulierum greges & instrumenta luxuriæ, se & illas incendiô absumpsit. *Trogus.* Hunc rogum libido incendit, quemadmodum pyram Herculis. Quid sit muliebri se jugo subdere, etiam Ninus Rex Babyloniorum potentissimus expertus est. Semiramis, Syra natione, vernæ Regii ancilla, corpore quæstum fecerat. In quam cùm incidisset, eámque dilexisset Ninus, ita hominem in potestatem suam redegit, contempsítque, ut licere peteret sibi, & permitti, unum diem in solio regio sedere, diademate redimitam, & responsa gentibus dantem. Quod cùm ille concessisset, edixissétque, ut omnes ei, perinde ac sibi parerent, & dicto essent audientes: gessit se in primis præceptis, ut periculum faceret, moderatè. Quos ut nihil obstrepentes, sed impigrè mandata exequentes vidit, Ninum corripi, mox vinciri jussit; denique etiam obtruncari. Hoc habet servus & mancipium Cupidinis.

VII. (*l*) Sed ad Herculem, quem iracunda Juno quô magis adversis rebus exercuit, hòc magis illustravit. Præclarè Seneca ad Helviam c. 5. Nec secunda, inquit, sapientem evehunt, nec adversa dimittunt. Præclariùs S. Ambrosius lib. de Jacob, & vita beata, c. 8. Manet semper inter adversa & delectabilia virtus perfecta, neque adversa de perfectione eius

(*l*) *Virtus gaudet asperis.*

eius quidquam minuunt, neque delectabilia adjungunt perfectioni. Et paulò pòst. Perfecti enim viri est communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere : nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia, & formidolosa videntur ; sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando. Hæc S. P. Dignum Deo spectaculum, inquit Seneca lib. 2. de Prov. vir fortis cum mala fortuna compositus ; qualis fuit Hercules. Est autem virtus in afflictione clarior. Eleganter S. Bernardus serm. 27. in Cant. Stellæ in nocte lucent, in die latent ; sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in adversis. Quis Herculis virtutes nosset, nisi eas casus ardui detexissent ? Titulus longè speciosissimus. Hercules *Alexicacus*, malorum Depulsor, monstrorum Domitor, Orbis terrarum Pacator. Hos titulos contulerunt Junonis odia, quæ profuerunt nocendo.

VIII. (*m*) Virtus tot malis exercita, Herculem astris inseruit. Tullius in Tuscul. Abiit ad Deos Hercules, eò nunquam abiturus, nisi cùm inter homines erat, eam sibi viam straviſſet fortiter faciendo. Juno, quæ vivum Herculem ut è pellice natum (quod sacrâ narrante historiâ, etiam Jephtæ, fortissimo viro, maximam invidiam peperit) oderat, post mortem in Deos translatum laudare inducitur :

Σῆς ἀρετῆς ἰδρῶτι καλὴν ἀπέδωκεν ἀμοιβὴν
Σῆς γενέτης Ἡράκλες. ἐπεὶ πόνος ἄσπετον εὖχος.
Ἀνδράσιν εἶδεν ἄγειν μετ' ἀπείρονα κόκλον ἀέθλων. lib. 1. anthologiæ

Id est, *virtutem tuam, facinora tua virtutis plena, ô Hercules, præclarè remuneratus est pater tuus Iupiter.* Ita sanè. Nam labor immortalium, ac velut in orbem semper succedentium certaminum, gloriam hominibus immensam conciliare solet. Juno imago est invidiæ, quæ præsentem virtutem odit, sublatam requirit : & magnitudine præstantium facinorum victa, obtrectationes vertit in encomia.

IX. (*n*) Notandum hîc, quousque viros fortes persequatur invidia. Nam cùm Hercules semper major rediret post exantlata cum domandis monstris discrimina ; post Lycum, regni Thebani occiso Creonte & duobus ejus filijs, iniquum insessorem, & factionis consortes interemptos, Juno tam feliciter gesta non ferens, furorem immisit victori ; quo correptus, uxorem *Megaram* Creontis filiam, geminis cum liberis interfecit. Quod ubi ad se reversus intellexit, doloris impatien-

(*m*) *Virtus inserit astris.* (*n*) *Invidia malum.*

tiâ, vix Thesei detentus precibus, ne sibi mortem inferret, cum eodem Athenas purgandus proficiscitur. Nam & Mauors à Neptuno ibi in judicium vocatus, de cæde filij sui Halirrothii, omnium Deorum sententiis absolutus est. Locus autem in quo dicta causa, nominatus à Marte Areopagus, atque inde causæ capitales ab Areopagitis Judicibus XII. auditæ. Ergo in hoc quoque rigidissimo judicio etsi pro Hercule pronuntiatum esset, ad extremum tamen iræ & invidiæ Junonis succubuit, quæ non contenta, furente Herculis manu in uxorem ejus & liberos innocentes sæviisse, ipsum denique in funestam pyram adegit, vivum exurendum. Quid acerbius his odiis, quorum etiam indicia in ipso cœlo extare voluit impotens animi Dea? de qua re sequens epigramma:

Lernæam Alcides dum clavâ sævit in Hydram,
Colláque multiplici vulnere secta metit:
Cancer adest ira Junonis missus iniqua:
Victoris mordet chela recurva pedem.
Indignans heros contemptum proterit hostem;
Invidiam stimulat non levis inde dolor.
Juno locat cælo Cancrum. Vah Jupiter! istud
Debuit uxori non licuisse tuæ.

X. (*o*) Caci speluncam & interitum eleganti hypotyposi depingit Maro. 8. Æneid. quam eandem sive fabulam, sive historiam disertissimè refert Livius lib. 1. Herculem, inquit, in ea loca Geryone interempto boves mira specie abegisse memorant, ac propè Tiberin fluvium, quà præ se armentum agens nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo læto reficeret boves, & ipsum fessum via procubuisse: ibi cùm eum cibo, vinóque gravatum sopor oppressisset, pastor accola ejus loci, nomine *Cacus*, ferox viribus captus pulchritudine boum, cùm avertere eam prædam vellet: quia si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quærentem dominum eò deductura erant, aversos boves, eximium quemque pulchritudine caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus, cùm gregem perlustrâsset oculis, & partem abesse numero sensisset, pergit ad speluncam, si fortè eò vestigia ferrent: quæ ubi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi, ex loco infesto agere porrò armentum occœpit. Inde cùm actæ boves quædam ad desiderium (ut fit) relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit: quem cùm vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus

(*o*) *Fraudis & mala conscientiæ detectio.*

conatus esset, ictus clavâ fidem pastorum nequidquam invocans, morte occubuit.

Ubi nota 1. Cacum fuisse latronem, crudelitatis suæ monumenta in terrorem & ostentationem ad fores speluncæ affixisse:

--------Foribúsque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.

Deinde augebat ejus terrorem, quia

Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atrôs
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Scilicet Vulcani incendia in pectus filii migraverant: exibant de ejus faucibus fumus & flammæ. Quis sustineret cum hoc portento congredi, nisi Hercules, hoc est, vir fortis, periculis, tanquam fatuis & ab opinione vulgi hausti ignibus non absterrendus? Patris ignes vomit filius, ut agnoscas parentum vitia in liberos transfundi. 3. Cacus aversis trahendo vestigiis boves, crimen occultare non potuit. Nil fraus, nil dolus juvit; bos clausa prodidit factum & furtum: adeò nec ipsæ speluncæ tenebræ crimen tegere potuere. Quid, quod disjecto per Herculem teterrimo antro, mille aliæ rapinæ & impietates patuere,

Panditur extemplo foribus Domus atra revulsis,
Abstractæque boves, abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur.

Lento in vindictam gradu fertur Deus, sed certo; ea quoque scrutatur, quæ inaccessa putabantur, uti spelunca Caci

------ vasto submota recessu.

Boves in specu mugientes mihi revocant in memoriam bovem S. Medardo Episcopo Noviomensi à fure subductum, cujus animalis collo appendulam nolam identidem sonantem neque gramine neque stramine obstruere, neque in intima cistarum abditam ulla ratione mutam efficere potuit abactor. De quo plura Surius 8. Junii. Zehenter in verme conscientiæ lib. 1. c. 1. §. 1. En Symbolum reæ Conscientiæ.

XI. (*p*) Herculis apotheosin pulchrè describit Ovidius:

Interea quodcunque fuit populabile flammæ
Mulciber abstulerat: nec cognoscenda remansit
Herculis effigies; nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet: tantúmque Jovis vestigia servat.
Usque novus serpens, posita cum pelle senecta
Luxuriare solet; squamáque nitere recenti;

(*p*) *Herculis apotheosis.*

Sic ubi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte sui meliore viget, majórque videri
Cæpit, & augusta fieri gravitate verendus.
Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.

Ad propositum Horatius lib. 3. Od. 3.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, aves attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

His artibus, id est virtutibus, justitia scilicet & propositi constantia, Heroës veteres Deorum mensis accubuerunt. Tyrannus ferox erat Eurystheus, qui virtutem Herculis exercuit, & ad ingentia præmia provexit. *Vagus* hîc dicitur, ob multa maria, & longinquas terras peragratas. Laudat hæc Seneca in Herc. Oetæo.

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclita virtus. Vivite fortes!
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent: sed cum summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

XII. (q) Juvat hîc apponere elegantem comparationem inter Herculem & Samsonem, ut magis atque magis appareat, quod non semel ostendimus, Poëtarum commenta non esse tam cassa & inania, ut tanquam ex paleis nihil melioris doctrinæ excuti vel extundi possit. Nam altior sæpe veritas, & quidem sacra, sub his umbris latet. Audiamus virum excellentis doctrinæ de utroque heroum istorum differentem. Hercules fertur, inquit P. Georgius Stengelius tomo 2. de Judiciis div. c. 50. n. 12. in prima jam ætate adeò fuisse robustus, ut vel in cunis duos angues, arctato gutture eliserit. De Samsone scribitur: *Crevit puer, & benedixit ei Dominus, cœpitque Spiritus Domini esse cum eo.* Judic. 13. Quia scilicet heroica animi & corporis fortitudine eum donavit. 2. Hercules fingitur adamantinas inferorum portas effregisse, ut inde

(q) *Comparatio Samsonis & Herculis.*

inde Cerberum vinctum in auras extraheret : Samſon ab hoſtibus obſeſſus *apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſerâ, impoſitáſque humeris ſuis portavit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* 3. Hercules etſi apud Omphalem ſerviit, & effeminatus eſt, robur tamen corporis non perdidit, ſed *Cacum* & *Neſſum*, & alia etiam monſtra interfecit : Samſon etſi in urbe Gaza vetitis amoribus implicatus fuit, retinuit tamen robur divinitus datum, quo portas urbis convellit cum vectibus ſuis, & in montem vicinum aſportavit. 4. Hercules non gladio, non haſta, ſed clavâ armatus; Samſon itidem neque enſe, neque lancea, ſed aſini maxilla, tanquam clavâ, mille Philiſthæos mactavit. 5. Uterque leonis domitor, leonis exuvias meritus eſt; ille tamen victori ſuo pellem, iſte dapem dedit. 6. Herculem noverca Juno, Samſonem doloſa Dalila, illa odio, hæc ficto amore agitavit. 7. Hercules Centaurum, Hydram, cervam æripedem, Harpyias, aliáque monſtra ſuperavit; Samſon Aſcalonitarum, Gazæorum, Philiſtinorúmque aliorum impetum fregit. 8. Hercules in monte *Oeta* mortem ultro ſuſcepit; idem fecit Samſon, ſed tanquam publicus populi ſui judex, vindéxque, facultate ad id à Deo accepta. 9. Hercules Abylen & Calpen duos vaſtiſſimos montes conjunxit, & in mari Occidentali ſeu Gaditano duas victoriarum ſuarum columnas, tanquam munimenta erexit; Samſon apprehendens ambas columnas, quibus domus innitebatur; fortiſſimè concuſſit, & unà cum illis fanum idoli *Dagonis*, multáque hominum millia, & unà ſeipſum, altiore inſtinctu, ſtravit. Vides hic, quid Ægyptij ab exulibus Hebræis; & quid ab Ægyptiis didicerint Græci, heroicæ virtutis ac fortitudinis imaginem, per fabulas adumbrantes. Cæterùm Hercules Nemeæus Leo inter aſtra collocatus, rictu, pectore, cauda ardente ſymbolum eſt hominis iracundi.

Aſpice proſtratum Nemees in valle Leonem:
Herculeæ dextræ gloria prima fuit.
Tenuit in terris populos: & torret in aſtris,
Horrida ſive ſolo bellua, ſive polo.
Hic typus irati eſt: quos *pectore* concipit ignes,
Ore vomit, *dextra* percutiente jacit.

SYM-

SYMBOLVM LII.

Tantali, & Tantalidûm Tragœdia.

Ex Homero lib. λ. Odyss. Virgil. Æneid. lib. 6. Senecæ Thyeste. Ovid. 9. Metam. Mythologo lib. 6. c. 18. &c.

Ethicè.

1. Avaritiæ sitis inexplebilis. 2. Qnalis stirps, tales rami. 3. Ultrix conscientia.

SI quid unquam cothurno dignum, Poëtarum ingenia excitavit ad scribenda tristia, effera, crudelia, immania, nefanda, tum enimverò fuit, sive historia, sive fabula (aut utrumque potius) quæ de infelici & impio Tantalo, eiúsque dirâ progenie narrantur. Nos rerum tragicarum seriem in pauciora contractam dabimus.

Tantalus Jovis, ex *Plote* Nympha, filius, Rex Phrygiæ, cùm fortè Deos convivio excepisset, *Pelopem* filium, ut eorum divinitatem experiretur, membratim discerptum, coctúmque iis apposuit, comedendum. Illi verò à nefandis epulis abstinuere omnes, solâ Cerere excepta, quæ pueri humerum devoravit, pro quo dii eburneum restituerunt, revocatáque per Mercurium ab inferis animâ, Pelopi vitam reddidere; patrem verò tanti sceleris autorem ad inferos detruserunt, ubi perpetua fame & siti torquetur, aquis mento tenus immersus, pomis, quæ capiti eius imminent, captationem oris fugientibus. Hic Pelops ductâ *Hippodamiâ*, Oenomai Elidis filiâ, magnis opibus affluxit, & Peninsulam in dote acceptam, à suo nomine *Peloponnesum* appellavit. Ex ea duos filios suscepit, haud sanè avo meliores, *Thyestem* & *Atreum*. Hi alternis annis regnandi vices pacti sunt. Thyestes ortis ob invidiam & cupiditatem dissidiis, adjuvante *Ærope* fratris uxore, quam in adulterium pellexerat, *aureum arietem*, in cujus possessione erat fatum regni, surripit, & male conscius in exilium abit. Atreus evasisse dolens, missis suis filiis, velle sese in gratiam redire simulat; oblata regni parte, reditum illi suadet & persuadet. Domum reverso fratre, tres filios eius, quos interea obsides acceperat, quíque parenti redeundi fiduciam fecerant, ad aras immolat; partímque assos, partim elixos patri nescienti, epulandos apponit, mistúmque vino cruorem,

rem ; illi præbet. Sub finem nefandi convivii (quod sol, ne videret, refugit) capita illi & manus filiorum ostendit, quásque dapes absumpserit, narrat. Ille diras omnes & execrationes in nefandæ mensæ structorem regessit, & novo scelere scelus ulcisci cogitavit.

Cæterùm Thyestes nihilo melior, quàm frater Atreus, ex infando concubitu (filia scilicet) *Ægisthum* sustulit, quem infantulum, mater sceleris tegendi causâ, feris exposuit in silvis; sed is à pastore inventus, eiúsque beneficio nutritus est, adhibitâ caprâ, quæ lac ei præbuit; unde appellationem *Ægisthi* accepit. Hic adultior factus, impellente patre, Atreum patruum interfecit, & eiusdem filium *Agamemnona*, adjutus à *Clytemnestra* illius uxore, cum qua etiam turpissimè consueverat, per insidias obtruncavit. Cædem adultera, *Oresti* quoque filio machinabatur, nisi *Electræ* sororis solertiâ neci subtractus & ad *Strophium*, regem *Phocidis*, clam educandus missus fuisset. Qui adultiore jam ætate Argos rediit: & cum Legatis Phocensibus (quos Strophius ad Ægisthum miserat, tanquam Orestis mortem nuntiaturos) ad Clytemnestram intromissus, unà cum adultero eam interemit. Propter quod scelus agitatus est furiis Orestes, quibus non ante purgari potuit, quàm ad aram *Dianæ Tauricæ*, à Pylade amicissimo perductus, perpetrata facinora expiasset. Alii referunt, à sorore eius *Iphigenia* (cùm per Ulyssem astu abducta, quasi Achilli nuptura, jamjam immolanda esset, Dianáque eius misserta, cervam substituisset) in Tauricam regionem translata, & à Thoante rege sacris eius deæ (quæ humana carne fiebant) præfecta, fratrem Orestem agnitum, crudeli sacrificio liberatum, cum eo, occisô Thoante, fugam in Italiam fuisse arreptam: denique tamen morsu viperæ occisum. Habuit verò Orestes omnium profectionum & periculorum socium Pyladem, cum quo tam sanctè amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recusârit. Cùm ignorante Thoante (inquit Tullius in Lælio) uter esset Orestes (quem morte destinârat) Pylades verò se Orestem esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem ita ut erat, Orestem se esse perseveraret, utrique à circumstantibus applausum est.

Ethica.

I. (*a*) Luculentum divitis avaritiæ schema Tantalus est, ideóque omissis cæteris, quæ fabula dedocere posset vitia, hanc in Tantalo persequemur. Hospitio deos excepisse fingitur, quia dives erat, & divitiæ viden-

(*a*) *Avaritia sitis inexplebilis.*

videntur homines ad deorum consortium evehere, cùm nihil non possit pecunia, beatúsque putetur, quisquis eas possidet. Honores, gloria, fama, nobilitas, plausus hominum, & rerum omnium felicitas comitantur opulentiam. Filium *Pelopem* apposuit in cibum cælestibus convivis. Quid enim? avarus etiam ossa rodit sua, & sanguinem, si posset, vectigalem faceret. Nullum est officium, inquit Tullius *pro Quintio*, tam sanctum atque solenne, quod non avaritia comminuere atque violare solet. Vilis est ei honestas omnis, fides, pietas, religio, cui pretiosa sitis est auri. Deum avarus prodit, nedum homines; patriam, parentes, liberos venales expositurus, si liberalem emptorem inveniat. Egregiè Sallustius in Catilinaria: Avaritia fidem, probitatem, cæterásque bonas artes subvertit; próque his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Et Satyricus,

-------- Sed quæ reverentia legum.
Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

Et illa *Furiarum* maxima, scilicet Megæra, quæ juxta Maronem,

--- manibus prohibet contingere mensas,
Exurgítque facem attollens, atque intonat ore.

Quid aliud est quàm mordax cura, perdia pernox avarum excrucians, & nullam ei quietis partem concedens; in lecto, in mensâ, ubique assidet truci aspectu, & miserum torquet, partim sollicitudine acquirendi, partim metu acquisita non amittendi; absterret ab epulis, dum Euclio suum ipse defraudat genium, & vel jam putrida & rancida apponit; vel tam sordidè & præparcè, ut meritò audiat illud Martialis lib. 5. σῦκα μερίζει. *Ficus dividit*, & quod Aristotelis ait, *Cuminum secat*. Id quod memoratus Poëta cuidam esuritori occinit lib. 1.

Déque decem plures semper servantur olivæ;
Explicat & cœnas unica mensa duas.

Dum reliquiæ in alteram & tertiam inferuntur, nec tamen præ sorditie comeduntur. Lepidiùs Plautus in Aulularia, Act. 2. Scena 4. de Sordissimo Euclione.

Qui divûm atque hominum clamat continuò fidem,
Suam rem perisse, séque eradicarier,
De suo tigillo fumus si quà exit foras;
Quin dum it dormitum, follem obstringit ob gulam,
Ne quid animæ fors amittat dormiens.
Aquam hercle plorat, cùm lavat, profundere;

Quia

Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat,
Collegit, omnia abstulit præsegmina.

Et Juvenalis. Sat. 10.

--- Plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census.

Ostendit id Plautus in citata Comœd. Quantis Euclio, senex ille curis & intemperiis ollam auro fartam, de loco in locum identidem transfert? quam latebram nullam satis tutam putat? quantum oculos emissitios, vel in lusca, & semicæca anu metuit? Chilon Philosophus interrogatus, quid essent divitiæ? respondit: Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis alimentum. Tullius paradox. 1. nunquam expletur, nec saturarur cupiditatis sitis: neque solùm, eam qui habent, libidine augendi excruciantur: sed etiam amittendi metu. Horatius lib. 1. Sat. 1.

An vigilare metu exanimem noctésque diésque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes: hoc juvat?

Tantalum inter opes magnas inopem fecit copia. Horatius lib. 2. Sat. 1. Divites sordidos exagitat.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Pocula. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Ecclesiastæ pronuntiatum est: cap. 5.

Avarus non implebitur pecunia, nam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia, crescit.

Avaritia similis hypropi:

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

S. Augustinus serm. 15. de diversis. c. 15. Divitiæ, inquit, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem; nam vidimus quosdam, cùm haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos; sed postquam cœpit eis abundare, avaritia fauces non clausit, sed extendit: non irrigavit, sed accendit: poculum respuunt, quia fluvium sitiunt. Et Senec. Epist. 23. Vidisti aliquando canem missa à Domino frusta panis, aperto ore captantem? quidquid accipit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri inhiat. Idem evenit nobis, quidquid ex-

ſpectantibus fortuna projecit, id ſine ullâ voluptate dimittimus ſtatim, ad rapinam alterius erecti. Simile eſt illlud Boëtii.

Nil jam parva videntur;
Sed quæſita vorans, ſœva rapacitas
Alios pandit hiatus.

En imaginem Tantali. Talis fuit Rufinus ille, Prætorii apud Theodoſium Imperatorem Præfectus, & proditor, de quo Claudianus.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non Stagna rubentis
Aurea Pactoli; totúmque exhauſerit Hermum,
Ardebit majore ſiti.

Nimirum qui mare bibunt, plus ſitiunt, quia falſum eſt; qui opibus ſe ingurgitant, unà cupiditatem opum hauriunt. Seneca in Hercule Furente:

Componit opes gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.

Avaro námque opes quàm affluunt, tam effluunt.

Memorabile eſt, quod à ſcriptoribus traditur, Semiramidem Aſſyriorum reginam, hanc marmori ſepulchrali ſententiam inſcripſiſſe: *Quicunque Rex penuriam pecuniæ paſſus fuerit; hoc patefacto monumento, quantumque voluerit, accipiet.* Quam inſcriptionem Regibus Aſſyriis vel negligentibus, vel mendacem credentibus, imperio ad Perſas translato, de Dariis unus (quorum plures fuerunt) auri cupiditate ſtimulatus, monumentum effregit, pro pecunia mordaciſſimum convitium reperit. *Niſi vir nequam eſſes, ac nummorum inſatiabilis gurges: nunquam eò deſcendiſſes; ut cadaverum loculos ſcrutarere.* Unde colligis, quoties deludatur ſitis Avaritiæ.

II. (*b*) Atque hæc de Tantalo, cuius progenies cum avito ſanguine ſcelera traxit. Libidine, ambitione, diſcordia, odiis inteſtinis, fraudibus, parricidali ferro graſſabantur in ſe mutuò. Nempe malus corvus, malum ovum. Parentum vitia transfunduntur in liberos. In Thyeſte flagitiorum initium inceſtus, inde inſidiæ Atreo paratæ, & fatalis arietis furtiva ablatio, & fuga doloſa. Atreus crudelitatis & perfidiæ monſtrum, immaniſſimus latro, ultionem exegit, naturæ humanæ horreſcendam. Sub ſpecie amicitiæ, dum fratrem amplectitur, oſculatur, ad cœnam invitat; pro menſa hoſpitali macellum, pro epulo carnificinam inſtruxit infandam, à quâ Sol ipſe oculos avertit. Adeò parata eſt ingeniis crudelibus

(*b*) *Qualis ſtirps, tales rami.*

delibus simulatio ; spem vultu serenant , cædes & lanienas pectore coquunt. Nulla tam diræ feritatis scena est , quàm Iracundia , libidine, avaritiâ , ambitione , invidiâ , stimulata non instruat. Ægisthus Tantali nepos , Thyestis filius adulter & parricida (improbitas est catenata) scelera sceleribus cumulavit ; & ipse denique cognato ferro cum adultera, cecidit Nemesi victima , euntibus in orbem execrandis facinoribus , è pestilenti sanguine profluentibus. De Ægistho Ovidius lib. 1. de remed. amoris.

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter:
In promptu causa est. desidiosus erat.

Hoc agunt , qui nihil agunt. Ex ignaviæ palude quid aliud, quàm obscœnum exspectes ? De *Oreste* , eiúsque similibus Poëtæ dicunt : quod *facto pius & sceleratus eodem* , dum paternam cædem & pollutum eius thorum vindicando , manus violentas intulit matri. Unde jus hoc filio in parentem ? an scelus unum plectendum altero? Profugum per alienas terras circumegerunt manes , animi malè conscii , quemadmodum Cainum olim. Verè Tullius in oratione pro Milone : *Magna vis est conscientiæ : ut neque timeant , qui nihil commiserint : & pœnam semper ante oculos versari putent , qui peccaverint.* Orestes est agitatus ita furiis , ut dexteram, quâ parricidium commisit , arroserit & devorârit. Nempe in quo quis peccat , in eo punitur.

III. Inter Furias etiam mater , quamvis impia , impiè tamen interfecta occurrit armata facibus , incincta colubris Maro 4. Æneid.

Aut Agamemnonius scenis agitatur Orestes
Armatam facibus matrem , & serpentibus atris
Cùm fugit, ultricésque sedent in limine Diræ.

Elegans locus , & explicatione morali dignus. Orestes immisso furore percitus ad templum Apollinis , velut ad asylum confugit : nam per vltrices Diras , seu Eumenidas nuspiam consistere licebat. Templum ingredi Furiæ non audebant (en reverentiam loci sacri , & immunitatem) igitur comitatæ matris (Clytemnestræ) umbrâ , ædem Numinis obsidebant in vestibulo ; denique elapsus Orestes , persequentibus tamen Diris , Athenas venit in Areopagum ad Judices , quibus nihil sanctius , nihil incorruptius. Hi cùm sententiis , ut Tullius ait in Miloniana , variarent (an scilicet condemnarent ; an absolverent reum) liberatus est Oraculô Deæ Minervæ , & sanitati mentis restitutus , cùm jam antè per sororem Iphigeniam , ad aram Dianæ Tauricæ expiatus fuisset , non tamen

(c) *Vltrix conscientia.*

men omnino à Furiis quietus; donec Minervæ tanquam sapientissimæ, calculus absolutionis accessit.

Quô ostenditur nullum esse facinus tam impium & sceleratum, quod animo pœnitenti detestatum, non inveniat locum veniæ, si non apud homines (quales Areopagitæ fuerunt) certè apud superos, ritè placatos. Vltrices Diras (Suetonio teste) sensit Nero parricida, materna specie cum verberibus ac tædis ardentibus incurrentes. Sensit Caracalla Imp. (Xiphilino narrante) pœnas fratris occisi, insectantibus Furiis exolvens. Sensit Imp. Constans, (referente Cedreno) Theodosii, fratris interempti umbris inquietatus. In vitis PP. legimus umbram pueri ab homicida occisi, jugiter hominem, etiam monachum jam effectum, fuisse persecutum, & identidem ei exprobrâsse: *Cur me occidisti?* ita, ut angore & tœdio victus, monasterio egressus ultrò se judici plectendum tradiderit. Tullius in Rosciana, nolite, inquit, putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos, qui aliquid impiè, sceletatéque commiserint, agitari & perterreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiáque afficit, suæ malæ cogitationes, conscientiæ animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque Furiæ: quæ dies noctésque parentum pœnas à conscelleratissimis filiis repetunt. Idem in Pisoniana: Nolite putare, ut in scena videtis, homines conscelleratos impulsu Deorum, terreri Furiarum tædis ardentibus: Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum Furiæ, hæ flammæ, hæ faces, hæc flagella, catenæ, serpentes, tormenta, quibus ultrices Diræ munus suum in reos exequuntur.

SYM-

SYMBOLVM LIII.

Oedipi, Oedipodarum, & Amphiarai Vatis interitus.

Seneca in Oedipo. Statius in Thebaide.

Ethicè.

1. Sphingi confertur lasciva mulier. 2. Conscientia mala. 3. Quales parentes, tales filii. 4. Ambitio inter propinquos. 5. Fallax mulierum amor. 6. Illustrium matronarum charitas erga maritos. 7. Peccatoris cum Amphiarao collatio. 8. Litterarum & armorum conjunctio. 9. Arma laureata, quæ.

OEdipus, ejúsque scelerata posteritas Græcis, Latinísque Poëtis tragicum scribendi stylum in manus dedit; in quibus eminuerunt Sophocles, Euripides, Seneca in Oedipo ac Thebaide; præsertim verò Statius tubâ Romanâ divinam cecinit Thebaida, seculis omnibus victuram. De Amphiarao Oedipodarum calamitatibus implicitè tangit aliquid Ovidius lib. 9. Metam. Series infelicitatis ac improbitatis hæc est.

Oedipus *Lajum* Thebanorum regem, *Iocastam* Creontis, itidem regis Thebani filiam, parentes habuit. Pater cùm ex Apollinis oraculo didicisset, futurum, ut à filio occideretur, eum pastori tradidit interficiendum: qui misericordia commotus, cùm invitus regiæ stirpi manus inferret, neq; tamen regis imperium auderet detrectare, perforatis gladio plantis, viminéque trajecto, ex arbore puerum suspendit, inedia extinguendum. Fortè illac habebat iter *Phorbas*, Polybii Corinthiorum regis pastor, qui pueri audito vagitu, accurrit, nexibus exsolvit, ad reginam, liberis carentem, magnî muneris loco attulit; hæc parvulum educavit, & à pedibus vulnere tumentibus, *Oedipum* appellavit, ab οἰδῶ τὲς πόδας. tumeo pedibus. Grandior deinde natu factus, compertô, se *Polibii* filium non esse, patrem perquirere statuit, & consultô Oraculô accepit, se in Phocide (Græciæ regione) patrem inventurum. Eò delatus, orta inter Phocenses seditione, *Laium* conantem reprimere tumultum, incognitum interemit. Postremò tanquam Oraculô lusus, Thebas petens, in itinere in *Sphingem* incidit,

incidit. Erat hæc monstrum, caput & faciem habens puellæ, alas avium, reliquo corpore canis referens effigiem. Sedem habuit in monte, Thebis vicino, & in viatores impetu facto, eos unguibus discerpebat. Consultus Apollo, respondit, non alium tanti mali finem esse, quàm si quis Sphingis ænigma dissolveret. Id autem erat hujusmodi. *Quodnam id esset animal, quod manè quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset.* Quod cùm plurimi frustra conati dissolvere, à Sphinge fuissent interempti. Creon tunc temporis Thebanis imperans, edictô per Græciam universam promulgatô, *Iocastam* sororem suam, Laii viduam, uxorem se ei daturum pollicitus est, qui nodum Sphingis explicâsset. Cujus rei famâ excitus Oedipus hunc in modum obscuram quæstionem declaravit, ut diceret: animal illud esse hominem, qui in infantia manibus & pedibus repens veriùs, quàm incedens, quadrupes esset. Deinde in medio juventæ robore, non alio, quàm pedum adminiculo nitens, meritò, ut est, bipes dici possit. Ingravescente autem ætate, assumpto Scipione, tripes debeat judicari. Sphinx dissolutionem ænigmatis tam ægrè tulit, ut se de saxo præcipitans, cervices fregerit. Oedipus autem, quoniam Polybii filius credebatur, Iocastam matrem, inscius uxorem duxit; ex ea quatuor filios genuit, in quibus fuere *Eteocles* & *Polynices*. Postea verò cùm se matrem sibi conjugio copulâsse, patrémque occidisse cognovisset, dolore percitus, sibi ipsi in pœnam, oculos eruit; denique fulmine ictus interiit; Iocasta voluntariam sibi necem conscivit gladio. Uterque parens omnibus diris & execrationibus nefandos liberos devoverunt, tristi sanè eventu. Nam pater sponte in exilium proficiscens, regnum Thebanorum ea lege reliquerat filiis, ut alternis annis regnarent. Verùm cum *Eteocles*, cui utpote natu majori, *Polynices* priores regnandi vices concessit, fratri suo, regno cedere recusaret, ille Argos sese contulit ad *Adrastum* regem, qui filiam nomine *Argiam*, uxorem illi despondit, contractisque, quàm maximas potuit, viribus, unà cum *Tydeo*, altero genero, Thebanis bellum intulit: cujus is fuit exitus, ut duo fratres, singulari certamine congressi, mutuis vulneribus caderent. Quin etiam cadaveribus rogo impositis, flamma se dicitur divisisse, tanquam implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem potuerit finiri. Ea belli vis etiam *Amphiaraum* in partem calamitatis traxit. Erat hic *Oiclis* filius, unde dictus Oiclides, maritus *Eriphyles* (quæ soror erat Adastri, Argivorum regis) vates Græcus, qui à Pindaro vocatur στρατίας ὀφθαλμὸς, exercitûs oculus,

lus, ut à cujus in castris præsentia, salus militum & sors victoriæ penderet. Jussus igitur ad bellum Thebanum proficiscì, cùm vehementer id improbaret ac dissuaderet, perniciem ac calamitatem imminentem multò ante denuntiaret, ac prædiceret; ubi nihil se proficere animadvertit, latere voluit, ne cum aliis certum in exitium rueret. Latentem prodidit Eriphyle, aureo monili ab Adastro fratre corrupta. Ita coactus in bellum fatale proficiscì, primo die, quo Thebas venit, terræ hiatu absorptus est, unà cum curru, quo vehebatur, non sine prodigio: nam eum in locum aquila devolans, telum Amphiarai in sublime extulit, móxque demisit; id autem humi fixum, in laurum est versum. Cæterum Amphiaraus uxoris perfidiam ulturus, *Alcmæoni* filio in mandatis reliquit, ut acceptô primô mortis suæ nuntiô, matrem interficeret. Quo in facinore obeundo, cùm patris voluntati paruisset, in furorem incidit, & ad *Phegeum* fluvium, cujus undis se purgaret, concessit; qui filiam ei suam (nam apud Poëtas sub Deo Neptuno plurimi sunt Dii tributarii, madidis in regnis habentes sedem, & prolifici) *Alphesibœam* matrimonio collocavit, aureo monili desponsatam. Hanc cùm deinde repudiaret, & ab ea fatalem torquem repeteret, ut illum novæ nuptæ *Callirhoæ*, Acheloi filiæ, donaret, à fratribus Alphesibœæ *Themeno* & *Axione* cæsus est; sed hos ipsos Alphesibœa, Alcmæonem, quanquam conjugii proditorem, vindicans occidit. Hinc Propertius lib. 1. Elegi. 15.

Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres,
Sanguinis & chari vincula rupit amor.

Dissentit à Propertio Ovidius, qui 9. Metam. canit ex oraculo Themidis:

Tum demum magno petet hoc Acheloia conjux
Ab Jove Callirhoe: natis infantibus annos
Addat, neve necem sinat esse ultoris inultam.

Annuit Jupiter, & privignæ suæ *Hebæ* (quia solius Junonis filiæ) juventutis Deæ, mandavit, ut libris Callirhoæ Nymphæ, etiamnum impuberibus præproperaret juventutem, & viros faceret ante virilem ætatem, quò patris necem ulciscì possent. Neque aliter factum, quàm mandatum.

Ethica.

I. Variæ de Sphinge sunt explicationes, mihi placent tres potissimùm. *Prima*, Sphingis monstrum templis Ægyptiorum præfigi solitum indicabat, sacra mysteria obscura esse, arcanáque. Ob quam causam Augustus Imp. litteras suas obsignare Sphingis imagine solebat. *Secunda* est Ricciardi, Sphingis ænigma ad mysterium S. S. Trinitatis, referentis. Lapis pingebatur quadratus, *immobilis, immutabilisque Divinitatis* argumentum; huic rotundus innixus Orbis, *æternitatis signum*: triangularem pyramidem sustinebat, tanquam *Dei triunius* imago; hanc tres Sphinges fulciebant, ut Deum ex quo, in quo & per quem sunt omnia, velut ænigma omnium subtilissimum proponerent. Sed hoc est abstrusius, & Poëtarum ingeniô sublimius ac sacratius.

(*a*) *Tertia* expositio aptissima, quâ per Sphingem lascivæ mulieris, illecebræ captiosæ intelliguntur, uti exponit Cornelius à Lapide in illa verba Prov. 7. *Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum pertraxit illum.* Quæ verba sapiens de meretriciis illiciis usurpat. Nam sicut Sphinx erat monstrum Thebanum, ex variis animalibus commistum, ac confictum; sic lascivus amor ex variis tum *amati* ideis, tum *amantis* imaginationibus conflatur & confingitur. Sphinx enim vultu & manibus similis erat *puellæ* speciosæ, corpore *cani*, alis *avi*, unguibus *leoni*, cauda *draconi*, voce *homini*, quæ prætereuntes difficilibus & inextricabilibus quæstionibus remorari ferebatur. De qua Ausonius:

------ volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx; volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sic mulier illecebrosa habet vultum speciosum puellæ, sed corpore procax est, impudens, & luxuriosa, instar *canis*: alas habet *avis*, quia fora & compita ad cœtus juvenum non tam currit, quàm volat: ungues *leonis*, quia amasios suos lacerat: caudam draconis, quia eosdem in fine implectit, perdit, occidit, devorat ut draco: opes aufert, pudorem, honestatem, famam, vitam, si non corporis, certè animæ. Hinc Sphinx dicta ab effectu, quod homines suis verbis & quæstionibus ita stringat, ut se expedire non possint, nam σφίγγειν est *constringere* vel *vincire*. Experitur id, quisquis turpi amore implicatur. Hæc Cornelius.

II. (*b*) Quid sit mens conscientiæ malæ stimulis agitata, in Oreste ostendimus; & iterum in Oedipo docemus, qui quòd patrem occiderit,

(*a*) *Sphingi comparatur lasciva & illecebrosa mulier.* (*b*) *Conscientia mala.*

derit, & matrem uxorem duxerit, quanquam inscius, non sustinuit intueri solem; ipse sibi eruit oculos, in exilium abiit, denique fulminatus, pœnas luit. Sentit enim nocens priùs carnificinam, quàm videt; persequitur scelus autorem suum, raróque scelestum deseruit pœna pede claudo. Præclarè Pacatus in Panegyr. Theodosii Imperatoris c. 43. Habet vires, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices, ac sibi carnifex ipsa conscientia est. Et Quintil. declam. 12. §. 18. O tristis, inquit, recordatio! ô tormentis omnibus conscientia gravior! Et Chrysolog. serm. 15. Ruit, destruitur, stare non potest, quem conscientia destituit, impellit reatus. Philostratus lib. 7. de vita Apollonii c. 7. Conscientia est, quæ homines punit, cùm se malè operatos fuisse recogitant. Eadem enim Furiarum pœnas apposuit Oresti, quando adversùs matrem insaniit. S. Augustin. in psal. 36. Quisquis malus est, malè secum est; torqueatur necesse est: sibi ipse tormentum est. Ipse enim pœna est sua, quem torquet conscientia sua: fugiat ab inimico, quò potuerit; à se quò fugiet? Certe non effugit se Oedipus, quocunque tandem intentaret fugam, nefandi sceleris horrorem debebat natura ipsa injicere, nisi priùs rationis, postea verò frontis lumen extinxisset. Noluit magis, quàm non potuit agnoscere, quos debuit. *Iocasta* paris culpæ; paris pœnæ socia fuit. Diris execrationibus sese ipsum devovit infelix Oedipus ut Seneca refert in Oedipo. act. 4. Scen. 3.

------- Sæculi crimen vagor,
Odium Deorum, juris exitium sacri;
Quâ luce primùm spiritus hausi rudes,
Jam morte dignus.
Dehisce tellus, tûque tenebrarum potens
In tartara ima, rector umbrarum, rape.
Congerite cives saxa in infestum caput:
Mactate telis.

En quò rapiat sceleratos mortales desperatio; quem finem sortiatur impietas.

III. (c) Ex nefandis parentibus nefandi sunt orti filii, Eteocles & Polynices, ut agnoscas, flagitia non tantùm fieri, sed etiam nasci, quod alibi quoque diximus. Ad liberorum improbitatem contulit plurimùm, cùm thorus infandus, tum parentum in eos devotiones ac diræ; adeò, ut in proverbium abierit: *Oedipi imprecatio*, audiamus Senecam, in Thebaide act. 2. memorantem detestationes impias ab Oedipo in filios contortas. Mi-

(c) *Quales parentes, tales filii.*

Miscete cuncta, rapite in exitium omnia,
Dejicite passim mœnia, in planum date.
Templis deos obruite, maculatos lares
Conflate: ab imo tota considat domus:
Urbs concremetur, primus à thalamis meis
Incipiat ignis
------- non satis est adhuc
Civile bellum; frater in fratrem ruat &c.

Efferatior marito fuit Jocasta (ut hic sexus solet) in maledictis vibrandis, ut Euripides testatur. Hujusmodi parentum in liberos devotiones quàm sint formidandæ, quotidiana exempla docent. E sacris paginis constat, quibus calamitatibus involverit Chamum, ejúsque posteros Chananæos maledictio parentis Noë, justè quidem inflicta. S. Augustinus lib. 22. de Civit. c. 8. refert de matre, quæ decem filiis suis malè imprecata, tremulos illos, miseros, ac vagos effecit. Vidit hoc duce natura & ratione Plato, qui 11. de Legib. exemplis ostendit, malas parentum in filios preces à Diis exaudiri: Oedipus, inquit, contemptus à filiis (nam frustra in concordiam eos conciliare studebat) ea illis imprecatus est, quæ exaudita, effectáque ab iis, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum, illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Thesea, plurimósque alios aliis, quibus apertissimum factum est, à Diis preces parentum adversùs filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis pernicioſius filio, cujus rei firmior testis Siracides c. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta;* id est, domos & familias funditus evertit. Id quod supra quoque retulimus, & juvat inculcâsse.

IV. (*d*) Deus te perdat, Ambitio, inquit ille,
Quæ fratres armas in fratrum viscera, quæque
Securum à nato non finis esse patrem.

Exempla sunt innumera, etiam fratrum inter se agentium, quod egerunt inter se Eteocles & Polynices, quos regnandi libido in mutua vulnera & cædes impulit. Eandem causam habuit Romulus, cùm Remum occideret. Eandem in sacris historiis, Joram Rex Judææ, cùm suasu Athaliæ uxoris, fratres interfecit. Eandem Abimelechus, Gedeonis filius, patri longè dissimilis, qui uno die septuaginta fratres truncavit capite; ambitionis ultimum nefas, ac postea frequens. Eandem Aristobulus rex & ipse Judææ, cùm Antigonum fratrem è medio sustulit. Eandem Cambyses Persarum Rex, cui cùm per quietem visum

(*d*) *Ambitio quantum malum, etiam inter propinquos.*

esset,

esset, venisse sibi nuntium, qui diceret: *Mergidem solio sedere regio*, eum manu Perexaspidis Persæ interfecit. *Herodotus.* Eandem *Jugurtha*, Manastabalis filius nothus, cùm *Adherbalem* & *Hiempsalem*, Micipsæ patrui sui filios exanimavit, ut solus Numidis imperaret. Eandem Mithridates Rex Ponti, cùm matrem, fratrem, & insuper sex liberos peremit; & ipse demum à Pharnace filio necatus. Eandem innumeri alii, qui ferrum, dominandi cupiditate, parricidiis eruentârunt. Felix & beata erit civitas illa (& quælibet familia) in quâ hæc duo verba *Meum* & *Tuum* non audiuntur. Stobæus serm. 22. ex Plutone. Hæ duæ voculæ, etiam joco prolatæ quantam in nobili familia tragœdiam excitârint, narrat Bernardinus Scardeonius lib. 3. classf. 13. in descriptione urbis Patavinæ, & ex eo Jacobus Pontanus Attic. Bellar. Part. 1. Syntag. 1. hist. 55. Ex familia, inquit Liminæa Patavina antiquissima, fuerunt duo fratres, qui cùm per æstatem ruri post cœnam, noctu, sub dio in atrio domûs de diversis rebus diversa inter se loquentes starent, stellásque innumeras suspicerent & contemplarentur, quæ tum fortè sereno cœlo fulgebant; per jocum alter dixit ridendo: precari se tot sibi boves, quot stellas micare conspiceret. Tum alter mox item per jocum respondit: utinam mihi pratum esset instar cœli latum: & ad fratrem conversus, ubi tum, inquit, tuos pasceres boves? ille, in prato tuo. Rursus alter, quid si nollem ego? subjecit ille: te etiam invitô; Tu me invitô? Etiam, iterat, te invitô. Sic altercando risus in iram, ira mox in rixam, & in serium furorem conversa, dum neuter alteri cedere sustinet, exertis utrinque gladiis, seu pugionibus, quibus fortè ambo accincti erant, se invicem transfixerunt. Et hinc unus, illinc alter humi decidentes, exanimes in sanguine suo volutati sunt, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domum, fatali horâ properante extincti sunt. Quo luctu familiæ quis explicet? Adeò si cœlum quoque rixis materiam subjicit; quid litium non parit tellus, peperítque? Discordes in rogo duorum fratrum Eteoclis & Polynicis flammæ terreant animos, ambitione & iracundiâ accensos: nam quos dissidentes mors rapuit, nulla componet inter ignes æternitas.

V. (*e*) Eriphyles ob maritum monilis causâ proditum, à filio peremptæ, totiúsque familiæ perditæ meminit Horatius Od. 16. lib. 3.

-------- Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersáque excidio.

Et Propertius eleg. 10. l. 3.

(*e*) *Fallax mulierum amor & fides.*

Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Et Ovidius lib. 1. amor.

Ex quibus exierat, trajecit corpora ferro
Filius, & pœnæ causa monile fuit.

Arguit hic locus fallacem mulierum amorem & inconstantem fidem, si quis sit, qui licitetur. Quoties eius vitam, quem *oculum*, *corculum*, *delicium*, *animam* suam vocant, venalem gerunt! acus crinalis, flabellum, speculum, digitabulum, in auris, monile, murenula, armilla, annulus haud difficulter expugnat mutabile pectus. Juvenal. lib. 2. Sat. 6.

Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ.

Illæ maritos occiderunt; hæc occidendum prodidit. Nihil non audet, mulier superba simul & avara; plerumque tantò nocentior, quanto apparet innocentior. P. Syrus in Mimo ait: *Apertè cùm mala est mulier, tum demum est bona.* Euripides fucatum malum appellat. Idem in Hippolyto loquitur:

Odi mulieres, te verò præcipuè,
Quæ cùm malè egeris, blandè loqueris.

Eriphyla suâ proditione maritum in terræ hiatum præcipitavit. Toties hoc fit, quoties uxores malæ blanditiis ac nequitiis suis corda virorum evertunt; quarum superbiæ ut satisfiat, ad fraudes, ad rapinas, ad varios dolos adigunt eos; in impatientiam, in luxum, in avaritiam, in odia, in errores, in hæresim, in mille mala, & demum in æternæ damnationis barathrum pertrahunt. Felicissimus fuisset Imperator Justinianus, si conjuge Theodora caruisset, quæ ipsum in Eutychianam sectam induxit Baron. an. 540. Pari modo Arcadius Imp. ab uxore sua Eudoxia deceptus, sanctissimum Præsulem Chrysostomum in exilium egit. Baron. an. 404. Ita Valentem Imp. jam Christianâ doctrinâ imbutum, & baptismo proximum, Ariana hæresi implicavit uxor & perdidit. Theodoret. lib. 4. Eccles. hist. c. 11. Taceo plura. De huius generis feminis loquitur Philosophus *Secundus*, dum interrogatus quid esset mulier, respondit: Viri naufragium, domûs tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, conviva fera, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, necessarium malum.

VI. (*f*) Non desunt tamen illustres matronæ, quæ salutem mariti etiam suæ posthabebant. Nobile sacris in litteris huius rei documentum

(*f*) *Illustrium matronarum fides & charitas erga maritos.*

mentum dedit Michol, quæ conjugem suum Davidem parentis Saulis furori mirâ solertiâ subduxit, dum eô clàm emissô, pro loco viri simulacrum eius in lectulo suppositi, & regios satellites elusit. 1. Reg. 19. Memorabile est facinus feminarum Lacænarum, quæ captivos viros, mutatis vestibus liberârunt, ipsæque in captivorum locum se substituerunt. Plutarch. Quod etiam de nostris legimus, quæ tam efflictim maritos suos amaverunt, ut Conrado III. Imp. adversùs Guelfonem, Bavariæ ducem, bellum gerente, oppidúmque Winsbergam in deditionem accipiente, cùm fieret matronis gratia efferendi, quidquid humeris portare possent, illæ neglecto auro, & omni mundo muliebri, maritos suos humeris susceptos exportarent, admirante & collaudante mulierum fidem Cæsare. Jo. Navel. vol. 2. generat. 38. an. 1138. Majus etiam conjugalis amoris argumentum extitit, quod subdo. In expeditione adversùs Syros, Robertus Britanniæ Rex, gladio venenato, luculentam in brachio acceperat plagam, itáque insederat malum, ut in patriam reversus sanitati non posset restitui, nisi pus virulentum humano ore extraheretur, respuit Rex medicinam, facienti exitiosam, Regina facinus supra virum ausa, noctu solutis vulneris fasciis, primùm inscio marito, post etiam connivente, venenum sugendo elicuit, & plagam medicis præbuit facillimè curandam. Georgius Viviennus lib. 2. de offic. probi patrisfamilias. c. 13. & ex eo Georgius Stengelius de matrimon. c. 24. Idem beneficium contulit Eduardo Regis Angliæ primigenio filio uxor, Regis Hispaniæ filia. loc. cit. ex Roderico Santio p. 1. hist. c. 4. Adeò lingua feminarum vel pessimum telum, vel optimum est medicamentum. De Eriphyla Cicero 4. Verr. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate fuisse, ut cùm vidisset monile, ut opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine eius incensa, salutem viri proderet. Similis istius (Verris Cupiditas) hoc etiam acrior atque insanior, quod illa cupiebat id quod viderat: huius libidines non solùm oculis, sed etiam auribus excitabantur.

VII. (*g*) De Amphiarai sub terras raptu eleganter differit in Labyrintho cap. 5. p. 1. Stengelius. Amphiaraus vates Argivus & augur, cùm prævideret fore, ut in bello Thebano interiret, terræ diruptione absorbendus, diu pertinaciter domi latitavit. Sed ut plerúmque loquax & infida est mulierum natio, tandem ab uxore proditus, persanè invitus ab Adrasto ad bellum est pertractus. Ubi cùm manu pariter ac ferro strenuus, victrice curru sublimis pugnaret.

----- ecce

(*g*) *Peccatoris cum Amphiarao comparatio.*

------ ecce altè præceps humus ore profundo
Diſſilit, ínque vicem timuerunt ſidera, & umbræ.
Illum ingens haurit ſpecus, & tranſire parantes
Mergit equos, non arma manu, non frena remiſit.
Sicut erat, rectos defert ad tartara currus.
Reſpexítque cadens cœlum, campúmque coire
Ingemit.

Quàm multis nos partibus Amphiaraô inferiores ſumus! Perituri non providemus nos perituros. Aliis vates ſumus, noſtra pericula manticæ immitimus, quæ in tergo eſt. Amphiaraus longè ante proſpexit in abyſſum exitii ſui: nos fugimus, ſi quis digitum intendens monſtrare vult, ubi pereamus. Amphiaraus quod vidit, quà potuit, cavit. Nos ſæpè perſpicuè videntes, quid nos perdat, nihil cavemus. Illum uxor ſua prodidit; nos caro noſtra in pericula projicit. Imò ultro per abrupta in præcipitium inſilimus. Illum equi rapuerunt in profundum, nos rapiunt indomitæ cupiditates: Spes, metúſque inanes: brevis dolor, aut brevis voluptas: amor vindictæ, amor pecuniæ, amor gloriæ, quocunque volunt, tanquam infrunitæ beſtiæ rapiunt. *Ille cadens cœlum reſpexit, campúmque coire ingemuit;* nos deorſum ferimur, & ſurſum neque oculos, neque animos mittimus; Illum poſt tantum ſaltum, Elyſii proceres dicuntur magnis gaudiis excepiſſe: nos quò profundiùs immergimur in *Mundum*, eò profundiùs deſcendimus in *Infernum*; plorante cœlo, & tartaro ſuper nos cachinante. Hæc ille vir diſertus.

VIII. (*h*) Sed quid ſibi vult telum Amphiarai ſubditò laurô veſtitum, imò in laurum mutatum? Arbor hæc eſt Symbolum tam doctrinæ quàm Victoriæ. Oſtenditur, litteras etiam belli tempore utiles eſſe, quod comprobat celebre illud regis Agamemnonis votum, qui ut Troia faciliùs potiretur non Achillis, aut Ajacis, ſed Neſtoris decem ſimiles optabat ſibi. Nam & Architam Tarentinum, Philoſophum Pythagoricum ſexies exercitum duxiſſe legimus, & Meliſſum Sarminium, Parmenidis Philoſophi auditorem, navalibus aliquot victoriis inſignem fuiſſe; & ter ſtipendia faciſſe Socratem; & Xenophontem egregiam in bello civibus ſuis operam præſtitiſſe. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclem, Themiſtoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columina Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliósque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros, tum præſtantes doctrinæ ſtudiis fuiſſe hiſtoriæ loquuntur. Nam Julium Cæſarem quis neſcit utra laude præſta-

ret,

(*h*) *Litterarum & armorum conjunctio.*

ret; ambiguum pòsteris reliquisse? Atque hoc præclarè olim intellexisse videntur Mitylenæi præcipuam esse in Republ. vim litterarum, qui quos populos bello devicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent. Muretus vol. 1. Orat. 2. de laudibus litterar. Duæ sunt artes, inquit Cicero proMuræna, quæ possunt locare homines in amplissimo dignitatis gradu: una imperatoris, altera oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur.

Utrinque (ex litteris & armis, quæ duo conjunxit Amphiaraus) magnum decus, magna commoda, magna emicat gloria.

IX. (*i*) Laureata Amphiarai hasta in animum mihi reducit. Hastam illam Constantini M. quam in signum labarum militare, per modum Crucis, in cœlo conspicuæ, erexit; quippe per quam salutem, victoriámque adversus Maxentium tyrannum consecutus fuisset. Quænam verò glorioſior vel laurus, vel laureata hasta est, quàm quæ Dei gloriæ militavit: Tartari vires contrivit, disiectísque superstitionum tenebris, veræ Religionis jubar, longè, latéque propagavit? De qua Prudentius adversus Symmachum lib. 1. de potentia crucis.

------ Tunc ille senatus (scilicet Romanus)
Militiæ ultricis titulum, Christíque verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Et ibidem:

Testis Christicolæ Ducis adventantis ad urbem
Miluius, exceptum Tiberina in stagna Tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiârunt stemmate pila.

Figuram ejus hastæ ita depingit Eusebius apud Baron. ad annum Ch. 312. Hastile erat oblongum, erectúmque auro undique obductum, quod cornu (seu bacillum) habuit transversum, ad formam crucis constructum; in fastigio operis corona affixa, lapidibus pretiosis, & auro circumtexta. In ea salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobus solùm expressa elementis, id est, duabus primis litteris Græcis nominis Christi: erat P. in medio litteræ X. curiosè & subtiliter inserta, quæ totum nomen Christi perspicuè significârunt. Velamen ex cornu transverso pendebat, quod crucis mensuram æquavit, & illud gemmis & auro pretiosum. Hæc Eusebius. Nobile sanè trophæum, & omni-

(*i*) *Arma laureata Deo dedscanda.*

bus belli Ducibus ob oculos ponendum: ut meminerint gladios & hastas suas non innocentûm sanguine pingere: non rapinis & iniquis spoliis cingere; sed lauros eis inflectere, hoc est, justitiæ, fortitudinis, continentiæ laudes appendere, armáque in Dei causa vibrata, Deo victoriarum Datori, suis in templis, quod majores nostri fecerunt, dedicare.

X. (k) Amphiaraus tellure absorptus, laureatum telum, seu hastam, reliquit; quô significatur nominis post fata superstes fama & immortalitas. In tenebris jacerent fortissimorum virorum res gestæ, nisi lumen litterarum accederet. Defluereat in cineres memoria, nisi eam ab oblivione litterarum monumenta vindicarent. Gloria factorum eboris est instar, quod assiduo contactu, nitorem contrahit ætatum consequentium; & perpetuo velut affrictu, splendidior existit, beneficiô litterarum.

(k) *Litterarum dignitas ad famam militarem illustrandam.*

SYMBOLVM LIV.

Hebe & Ganymedes, Iovis Pocillatores.

Ex Homero lib. 4. Iliad. Virgilio 3. Æneid. Mythologo lib. 2. c. 5. & lib. 9. c. 13.

Ethicè.

1. Favor Principum inconstans. 2. Virtus & doctrina commendant formam. 3. Cur quidam in flore ætatis moriantur? 4. Virtus & invidia evehunt in astra.

HEben Latini, Tullio teste, *Iuventatem* (id est, juventutis deam) vocârunt; Poëtæ Junonis filiam fuisse dixerunt; & fabulosum ejus ortum hunc memorant. Fuit, cùm Juno ab Apolline, in domum Jovis ad convivium vocaretur; in eo præter nobiliores dapes, agrestes lactucæ appositæ fuerunt (nam dii ambrosiam quoque simplici ore distinguebant esca,) quas ubi Juno comedit, cùm antea esset sterilis, repentè fit gravida, & *Heben* filiam parit. Ea cùm pulcherrimæ formæ esset, Juventuti præficitur ab ipso Jove; & id præterea illi munus datum est, ut Jovi pocula ministraret, caput ornata serto variis è floribus texto. Verùm cùm aliquando inter ministrandum incautiùs & indecorè

lapsa

lapsa fuisset, removetur ab officio, & *Ganymedes*, Laomedontis, Troiæ regis filius sufficitur, ab aquila, dum venatur, subitò raptus, & jussu Jovis, in cælum portatus. Hinc deinde inter sidera translatus, in signum mutatus est, quod *Aquarius* vocatur, quia videlicet ejus sideris stellæ imaginem fundentis aquam situ suo referre videantur.

Ethica.

I. (a) Per Heben ab officio pincernæ à Jove remotam, intelligendum censeo, inquit Natalis Comes in Mythologia loc. cit. gratiam atque favorem principum, rem esse inconstantissimam, quæ facili lapsu amittatur, & cum ea omnia fortunæ ornamenta perdantur. Idipsum Ganymedis in Aquarium conversio docet. Erant ambo (Hebe atque Ganymedes) aliquamdiu gratiosi apud Regem Cœlicolûm, sed uterque collectam præstantiâ formæ, ætatis, obsequiorum, gratiam brevi effudit, quod inverso aquali Aquarius ille docet. Hæc præmia vitam sequuntur aulicam. Dum floret ætas, viret sanguis, viget corpus, gratissima servitur servitus. Si parum quid offendatur, repentè serenum in tempestatem vertitur, & malis avibus abire jubentur, quos augurio læto felicitas ipsa advocâsse videbatur. Id contigit Ganymedi. Aquila, ideſt, favor Principis ipsum usque in æthera evexerat; Præguſtator fit Jovis, auro gemmisque distinctum tenet manu poculum, nectar superum mensis ministrat. Et ecce! subitò scena vertitur, jubetur exesse Jovis regiâ, in Zodiaci se limites conferre, & pro Chrysendeto, *aqualem* sustinere brachiis. Ita solet fieri. Quidam cum dedecore aperto amandantur ab aulis; alii sub honoris specie, quemadmodum Ganymedi factum, cui Jupiter locum inter sidera assignavit, sed parùm honorificum: Hydriæ bajulum fecit. Frequenter idem Ministris Principum obvenit, quibus improvisò occinitur: aliò migrandum esse, famulantium numero non esse pares impensas. Posse tamen mutari tempora, & pristina obsequia requiri; interim viveret sibi, & bonæ spei. Scilicet; si sapis, & sentis, hic tibi ait: aquarius esto, frigidâ sitim, & olere fatuo, pelle famem. O infida securitas! ô labilis ascensus! ô lubricum aulæ culmen! Quidam interrogatus, quomodo, rarissimam rem in aulâ, consecutus esset senectutem? respondit, *injurias accipiendo, & gratias agendo*; Seneca lib. 2. de ira c. 34. Mare, qui intrat, inquit Lipsius, navigat, fluctus exspectat: qui Aulam, motus. In Aulis lenta sunt beneficia, præcipites iræ; leviſſimo momento in indignationem

(a) *Favor Principum inconstans.*

gnationem Principes impelluntur. Experti sunt Ganymedes & Hebe. In illum sic lusum est:

Quid sibi vult pronæ Phrygius puer urniger undæ?
Regia quem volucris nuper in astra tulit.
Siccine divini liquido pro nectare pocli
Pincernæ gelidas dextera fundit aquas?
Hæc Jovis ex Aula Ganymedis præmia? fusum
Principis ut vinum: gratia fluxa perit.

II. (*b*) Aliud ex Ganymede, sed imitationis documentum, *Virtus* & *forma* in eo certabant: hinc etiamnum adolescens in cælum raptus est. Qua re demonstrare voluerunt sapientes Ethnici ac Ethici, teste Cicerone 1. Tuscul. Virum prudentem à Deo amari, & ipsum proximè accedere ad divinam mentem. Est enim Ganymedes anima hominis, quam ob eximiam virtutem Deus ad se rapit; quæ tantò est pulchrior, quantò innocentior, & à contagione corporis remotior. Pocula Jovi ministrata indicant: Deum mirificè delectari officiis sapientiæ, eáque quasi sitire. Pulchritudo Ganymedis, virtutis est imago, quam si oculis corporis liceret cernere, ut Plato ajebat, mirificos sui amores excitaret in animis hominum. Aquila subvexit Ganymedem in alta, quia sapientia perspicax est, & acie aquilinâ prædita. Hæc Mythologus l. c. Addo ego ex Alciati emblemate 4.

Consilium, mens atque Dei cui gaudia præstant,
Creditur is summo raptus adesse Jovi.

Tractum id ex Xenophontis Symposio; quô loco ait, Ganymedem non corporis, sed animi causâ à Jove in cælum translatum, idque ipsum nominis etymo tradit, nam Γανυμήδης dicitur, ὃς γάνυται μήδεσι, qui divinis consiliis lætatur. Claudius Minos in eundem locum.

III. (*c*) Per Ganymedis raptionem & in cælum translationem significatur, quosdam à Deo in ipso ætatis flore è vitâ evocari, ne provectiores annis, in Numinis offensam, & salutis discrimen incurrant. Est enim Deus amator innocentiæ. Sapientiæ 4. v. 11. dicitur. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, & fictio* (dolus) *deciperet sensum eius.* Nam cum annis plerumque crescunt vitia, & turbidiùs fluit è cado, quidquid propius fundo est. Prænoscit Deus pericula labendi, hinc dilectas sibi animas maturè subducit iis. Propterea Salomon loc. cit. v. 14. *Placita enim erat Deo anima illius, propter quod properavit Dominus educere illum*

(*c*) *Virtus & Sapientia commendant formam.* (*d*) *Cur quidam in flore ætatis moriantur.*

illum de medio iniquitatum. Iterúmque v. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est.* Id est, probitas fecit amabilem Deo: & ne pravis improborum verbis & exemplis corrumperetur, ac quasi contagio afflaretur, subtractus est discrimini; pergit Salomon v. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitiâ.* Id est, improbitas specie honesti frequenter perstringit oculos mentis (præsertim adolescentum) ut quæ bona vera sunt, non videat, & contra bona putet, quæ verè mala sunt; impetúsque concupiscentiæ, quo agimur & rotamur, animum sincerum, simplicem, innocentem colluvie vitiorum corrumpit. Ibidem idem Sapientissimus Rex solatur parentes, ne lugeant præmaturum liberorum obitum, nam satis vixit, qui bene vixit, virtus non indiget annis; Hinc ille: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.*

Quisquis enim sapiens est, satis senex & canus est, qui vitam vivit immaculatam, etiamsi juvenis sit, senilis tamen ætatis decus & laudem non amittit. Nam, ut eodem loco, *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Ingens meritorum spatium brevissimo tempore emensus est, & penè priùs fuit in meta, quàm in stadium procurrere cœpit. Unde S. Ambrosius in funere Theodosii Imp. Perfecta, ait, est ætas, ubi perfecta est virtus. Puer Ascanius à Marone commendatur. 9. Æneid.

Ante annos animúmque gerens, curámque virilem.

Virtutis enim & sapientiæ celerior cursus est, quàm ætatis. Sunt quidam senes, bis pueri; & pueri ante ætatem senes. Senec. de Tranquill. c. 3. Nihil turpius, quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentũ, quo probet se diu vixisse, præter ætatem. Mediolanensis Præsul in ps. 118. *Præveni in maturitate &c.* Præcurrit, inquit, ætatem, quisquis in adolescentiâ positus, senilem gravitatem induit, & juveniles annos veteranâ quadam continentiâ regit: fervorémque virentis corporis, in cana morum maturitate componit. Et ibid. Quid potest habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, & jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, depósito jam segnior vigore convertat? Ganymedes nectar Jovi propinavit, id est, meliorem ætatis succum virtuti consecravit.

Fæx est & vappa, aut certè turbidum, quod ex sera senectute premitur. S. Chrysostomus in psal. 11. postquam exposuerat, neminem esse, qui non sibi eligat, servos & ancillas validas, vegetas, laboribus aptas; subjungit: quantò magis Deus vult adolescentiam, tanquam intactam

Virginem, sibi jungi, ut eius vitæ primitias ambiat: ne quis, cùm juventutem peccando exhauserit, languidam ac enervatam senectutem, ac vitæ fæcem virtuti (& Deo) reservet. Vidit idipsum Seneca Epist. 108. Quid ergo cessamus, inquit, nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimæ rei possimus æquare? Quemadmodum ex amphora primum, quod est sinceriſsimum effluit; graviſsimum quodque, turbidúmque subsidit; sic in ætate nostrâ, quod optimum, in primo est. Id exhauriri in aliis potiùs patimur, ut nobis fæcem reservemus. Hæc ethnicus Philosophus ipsis ethnicis exprobrat, quòd nobiliores vitæ spiritus, & mustum juventutis in nequitias effundant, & exhauriant; sibi autem ut in senectute vivant, viribus corporis & animi exhaustis, mentis ac rationis impotes, *fæcem reservent.* Quid ad hoc Christiani?

IV. (*d*) Jupiter Ganymedem feras venantem per aquilam in cœlum rapuit. Facit id virtus, quæ hominem brutas cupiditates, velut bestias, insectantem altiùs tollit, & ad cœlestium consortium evehit Jacobus Masen in spec. imag. Qui rem ad historiam referunt, inter quos est Eusebius, ajunt Ganymedem, minorem natu à fratribus interemptum; ad consolandas autem senis parentis (nempe Laomedontis, regis Troiæ) lacrimas, & leniendum desiderium, fingebant fuisse subtractum à Jove, sub aquilinâ specie latente, inque cælum subvectum; quemadmodum olim filii Jacobi Patriarchæ, cùm vendidissent Josephum fratrem, ingenio, formâ, vaticiniis spectabilem, mentiti sunt patri, ipsum alicubi à bestia raptum, devoratúmque fuisse. Rectè Plutarchus in Moralib. ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia. Ubi mel, ibi fel: ubi uber, ibi tuber: virtus dum premitur, extollitur. Ganymedes exturbatur è numero hominum, ut sedem accipiat in Choro superûm. Sic itur ad astra. Huc facit Epigramma:

Dum puer Iliacus disponit retia silvis,
Atque agitat celeres per juga celsa feras:
Ætheriis subito delabitur Ales ab oris
Armiger, innocuis unguibus hæret onus.
Felix præda volat frustra latrante Lyciſca:
Invidiam virtus non timet alta canem.

(*d*) *Virtus & invidia Ganymedem sustulere in astra.*

SYM-

SYMBOLVM LV.

Orpheus, mirificus Musicus.

11. Metam. 4. Georgicor.

Ethicè.

1. Vis & laus Musicæ. 2. Virtutum concentus. 3. Osores Liberalium Artium. 4. Vituperatio lascivarum cantionum. 5. Vir sapiens & eloquens. 6. Vir uxorius. 7. Amor conjugalis. 8. Gravis offensio in re parva.

Fuit hic Apollinis & *Calliopes* Musæ (vel ut alii volunt, *Oeagri* fluvii, & Polyhymniæ, itidem Musæ, filius, non longè à Pimpleis collibus natus; nam, quod alibi quoque notamus, Poëticæ illæ virgines, non semper erant virgines, uti nec Romanorum Vestales. Lyram Orpheus ex cornibus boum additis septem nervis, compositam, in primâ statim pueritia ab ipso Phœbo dono accepisse fertur; quam tantâ dexteritate & ingenio tractavit, ut omnes sui ævi musicos & cantores, artis peritiâ longo post se reliquerit intervallo. Hinc factum est, ut apud Thraces, quanquam homines barbaros in summâ admiratione & honore esset, quod testatur Virgilius in Sileno Eclog. 6.

Nec tantùm Phœbo gaudet Parnassia rupes,
Nec tantùm Rhodope miratur, Ismarus Orphen.

Aiunt insuper, illum tantâ carminum suavitate fuisse, ut non modò leones & tigres demulserit, atque omne ferarum genus mansuetum reddiderit; sed etiam Musicæ ipsius dulcedine saxa, silvásque cum montibus totis ad se attraxerit, & fluviorum cursus inhibuerit. Maro Georg. 4. inducit illum.

Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus

Et Ovidius. 11. Metam.

Carmine dum tali silvas, animósque ferarum
Threicius Vates, & saxa sequentia traxit.

Navigavit cum Argonautis, eósque modulaminis dulcedine à Sirenum periculis conservavit. Miro tenebatur amore uxoris *Eurydices*, cum qua conjunctissimè, suavissiméque convixit. Hæc, cùm servandæ castitatis

ergo

ergo insequentem *Aristæum* fugeret, calcato per imprudentiam Colubro, pede morsum & venenum accepit, immaturóque funere obiit. Ex eâ morte ingentem dolorem hausit Orpheus, adeò, ut desiderio coniugis efflictim amatæ, viam moliretur sub terram, ad ipsum Plutonis regiam, & inferos manes. Ibi Citharæ dulcedine, & flebilibus modis, ipsius Acherontici regis animum, cæteroquin mitigari nescium, primus omnium flexit, ut resciſſa fatorum lege, Euridicen maritum sequi, atque ad superos reverti permitteret: hac tamen proposita conditione, ne ille respiceret, antequam supernæ luci redditi essent uterque. At verò Orpheo, solicito supra modum de uxore, & utrùm se sequeretur dubio, non satis alto sedit pectore atrox Plutonis præceptum. Amore námque conjugis respexit, cùm jam propè emersisset è subterraneo itinere. Hinc factum, ut omnis Ditis Patris indulgentia, & beneficium Proserpinæ (nam & hæc suas preces interposuerat) fieret irritum: revocata námque fati violentiâ mulier, ad umbras priores redire jussa est. Orpheus duplici dolore ictus, cùm de conjuge jam repetenda desperaret, omne mulierum consortium de cætero aversatus, solitariam vitam degere, ínque silvis ac secretis recessibus, Musicæ beneficio, ægrum solari animum constituit. Cui proposito cùm inhæreret pertinaciùs, *Mænades*, mulieres, orgia Bacchi celebrantes, in illa loca bacchantium habitu delatæ, & conspicatæ osorem generis sui, facto in divinum Citharœdum impetu, frustillatim illum, & per summos cruciatus laniaverunt. Cujus ita lacerati membra collecta, postmodum sepulturæ mandata sunt apud *Libethram*, Asiæ oppidum. Caput, quod furiosæ Bacchæ humeris avulsum, cum Lyra in Thraciæ fluvium abjecerant, servitio illius fluminis ad Lesbum insulam delatum: *Lyra* verò ab Apolline inter astra collocata est.

Cæterùm perhibetur, oraculo vaticinium editum esse, tempus adfuturum, ut exitio pessimo Libethrani darent Diis pœnas à *Porco*: quandocunque vatis Orphei cineres & ossa Sol cœpisset intueri. Quod oraculum tunc, quorsum evasurum esset, ignorabatur: & cùm à *sue* nemo tantum malum metueret, negligebatur. Accidit autem posteris tempestatibus: ut ad Orpheici cippi pedem, in os insertâ fistulâ pastor quidam, suavè modulans, somno obrepente sopiretur: nec tamen è labiis fistulam, ne dormiens quidem, dimitteret; & canna, vehementiore dormientis proflatu, nihilo minus, quàm si vigilaret, sonitum quendam rudem ederet. Id quidam fortè præteriens, ut animadvertit: risu ca-

sum

sum hunc & admiratione prosecutus, statim in urbem nuntiavit: *Pastorem dormientem canere.* Concurritur effusè tum ad pastorem sopitum, tum Orphei columnam; multitudinis compressione evertitur pila, frangitur sepulchralis urna, effunduntur cineres, solísque radiis ostenduntur vatis ossa, uti prædictum fuerat. Prædictionis fidem implevit *Sys* torrens (suem Græcis significat) qui eluvionibus Libethram urbem cum mœnibus atque tectis disjecit. Túmque demum intellectum, quisnam esset, quamquam formidandus *Porcus*, qui civitatem Libethranorum esset multaturus, ob Orphei reliquias patefactas. Bisselius ex Cœlio Rhodigino lib. 18. c. 22. Ruinarum illustrium Decade. 2. de Orpheo. Quin etiam Pausanias in Bœoticis tradit, Thracibus persuasum esse, Luscinias in nemore, ubi monumentum Orphei, cæteris ejus generis avibus & vocaliorem edere cantum & amœniorem.

Ethicè.

I. (a) Quanta vis & laus sit Musicæ documentum est Orpheus, qui non tantùm hominum aures, sed etiam ferarum & volucrum; quódque mirandum magis, surdas arbores, lapides, saxa, & flumina traxit. Neque hoc duntaxat; ipsi quoque inferi ab ejus cantu pendebant, & impiorum supplicia quasi obstupefacta cessabant; Poëta canente, mollita sunt ipsius etiam Plutonis pectora:

Nesciáque humanis precibus mansuescere corda.

Ovidius graphicè de Orpheo.

Talia dicentem, nervósque ad verba moventem,
Exangues flebant animæ: nec Tantalus undam
Captavit refugam: stupuítque Ixionis orbis:
Nec carpsere jecur volucres: urnísque vacarunt
Belides: ínque tuo sedisti Sisyphe saxo:
Tum primùm lacrimis victarum carmine, fama est
Eumenidum maduisse genas: nec regia conjux
Sustinet Oranti, nec qui regit ima, negare.

Non minùs eleganter Horatius lib. 3. Ode. 11.

Tu potes tigres, comitésque silvas
Ducere: & rivos celeres morari:
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ.

(a) *Vis & laus Musica.*

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniésque manet
Ore trilingui
Quin & Ixion, Tityósque vultu
Risit invito, stetit urna paulùm,
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Et Maro graviter. 4. Georg.

Quin ipsæ stupuere domus, atque intima Lethi
Tartara, cœruleósque innexæ crinibus angues
Eumenides, tenuítque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionei vento rota constitit orbis.

Quid dici, fingíque potest ampliùs de præstantia Musicæ, in ipsa Tartara dominantis? Omnino partem valet in omnem, numerorum & modulorum artificiosa concinnitas; quorum celeritate rapiuntur animi, tarditate torpescunt, gravitate componuntur, levitate vanescunt, aut læti, aut hilares, aut quieti, pro carminis habitu, formáque canendi. Concitandi sunt in prælia animi? Mars accenditur cantu. Revocanda ad mansuetudinem pectora? mulcentur cantu. Solvenda sunt in lætitiam? relaxantur cantu. Inflectenda ad mœrorem? langueścunt cantu. Percellenda metu? Dejiciuntur cantu. Iterum ad spem reducenda? eriguntur cantu. Memoratu dignum & mirum est, (placet enim has commentationes nostras etiam historica varietate condire) quod de Erico 11. Daniæ Rege scribit Crantzius lib. 5. Daniæ c. 3. & *Saxo* (qui se demissionis causâ Grammaticum appellavit) cap. 12. Apud Ericum, cognomento *bonum*, Daniæ regem citharœdus haud ignobilis, admirabiles & propè stupendos artis suæ commendabat effectus, maximéque illud ipsum, quòd in humanos sensus, mentésque obtineret imperium. Rex verborum novitate perculsus, qui neque vim tantam musicæ arbitraretur, continuò hominem artis specimen edere jubet, & torpentes animos ad furorem Martium, si posset, accendere. Annuit ille, & nequa nocendi causa daretur, arma omnia ex aula ferri præcipit, custodésque in atrio collocari, quò furentes, si fortè in rabiem agerentur, compescerent. Dictum, factum. Tum ille, qua plurimum valebat, canendi, ac organa & fides tangendi peritiâ: primùm quidem amarissimos, deplorantis, lamentantis, ac desperantis animæ threnos exorsus, omnium,

omnium, quòtquot aderant, auditorum mentes, non stupore duntaxat, & mœrore oppressit; sed & singultus, & uberes lacrimas, flebili suo cantico expressit. Deinde adeò suaves, & mellitos cantus effudit, ut toti jactatione corporis, & saltabundi, intemperantem lætitiam proderent. Tandem verò ubi acrioribus, ac severioribus modulis intonare cœpit, continuò totis tectis aulici fremere, tumultuari, arma & gladios inclamare, & in se furere conspicati sunt. Nec mora; accurrunt custodes, ut regem cum suis furentem contineant; sed ille effractis atrii foribus, arrepto ense, quatuor confodit; & ut actus in rabiem taurus, totis bacchatur ædibus. Vix tandem pulvinarium & lectorum mole undique oppressus, contineri potuit. Menti restitutus, relicto regni Procuratore filio, Hierosolymam expiandorum homicidiorum gratiâ profectus, atque in Cypro defunctus est. Hæc illi Scriptores. Et Dio, oratione 1. de regno refert, Timotheum Musicum, quoties libuerat, Alexandri Magni animum ita accendisse cantu, ut efferatus rueret in arma, iterúmque emollitum, ad hilares epulas pertraxisse. Terpander, quem comesta ficus suffocavit, seditionem inter Lacedœmonios concitatam, musicâ sedavit. Græci deliberaturi de rebus maximè seriis cantum *Dorium* sæpè adhibuerunt. Cassiodorus vim musicæ in morbos, longâ oratione explicat; ubi inter alia de diversis modulis, & eorum effectibus: *Dorius*, inquit, prudentiæ largitor est, & castitatis effector: *Phrygius* pugnas excitat, votum furoris inflammat: *Æolius* animi tempestates tranquillat: *Lydius* intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio gravatis, cœlestium appetentiam inducit. Hæc Cassiodorus. Alii non nihil aliter: nam *Phrygium*, *Ionicúmque* modulamen mollitiei & lasciviæ damnant. Vide etiam Vallesium c. 28. in S. Scripturam.

Itáque vis ex concitato & iracundo placatum efficere? modulos adhibe. Præter nominatos, testis animosus Achilles, qui cùm vehementissimè in Agamemnonem indignaretur, & jam animus propè in arma, vímque erumperet, citharam capiebat, sono dulci motus tumidos retundebat. Ælian. lib. 14. histor. var. Ita Theodosium Augustum ob imperatorias statuas ab Antiochenis dejectas, extrema quæque minitantem, Favianus urbis eius antistes, lugubri quodam modulatu ita mitigavit, ut Imperator ad misericordiam flexus, & injuriæ oblitus, poculum ipsum, quô in convivio utebatur, lacrimis respergeret. Sozomen. lib. 4. c. 23. Vis ex libidinoso pudicum, ex ebrioso sobrium reddere? melodiam applica; sic, memorante Plutarcho, cùm Pythagoras fortè in homines ebrios tibicini

adambulantes incidiſſet, extemplo *Dorium* (eſt genus modulaminis) canere juſſit, quâ cantûs mutatione ita crapulam diſcuſſerunt, ut corollas capite detraxerint, ad majorem ſeſe modeſtiam compoſituri. Idem videns juvenem quendam, libidine flagrantem ad oſtium amicæ inſanire, mutatis *Phrygiis* in graviores modulis, eum ad ſanam mentem revocavit. Hinc eius diſcipuli, cùm dormitum irent, aut cubito ſurgerent, ad placidum animi ſtatum retinendum, cantu & Symphoniâ utebantur. Iidem ſiquando ad iracundiam ſe præcipites fieri ſenſiſſent, continuò aptatis fidibus teſtudinem modulatè pulſabant, & quærentibus cauſam, ajebant, ſe animo mitigari. Quid quod orcinus ipſe ſpiritus modulatu muſico non fabulosè, ut Orpheus Plutonem mitigavit, ſed verè dometur, & comprimatur, uti ſacra hiſtoria teſtatur 1. Reg. 14. quando David, Jeſſæus juvenis, dulcedine citharæ Saulem Regem ab inſeſſore ſtygio agitatum, ad quietem & malaciam mentis compoſuit. Apollonius Rhodius ſcribit, Argonautas ad ſonitum Lyræ Orphéæ remos duxiſſe; piſces marinos navim *Argo*, ſuavitate Citharæ delinitos, ſecutos; eadémque heröes diſſidentes reconciliatos fuiſſe. Quid validius muſicâ? Hæc etiam labores & miſerias levat ac ſolatur, quod argonautici remiges ſunt experti. Hinc Pelignus vates lib. 4. Triſt.

Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero cùm grave mollit opus.
Cantet & innitens limoſæ pondus arenæ
Adverſo tardam qui vehit amne ratem.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsâ brachia verſat aquâ.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxóque reſedit
Paſtor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
Fallitur ancillæ, decipitúrque labor.
Fertur & abductâ Lyrneſſide triſtis Achilles
Æmoniâ curas attenuâſſe Lyrâ.
Cùm traheret ſilvas Orpheus & dura canendo
Saxa, bis amiſſa conjuge mœſtus erat.

Adeo Muſicæ vis per aurium ſenſus, quaſi per animæ veſtibula, ſi quando potentiùs illapſa eſt, tum delicato quodam titillationis Lenocinio, mentem ſurripit, & miti quodam dominatu omnes affectuum fides ac chordas excitat, & pro libitu placat. Atque hoc eſt, quod dicatur Orpheus beſtias,

bestias, ligna, lapides moviſſe, curſum fluminum ſtitiſſe, rauca murmura compeſcuiſſe.

II. (*b*) Longè verò dulciſſima eſt illa Muſica, quæ canit intus, & efferatas animi perturbationes ad rationis numeros, velut ad harmoniam componit. Quod Macrobius obſervavit lib. 2. in ſomnio Scipionis c. 3. *Omnis*, inquit, *habitus animæ cantibus moderatur.* Plato quoque in Timæo: *Data nobis eſt harmonia, non ad voluptates rationis expertes, ſed ut per eam, diſſonantem circuitum animarum componamus, & ad concentum ſibi proprium revocemus.* Et Seneca Epiſt. 88. *Ad Muſicum*, ait, *tranſeo, doces me, quomodo inter ſe acutæ & graves voces conſonent; fac potiùs, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent. Monſtras mihi, qui ſint modi flebiles: Monſtra potiùs, quomodo inter adverſa non emittam flebilem vocem.* Si Platoni credimus, corpus noſtrum cithara eſt, citharœdus eſt animus: cui nunc hæ, nunc illæ fides tentandæ; modò lex oculis, modò linguæ ponenda; modò aures, modò manus adſtringendæ; nunc luxuriæ, nunc impatientiæ affectus ad debitam normam revocandi. Hominis chriſtiani princeps cura eſt, ut quotidie citharam ſuorum affectuum examinet. Et jam cum iracundiâ ſuâ litigat, nunc invidiam reprehendit, modò ſuam ſomnolentiam exſtimulat, mox lætitiam refrænat, inde triſtitiam mitigat. Semper his ſuis chordis oberrat, totiésque vel remittit, vel ſeveriùs intendit, donec in harmoniam conſpirent.

III. (*c*) Meritas pœnas dederunt Libethrii, homines ab omni Muſarum commercio alieni, elegantiorum diſciplinarum ſtolidiſſimi contemptores, Orphei & Muſices oſores. Hinc à torrente, cui nomen *Sus*, cum horrido murmure, in modum porci grunnientis, ſuperobruti, dignum craſſis auribus acroama ſenſerunt. Unde adagium: *indoctior Lybethriis. Non impedias muſicam*, monet Siracides cap. 32. quod ſibi dictum putent *Miſomuſi*, quibus ſuavius tinnit æreus in loculis nummulus, aut rudentis in ſtabulo ſtridor aſelli, quàm Orpheæ ſonitus Citharæ, ad haram potiùs natis, quàm ad Lyram.

IV. (*d*) Orphei Lyra inter aſtra relata eſt. Cur? Quia caſta, honeſta, ſacra cecinit. Videlicet de impiorum Gigantum clade de Herculis laboribus, Corybantum viribus, Minervæ Sacrificiis; de deorum luſtrationibus, vaticiniis, auſpiciis; de ſignis & prodigiis: de inferorum expiationibus: de motu & ratione aſtrorum &c. Orco quàm cœlo digniores ſunt illæ lyræ, citharæ, voces muſicæ, quæ modulatu laſcivo

(*b*) *Virtutum concentus.* (*c*) *Oſores liberalium artium.* (*d*) *Vituperatio laſcivorum cantuum.*

scivo aures vulnerant, animos emolliunt, Veneres stimulant, cupidines animant, theatra infamant. Et illi quoque cantores seriùs sperent sidera, qui fractis in mollitiem modulis, & ambitioso numerorum flexu artem suam referunt magis ad vanitatem, quàm ad pietatem: ad suam arrogantiam, quàm ad Numinis reverentiam, sequentes genus canendi effeminatum, saltatorium, Phrygium, emasculatum, minimè religiosum, vibrantes & crispantes vocem non aliam, quàm qualem describit Juvenalis sat. 3.

Miratur vocem angustam, quâ deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Monet suaviter Mellifluus Doctor: *Cantus, plenus sit gravitate: nec lasciviam resonet, nec rusticitatem: sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda: tristitiam levet, iram mitiget: sensum litteræ non evacuet, sed fœcundet.* Bernard. epist. 312. ad Guidonem Abbatem.

V. (e) Orpheus, ut scribit Pausanias in Bœoticis, multa humanæ, politicæque vitæ utilia invenit, nam Deorum initia, & universam Theologiam primus aperuit, & quibus ritibus cœlestium iræ placentur, tradidit. Mythologus ait lib. 7. c. 14. Orpheus vir fuit planè sapientissimus, *Lini* auditor, & ut illa ætas ferebat, divinarum rerum peritissimus; post mortem Eurydices, cæterarum mulierum conjugium sprevit, & ideò illi sexui exosissimus fuit, unde hominum consortium fugit, & satis sibi voluptatis ex sua cithara hausit, nunquam minùs solus, quàm ita solus. Hic idem cùm in rudes adhuc mortales incidisset, qui sine ullo morum delectu, & sine legibus viverent, ferarúmque ritu per agros, nullis conditis tectis, vagarentur, tantùm dicendo, & orationis suavitate valuit, ut ad mansuetius vitæ genus feros homines traduxerit, illos in unum locum convocârit, civitates condere docuerit, legibúsque civitatum obtemperare, matrimoniorum fœdera servare: quod fuit antiquorum poëtarum munus creditum; & est reipsa, sicut canit Horatius in arte Poëtica:

Silvestres homines sacer, interprésque Deorum,
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidósque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam:

Publica

(e) *Vir sapiens & eloquens.*

Publica privatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare jura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Hic tanta vi dicendi fuisse dicitur, ut consternatos animos mortalium, & ob aliquam præsentem calamitatem in desperationem lapsos erexerit, & in priorem statum reduxerit, atque ad tranquillitatem revocârit. Hic ipse placatis inferis, animi perturbationibus scilicet, Eurydicen in lucem reducere conatus est, quæ, ut nomen ipsum significat, nihil aliud est, quàm *justitia & æquitas*. Hæc Comes Natalis & ego, in laudem Orphei.

VI. (*f*) Sunt tamen multa, quæ in eodem reprehendas. Nam etsi libenter ipsum contra Pausaniam, & alios, ab insimulatione magiæ & necromantiæ absolvimus; non potest tamen extra vituperium poni, quòd nimiùm abripi se passus sit uxoris amore. Propter ipsam ad inferos usque descendit, eiúsque desiderio tam impatienter arsit; ut in reditu, cùm jamjam superas evasisset in auras, tantillùm oculis imperare non potuerit, quin in Conjugem respiceret, & amando perderet, quod amando acquisivit. Poëta Mantuanus 4. Georg.

----- subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes;
Restitit, Eurydicénque suam, jam luce sub ipsâ
Immemor, heu victus animi, respexit; ibi omnis
Effusus labor: atque immitis rupta tyranni.
Fœdera.

Hoc ipsum non rarò viris contingit Sapientiâ præstantibus, ut audiant *Vxorii*. De Orphei citharâ Martialis lib. 14.

Reddidit Eurydicen Vati, sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Et Virgil.

Eurydice ex oculis subitò, ceu fumus in auras
Commistus tenues, fugit diversa.

Non fuit par Orpheus ferendæ tantæ jacturæ ac dolori; diu, noctúque lamentis se dedit, hominum consuetudinem fugit, in solitudinem secessit, ut mœstis næniis vacaret; ita quidem ut abscissum etiam Vatis caput Eurydicen suam ingeminaret. Maro loc. cit. Inter alia canit:

Tum quoque marmorea caput à cervice revulsum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus

Volue-

(*f*) *Vxoris vir.*

Volueret: Euridicen vox ipsa, & frigida lingua
Ah miseram Eurydicen, anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Imitantur Orpheum, quotquot plus æquò mulierosi, ægritudinem ex absentia vel obitu uxoris nimis molliter tolerant.

Stridonensis Doctor lib. 1. c. 10. contra Jovinianum ait, quantumvis honesta sit amoris conjugalis origo; magnitudinem tamen eius esse deformem: & amatorem *Sue* flagrantiorem, à mœcho parùm distingui. In his fuit Antoninus Pius Imp. qui mortem Anniæ Faustinæ suæ, quanquam prostratæ pudicitiæ mulieris, adeò dolenter excepit, ut aliter luctum suum, nisi divinis ei decretis honoribus, ac statuis aureis erectis, consolari nequiverit: quò saltem in aris præsentem haberet, quam in thalamo jam non posset. Historia Augustæa in Anton. Pio. Claudius autem Cæsar, nec interfectæ quidem, jussu suo, conjugis Messalinæ, infamis libidinis feminæ, deponere memoriam potuit: quin eiusdem adhuc diei vesperâ, quâ ceciderat illa, sciscitaretur ex astantibus & convivis; *Cur non ad cœnam & Domina veniisset?* quæ tamen apud inferos jam vel maximè cœnabat, Sueton. in Claudio c. 39. In historia S. lib. 2. Reg. c. 3. Legimus, cùm Abner Dux militiæ, Micholem Saulis filiam, Davidis uxorem, iniquè alteri cuidam, nomine *Phaltieli* à Saule desponsatam, ad legitimum thorum reduceret, secutum fuisse Phaltielem, & per totam viam, usque ad oppidum Bahurim *plorâsse*. Convenit in hos ploratores illud Virgilianum, Æneid. 9. à Numano quodam nomine, natione Latino, in Trojanos, seu Phryges contortum.

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi, juvat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos, buxúsque vocat Berecynthia matris
Idææ: sinite arma viris, & cedite ferro.

VII. (g) Quanquam hoc ipsum poterat Orpheo ignosci, quem ardentissimus conjugis amor in tristitiam immodicam conjecit. Cùm enim mulieres honoris sui studiosissimæ, conjugalis amoris exemplaria jactent, Arriam Pœti, Porciam Bruti, Juliam Pompeii, Artemisiam Mausoli, Alcestin Admeti &c. habent viri, quem ipsis opponant Orpheum, velut Solem, minoribus astris.

Nescio

(g) *Amor conjugalis.*

Neſcio tamen, an non hoc, quod de Orpheo fabulosè traditur, ab amœniſſima hiſtoria ſuperetur. Ansberta nobilitate, opibus, virtute præſtantiſſima matrona, ſexus & nationis ſuæ (Germana fuit) eximium decus, admirandum fidei & amoris conjugalis exemplar, ut maritum ſuum, Bertulphum nomine, è captivitate & ſervitute Turcica liberaret, virilem induit habitum, fidicinem ſimulavit, in Palæſtinam navigavit, barbarúmque Tyrannum adeò teſtudine ſuâ demulſit, ut in prœmium ſuaviſſimi cantûs, captivum ei juvenem, tum fortè ſub aratri jugo ingemiſcentem (conjux erat) donârit; quô cum ſalva & incolumis, nec niſi tamen poſt multas ambages agnita, patriis eſt laribus, & conjugali thoro reddita. Hiſtoriam fusè & eleganter enarrat Jacobus Bidermannus in acroamatibus lib. 2. acroam. 2.

VIII. (*b*) In Orpheo præterea reprehenſionem meretur inconſtantia in benè cœptis. Nam qui uxoris reductione iter formidabile in ſe ſuſcepit, & tanta pericula exhauſit; quem nec triceps Cerberus tartareæ janitor aulæ, nec terrifici Furiarum angues: nec tremendus ſtygii vultus tyranni abſterruit à propoſito repetendæ conjugis, denique cùm jam haberet, quaſi in ſinu ſuo dilectam Eurydicen, non potuit continere lumina, donec in plenam lucem emergeret. Curiosè reflexit oculos, & unico momento temporis, quidquid tantis laboribus quæſivit, perdidit. Meritò Virgilius

------ Ibi omnis effuſus labor.

Deinde legis à Plutone latæ nulla erat difficultas: quid enim facilius, quàm temperare nonnihil reſpectui. Et hoc ipſum tamen præceptum haud ſanè operoſum violavit mollior animus. Gravis oſtenſio in re parva. Ita *Loti* conjugem contra vetitum Sodomæa incendia reſpectantem, eodem temporis articulô pœna eſt conſecuta. Ubi peccavit, ibi hæſit in veſtigio curioſa mulier, ínque ſalis ſtatuam eſt converſa, meritô inter metamorphoſes numeranda. Gen. 19. Ex illa ſapiant feminæ, ex Orpheo viri.

(*b*) *Gravis offenſio in re parva.*

SYMBOLVM LVI.

Arion Citharœdus, à delphino ſervatus.

Herodotus in Clio. Ovid. lib. 2. Faſtor.

Ethicè.

1. Avaritiæ tormentum. 2. Muſica etiam brutas animantes delectat. 3. Amor delphinis erga hominem. 4. Delphinus variarum virtutum Symbolum.

ORpheo meritò ſubjungimus *Arionem*, qui quod ille in ſilvis, ipſe in undis præſtitit; alter feras ſilveſtres, alter marinas ſuavitate cantûs demulſit, & in admirationem ac amorem ſui traxit.

Orpheus in ſilvis, inter Delphinas Arion.

Erat Arion patriâ Methymnæus, ludendi fidibus peritiſſimus, Periandro Regi Corinthi longè chariſſimus, artis gratiâ; delatus in Italiam aures omnium, mentésque canendo cepit. Grandi poſtea pecuniâ, & re multâ copioſus in Græciam ſtatuit redire, & quæſitas opes conductô navigiô Corinthum transferre. Navem igitur & nautas, ut notiores, amiciorésque Corinthios ſibi delegit. Illi homine accepto, navíque in altum provectâ, prædæ, pecuniæque avidi, conſilium ineunt de necando Arione. Quem cùm jamjam in mare præcipitem daturi eſſent, hoc unicum ſibi in extrema morte ſolatium impendi rogavit, ut ſuis ornatibus ſibi indui permiſſis, fides capere, & funeri carmine præludere liceret; ratus, barbarorum in ſeſe hominum conceptum furorem cantu mitigari poſſe. Indulta illi quidem aliqua fidium modulatio, ſed quam immites denique nautæ præcipitato in Oceanum Arione, abrumperent. Alii ſcribunt, Arionem de more cinctum, amictum, ornatum, ſtantémque in ſumma puppe, cùm vitam à trunculentis cantando exorare non poſſet, ſemet in profundum ejeciſſe. Quidquid ſit; hominibus mitiores fuere marinæ belluæ; ſiquidem delphinus, ô novum, & mirum, & pium facinus! cantu illectus adfuit, dorſúmque nataturo præbuit Citharœdo, atque in *Tænarum* Laconiæ, eundem cum ſceleratis nautis, portum deportavit. Arion ex eo loco Corinthum petiit: talémque Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, ſeſe obtulit: eíque rem, ſicut acciderat, enarravit. Rex iſthæc

parùm

parùm credidit, Arionem, quasi falleret, custodiri jussit; nautas requisitos, ablegato Arione, dissimulanter interrogat, ecquid audiissent in iis locis, unde venerant, super Arione? Illi respondent, hominem, cùm inde irent, in terrâ Italâ fuisse, eúmque illic bene agitare, & studiis delectationibúsque urbium florere, atque in gratia, pecuniáque magna fortunatum esse. Inter hæc eorum verba subitò Arion cum fidibus & indumentis, cum quibus in salum erat dejectus, extitit. Nautæ stupefacti, convictique ire inficias non quivere; quare Rex maleficos capitis condemnat, Arioníque restitutis fortunis, simul improborum se vindicem, simul innocentiæ defensorem exhibuit. Quàm verè Horatius

Rarò antecedentem scelestum
Deservit pœna pede claudo.

Festivè ut solet Naso lib. 2. Fastor. hanc fabulam decantat. Audiamus:

Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe sequens agnam, lupus est à voce retentus,
Sæpe avidum fugiens, restitit agna lupum.
Sæpe canes, leporésque una jacuere sub umbra;
Et stetit in saxo proxima cerva leæ.
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit, & accipitri juncta columba fuit.
Cynthia sæpe tuis fertur, vocalis Arion,
Tanquam fraternis, obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
Captáque erat Lyricis Ausonis ora sonis,
Inde domum repetens, puppim conscendit Arion,
Atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Forsitan infelix ventósque, undásque timebas,
At tibi nave tua tutius æquor erat.
Namque gubernator districto constitit ense,
Cæteráque armata conscia turba manu.
Ille metu pavidus, Mortem non deprecor, inquit,
Sed liceat sumptâ pauca referre Lyrâ.
Dant veniam, ridentque moram: capit ille coronam,
Quæ posset crines, Phœbe, decere tuas
Induerat Tyrio distinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.

Flebilibus numeris, veluti canentia durâ
Trajectus pennâ tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas,
Spargitur impulsâ cœrula puppis aquâ
Inde (fide majus) tergo delphina recurvo
Se, memorant, oneri suppositisse novo.
Ille sedet, citharámque tenet, pretiúmque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.

Ethica.

I. (a) Protrahatur, hîc exclamat Valerius Max. lib. 9. c. 4. in medium avaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima. Et nemo tam firmum habuit præsidium, quod avaritia non infregerit, atque debilitaverit. In nullum avarus bonus est, in se pessimus. Hinc Corinthii isti necem Arioni machinati, sibi intulerunt; illum in pelagus, se in nefariæ machinationis supplicium conjecerunt. Plus enim sibi ipsis nocent, qui in alios fraudem struunt; quia magis hos conscientia cruciat, quàm illos damnum. *Index* exspectatur, ait S. Basilius hom. 21. & avarus cogitat, ne in jus trahatur; ne orphanus suas lacrimas in foro palàm faciat. Nocte consultat, quomodo manè sibi quosdam advocatos præparet, quomodo in judicio mentiendo, destitutum opprimat. Eius animum hæ curæ continuò mordaces absumunt. Canis latrat, avarus putat furem esse. Mus fortè perstrepit, & avari cor palpitat. Filios jam grandes ut insidiatores aspicit, & successores relinquere suarum opum timet. Documentum huius rei dedêre nautæ, qui feliciùs appulissent, si innocentiùs navigassent. Evasit è fluctibus Arion, & mersi sunt, qui mergere voluerunt. Sic perfidia sibi consulit. Vide emblema Alciati 89.

II. (b) Sed de impio pecuniæ quærendæ studio dicendi non una fabula argumentum suppeditat. De laude Musicæ pluribus paulò suprà egimus in Orpheo. Hîc tantùm addimus, quod Martianus Capella scribit lib. 9. de Musica; ubi ostendit, quanta sit vis musicæ in exhilarandis, sedandis, & cicurandis nō tantùm hominibus efferis & ebriis, sed & bestiis. Inter alia hæc habet. Cervi fistulis capiuntur: pisces in stagno Alexandriæ, crepitu detinentur: cygnos hyperboreos citharæ cantus adducit: elephantos Indicos Organica permulsos detineri voce compertum: fistulis aves allici comprobatum: fides

(a) *Avaritia tormentum.* (b) *Musica oblectat animantes ratione carentes.*

fides delphinis amicitiam hominum persuadere, imò cantibus allici, disrumpíque serpentes. Febrem curabant vulneráque veteres cantione: Asclepiades tubâ surdissimis medebatur; ad affectiones animi tibias Theophrastus adhibebat: ischiada quis nescit expelli aulœdi suavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat: Thaletem Cretensem citharæ dulcedine compertum est morbos ac pestilentiam fugâsse: Hierophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat. Hæc ille. Quibus addo: Camelus modulatione plurimùm capitur: itaque si fessus longo itinere subsistat, ductor non flagris aut verberibus ad progrediendum eum stimulat, sed sonitu, cantúque demulcet. Majol. coll. 7. Equos ad pugnam incitari tubis, quis nescit? Tunc enim, quod Jobus asserit c. 39. *Contemnit pavorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah!* Quid, quod apiculæ quoque pulsu gaudeant, atque tinnitu æris convocentur. De delphino speciatim Plinius: delphinus ait, non homini tantùm amicum animal, verùm & musicæ arti; mulcetur Symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sono. Gotthicarum rerum scriptores narrant, regionem illam ursis abundare, qui sæpè in pastores impetum faciant, eósque devorent; cujus tam gravis periculi effugiendi causâ solere eos secum assiduè tibias circumferre, quas inflant, simul atque ab urso aliquo peti se vident. Feram autem cantu illo captam subsistere, ac ubi se aliquantisper oblectavit, aliò se ad pastum quærendum conuertere. Mirius his etiam est, quod Polyhistor c. 11. narrat, in Halesia regione, fontem aliàs quietum & tranquillum cùm siletur; sin' insonent tibiæ, exultabundum ad cantum elevari, & quasi miretur suavitatem vocis, ultra marginem intumescere.

III. (c) Φιλανθρωπία delphini meretur, ut, quoniam locus hic monet, pluribus illustretur. Veteres delphino vesci, ait Pierius lib. 27. c. 2. scelus putabant: quòd quædam illi sint humano cum genere commercia; unde *Arion delphino insidens*, emblema ac Symbolum est humanitatis. Plinius de eo: hominum, inquit, atque inprimis puerorum amans bellua est. Ideóque crocodilorum hostis infestissimus, propterea quòd crocodilus humano semper generi insidiatur: atque ita ipsa naturæ repugnantia inimicitias generat. Idem refert lib. 9. c. 8. sub Augusto puerum ex Baiano Puteolos ad ludum litterarium deferri à Delphino solitum, *ad Simonis* vocem (nam quia delphines simo sunt rostro, gaudent simones appellari) repentè se vectorem stitisse, pane ex manibus

(c) *Amor delphinis erga hominem.*

bus illius pastum; eúmque puero demum extincto, præ mœrore etiam expirâsse. In eodem argumento festivam historiam narrat alter Plinius lib. 9. epist. Est in Africa, inquit, Hipponensis Colonia, mari proxima: adjacet ei navigabile stagnum, ex quo in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hîc ætas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur; maximè puerorum, quos otium, ludúsque sollicitat. His gloria & virtus, altissimè provehi, victor ille, qui longissimè ut littus, ita simul nantes reliquit. Hoc certamine quidam puer ardentior cæteris in ulteriora tendebat: delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circuire: postremò subire, deponere, iterum subire, trepidantémque perferre, primùm in altum: mox flectit ad littus, reddítque terræ & æqualibus. Serpit per Coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid est mari simile, natant pueri inter hos ille, sed cautiùs. Delphinus rursùs ad tempus, rursus ad puerum venit, fugit ille cum cæteris. Delphinus quasi invitet, revocet, exsilit, mergitur, varióque orbes implicat, expedítque. Hoc altero die, hoc tertio, donec homines innutritos mari, subiret timendi pudor: accedunt & alludunt, & appellant: tangunt etiam, pertrectántque præbentem terga. Crescit audacia experimento. Maximè puer, qui primus expertus est, adnatat, natantis insilit tergo fertúrque: agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur. Hujus fiducia, manstuetudo illius augetur: nec non alii pueri dextra, læváque simul eunt hortantes, monentésque. Ibat una (id quod mirum) delphinus alius, tantùm spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, ut puerum cæteri pueri. Hæc Plinius junior. Quid officiosiùs exspectet homo ab homine? Nec mirum. Delphinum ipsa natura mansuefecit; solus omnium piscium felle caret. Adde, quòd delphini sint prognosticon malaciæ, ac tranquillitatis marinæ, cùm videntur in superficie pelagi frequentiùs se versare, exilire, & plures quodammodo lascivire inter se colludentes. Pier. l. c.

III. (*d*) Hinc imago Symbolica serenitatis, est emblema Neptuni sedentis in portu, dextrâ tridentem apprimentis terræ, læva delphinum

(*d*) *Delphinus symbolum est tranquillæ mentis, humanitatis, gratitudinis, vigilantiæ, celeritatis.*

um amplectentis. Nihil aptius ad exprimendam mentis placiditatem; quæ tunc adest, quando stat animus sine ventis, & fluctibus, hoc est, perturbationibus, præsertim iracundiæ, quæ veluti rapidi turbines concitant horridam tempestatem, atque imo evertunt æquora fundô. Quid illud ampliùs in hac neptunia fera? venientibus *alludit* navigiis, & licet plenis carbasis euntia, prævolat: atque ut vectoribus delicias faciat, ingenti saltu super naves elibratur in altum, & innoxiam aquarum tempestatem naribus ac ore vomit. Adde lusibus *utilitatem.* In piscatione mugilum, delphini se hominibus quandoque socios præstant, occurrentes id genus pisces turmatim, invadunt, & vel in retia adigunt, vel occidunt, cibis in præmium laboris relatis. Hæc Plinius Major loc. cit. De *gratitudine* delphini mirum quid scribit Ælianus lib. 8. c. 3. Delphinas vir quidam ad Bizantium captivos pecunia redemit, & manè liberos dimisit Non excidit beneficii memoria; hominem enim postea, cùm navis esset submersa, exceperunt gratissimi pisces, & placidè collocârunt in portu. Cùm verò fato functus esset, & exequiarum pyra arderet in littore, frequentes exilierunt è mari, nec nisi restincto rogo, quasi officiosissimi amici discesserunt. *Vigilantia* porrò quanta? perpetuo motu præditus delphinus est, & ne dormiens quidem à motione conquiescit Dicere possis: *Vita ipsa vigilia.* Jam quanta piscis hujus *celeritas*? cum sagittis certare videtur. M. Calphurnius Bibulus ut declararet celeritate maritimæ expeditionis victoriam sibi allatam, delphinum pinxit laureatum, supra tridentem collocatum. Habent ergo homines, quod in hominibus, nautis illis barbaris detestentur; perfidiam & inhumanitatem. Habent in belluis, delphinis, inquam, quod imitentur, & discant esse homines, hoc est, faciles, mites, benefici, grati, in negotiis suis expediti, alacres, vigilantes.

SYM-

bus illius pastum; eúmque puero demum extincto, præ mœrore etiam expirâsse. In eodem argumento festivam historiam narrat alter Plinius lib. 9. epist. Est in Africa, inquit, Hipponensis Colonia, mari proxima: adjacet ei navigabile stagnum, ex quo in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hîc ætas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur; maximè puerorum, quos otium, ludúsque sollicitat. His gloria & virtus, altissimè provehi, victor ille, qui longissimè ut littus, ita simul nantes reliquit. Hoc certamine quidam puer ardentior cæteris in ulteriora tendebat: delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circuire: postremò subire, deponere, iterum subire, trepidantémque perferre, primùm in altum: mox flectit ad littus, reddítque terræ & æqualibus. Serpit per Coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid est mari simile, natant pueri inter hos ille, sed cautiùs. Delphinus rursùs ad tempus, rursus ad puerum venit, fugit ille cum cæteris. Delphinus quasi invitet, revocet, exsilit, mergitur, varióque orbes implicat, expedítque. Hoc altero die, hoc tertio, donec homines innutritos mari, subiret timendi pudor: accedunt & alludunt, & appellant: tangunt etiam, pertrectántque præbentem terga. Crescit audacia experimento. Maximè puer, qui primus expertus est, adnatat, natantis insilit tergo fertúrque: agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur. Hujus fiducia, manstuetudo illius augetur: nec non alii pueri dextra, læváque simul eunt hortantes, monentésque. Ibat una (id quod mirum) delphinus alius, tantùm spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, ut puerum cæteri pueri. Hæc Plinius junior. Quid officiosiùs exspectet homo ab homine? Nec mirum. Delphinum ipsa natura mansuefecit; solus omnium piscium felle caret. Adde, quòd delphini sint prognosticon malaciæ, ac tranquillitatis marinæ, cùm videntur in superficie pelagi frequentiùs se versare, exilire, & plures quodammodo lascivire inter se colludentes. Pier. l. c.

III. (*d*) Hinc imago Symbolica serenitatis, est emblema Neptuni sedentis in portu, dextrâ tridentem apprimentis terræ, læva delphinum

(*d*) *Delphinus symbolum est tranquillæ mentis, humanitatis, gratitudinis, vigilantiæ, celeritatis.*

SYMBOLVM LVII.

Cypariſſus puer mutatus in arborem cognominem.

10. Metamorph.

Ethicè.

1. Puerilis genius. 2. Puerilitas morum & cupiditatum. 3. Stolidus luctus. 4. Bellorum ſæpe leviſſima cauſa. 5. Cypreſſus, ſymbolum mortis. 6. Ex ejus conſideratione inſtruendi adoleſcentes.

ERat hic oriundus ex *Cea* vel Cæa, Ægei maris inſula, *Thelephi*, qui poſtea Myſiæ Rex, filius. Etiamnum puer magno ferebatur amore in cervum quendam Nymphis ſacrum, & eleganter ab illis ornatum, nam cornua fulgebant auro, collum cingebant gemmæ, frontem argentea bulla decorabat: ex auribus uniones pendebant: nihil eò manſuetius, nihil cicuratius; cùm nec ignotorum tactum ac manum reformidaret, ultro ſeſe omnibus mulcendum præbens: imprimis verò Cypariſſum puerum ſequebatur, non ſecus, ac catellus dominum, hic delicium ſuum in alia atque alia paſcua præire, aquatum ducere, varios flores cornibus ejus illigare: quin etiam tergo inſidere, & frenis ori inditis, quocunque vellet, ſuper eo ferri. Hoc ejus gaudium triſtis caſus abrupit. Accidit enim, ut adoleſcens venatum exiret, pharetra ſuccinctus & arcu. Dum feras hinc illinc inveſtigat, fortè conſpicit cervum ſub arboris umbra reclinatum. Ne agnoſceret amorem ſuum, frondes obſtabant, quare vulgarem eſſe beſtiam ratus, expedit jaculum, emittit, chariſſimam feram per imprudentiam configit, tanto ſuo dolore, ut nullum admitteret, ne à Phœbo quidem ipſo, cui dilectus erat, ſolatium. Ovidius canit.

Ut cervum ſævo morientem vulnere vidit,
Velle mori ſtatuit, quæ non ſolatia Phœbus
Dixit? & ut leviter, pro materiáque doleret,
Admonuit; gemit ille tamen, munúſque ſupremum
Hoc petit à ſuperis, ut tempore lugeat omni.
Jámque per immenſos egeſto ſanguine fletus,

In

In viridem verti cœperunt membra colorem:
Et modò qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida cæsaries fieri: sumptóque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine cœlum.
Ingemuit, tristísque Deus: lugebere nobis,
Lugebísque alios, aderísque dolentibus, inquit.

Ethica.

I. (*a*) Quid puerilius hoc puero? cervum deperibat amando: ejus funeri lacrimas etiam sanguineas, & denique vitam impendit. Agnoscas hinc, quid delectet, quid contristet puerum, nempe crepundia, ligulas, tænias, collaria aviculis, feliculis, catellis, agnellis, hinnulis circumdare, & post equitatam arundinem longam, ad cursuram etiam canes, capros, arietes frænatos exercere: ad minima damnorum flere, ad maxima ridere. Si pomum, bracteam, pilam, cultellum, icunculam ei subducas vel auferas, auram ploratibus implere: Si libum, saccharum, bellaria ostendas, levissimo momento in lætitiam verti, Aprili inconstantior Tullius lib. 5. de fin. Pueri, inquit, quibus rebus cum æqualibus decertant, efferunt se lætitia: victi debilitantur, animósque demittunt. Idem Poëta Comicus observavit.

Pueri inter sese quàm pro levibus noxis iras gerunt?
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri levi sententia:
Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram conciverit.

Nimirum tam pueri, quàm feminæ, quantò minus habent rationis & judicii, tantò impotentiùs affectibus suis aguntur: citò gestiunt gaudio; citò mœrore contrahuntur: ex uno affectu devolvuntur in alium, desultoria levitate.

II. (*b*) Veteri jambo:

Amor puerilis amorum ferventissimus.

In Cypariſſo apparet, qui cervum plùs quàm animam suam amavit. Quô quid magis præposterum? Sed hæc forsan condonanda Cypariſſo, quia puero. Quis autem ferat barbatos pueros ab affectibus suis eò dementiæ rapi, ut quid cupiant, quid fugiant, quô tristentur, quô lætentur, non ad legem rationis, sed ad impetum libidinis referant.

(*a*) *Puerilis genius.* (*b*) *Puerilitas morum & cupiditatum.*

Ejusmodi pueros, ætate grandævos, sapientiâ imberbes describit S. Chrysostomus hom. 4. in epistol. 1. ad Corinth. ut pueri, inquit, nullius utilitatis curam suscipiunt; ita quidam semper volunt, humique serpunt & reptant, nempe terrena affectant. Pueri quando latronem viderint, quæ sunt intùs, auferentem, non solùm non prohibent, sed etiam arrident insidiatori. Sin' autem calathulum aut sistrum abstuleris, aut aliquid aliud ludicrum, indignantur & ægrè ferunt, se dilacerant, & solum pulsant. Ita etiam quidam, videntes diabolum paterna omnia auferentem rident; si quis autem possessiones, aut divitias, aut puerile aliquid abstulerit, se discerpunt. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* psal. 93. & 1. Corinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus. Vsquequò parvuli diligitis infantiam?* Proverb. 1. Hæc aureus Orator. Hoc ipsum exprobrat Seneca gentilis, epist. 4. Adhuc puericia in nobis, & quod est gravius, puerilitas remanet. Et hoc quidem pejus est, quòd auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantùm, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. Et lib. de Constant. c. 12. Quibusdam etiam post juventam, canósque puerilitas est; à pueris magnitudine tantùm formáque corporis differunt: cæterùm non minùs *vagi*, *incertique*, voluptatem sine delectu appetentes, trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti. Non ideo quicquam inter illos, puerósque interesse quis dixerit, quod illis talorum, nucúmque & æris minuti avaritia est; his auri, argentique, & urbium: quod illi inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam, fascésque, ac tribunal imitantur; hi eadem in campo, foróque, & in curia ludunt. Hæc Romanus Philosophus, qui sectatores pravarum cupiditatum *Vagos & incertos* vocat, quorum imago Cyparissus est, in volatico cervo prata persultans.

III. (c) Quis autem memoret, quàm multos frustrata spes, lucri, honoris, voluptatis, luctu & mœrore conficiat? quot lacrimas jactura rerum vilissimarum exprimat; æternæ salutis nulla, aut valde exigua cura tangat? Legas Epitaphia, in *Issam* Publii catellam, Catulli *passerem*, *Psittacum* Papinii, Stellæ *Columbam*, Flacci *Glaucopodem*, Alexandri *Bucephalum*, Caligulæ *Incitatum*: in feles, Simios, sciuros, & alias, huius generis mortalium, delicias. Veris fletibus lugentur bestiarum funera, hominum non nisi fictis. Feminæ præsertim sic oculos erudiere suos; de quibus Juvenalis lib. 2. Sat. 6.

----- Simi-

(c) *Sic dulcis luctus.*

------- Similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellæ.

Fuit, quæ feli suæ testamento legavit quingentos philippeos, videlicet, ut honestâ semper mensâ frueretur. Drex. in Prodrom. c. 3. §. 10. Digna sanè pietas, cui procedant in funus musculi, timore saturi hostis expediti.

IV. (*d*) Quid autem miramur, cervum casu trajectum, tantum in unius pueri pectore luctum excitâsse, cùm atrocibus præliis, densatis vulneribus propter cervum *Sylviæ*, cuiusdam rusticanæ puellæ, ab Ascanio puero Æneæ filio, in venatione interemptum, Latinorum & Trojanorum acies concurrerint? Quid decantatius, quàm Tragœdia Iphigeniæ? nam propter illam mactatam, mactatus quoque est Agamemnon à conjuge Clytemnestra, & hæc ab Oreste filio, in ultionem patris. Hujus verò errores & insanias quis referat? atqui omnia hæc tragica spectacula unicâ tantùm, & levi scintilla inflammata sunt. Agamemnon ludens in Dianæ luco, fortè cervam, ei Deæ sacrum, interfecit. Hinc illæ lacrimæ quas narrat *Electra* in tragœdia sui nominis apud Sophoclem. Ecce quàm parva res mortales ad ferrum & flammas provocet; adeò, quod Seneca conqueritur, *pueritias in viris est.*

V. (*e*) Cyparissus in cupressum arborem mutatus est. Est hæc arbor feralis, & mortuorum sepulchris destinata: memoriam mortis etiam adolescentulis ingerit. *Seriùs* aut *citiùs* ad eandem properandum est metam juvenique, senique. Cypressus excisa non repullulat: est enim semel calcanda via lethi; nec conceditur reditus. Horat. lib. 2. Od. 14.

----- neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Cypressus quamvis in altum cacuminetur; est tamen sine fructu: at scias mortuis nihil prodesse sublime stemma, nisi virtutis fructus accedat. Possis etiam in contrarium vertere: Cupressus cariem non sentit, & erecto in cœlum vertice tendit: nam virtus post funera vivit, & æternam sui memoriam relinquit.

VI. (*f*) Alia quoque doctrina, præsertim adolescentibus, est è Cypresso decerpenda. Ecclesiastici 24. Sapientia comparatur Cupresso. Et quasi cypressus in monte Sion. Cur? 1. Ratione pulchritudinis: est enim ei coma rotunda, & in conum cuspidata. Unde decus hortorum

(*d*) *Bellorum sæpe levissima causa.* (*e*) *Cypressus Symbolum & memoria mortis.*
(*f*) *Institutio adolescentum ex consideratione Cypressi.*

Cypariſſus. Adoleſcentem Sapientiæ amantem, ante omnia mente in cœlum erecta, & ad ætherios influxus anhelantem eſſe oportet. 2. Cupreſſus pro foliis habet frondes, eleganter in acumen ſurgentes. Adoleſcens Sapientiæ ſtudioſus non luxuriat multorum verborum, ceu foliorum ambitu; non linguâ, ſed ingenio acuto ſe ſuper æquales attollit. 3. Cupreſſus ſemper viret, nec temerè rimam aperit, ulláve parte fatiſcit. Unde Plinius lib. 16. c. 24. Cariem, ait, vetuſtatémque non ſentit Cupreſſus. Quam ob cauſam valuæ templi Epheſinæ Dianæ, fuerunt Cupreſſinæ, eodem teſtante. Pari modo Sapientiæ, virtutísque decus perennat? & adoleſcens earum deſiderio tactus, laudem ac memoriam ſuam æternat. 4. Cupreſſi frondes tritæ, medentur ſerpentum ictibus. Sapientiæ adipiſcendæ cupidus adoleſcens, facilè ſpernit, quidquid veneni vel mala voluptas, vel prava ſocietas afflare poteſt. 5. Cupreſſus ſuccisa non recreſcit: unde, quod diximus, ſymbolum eſt mortis & funeris. Hinc gentiles eam *Diti*, inferorum deo, dicârunt. Quocirca Suetonius in Veſpaſiano c. 5. Hoc ei omen præſagum obtigiſſe narrat: Arbor, inquit, Cupreſſus in agro avito, ſine ulla vi tempeſtatis evulſa radicitus, atque proſtrata, inſequenti die viridior ac firmior reſurrexit. *Hoc enim*, inquit Tacitus, *præſagium fuit grande, proſperúmque, aſſenſu aruſpicum, & ſumma claritas juveni admodum, Veſpaſiano promiſſa.* Adoleſcens ſapiens, mortis memoriam adhibet contra vitiorum cariem, ſeu putredinem: & quemadmodum odorata Cupreſſus graveolentiam cadaverum reprimit; ſic ille fœtentis nauſeam libidinis amore, odoréque Caſtitatis repellit. 6. Deorum ſimulacra, & heroum ſarcophagi olim è cupreſſo fiebant in perpetuitatis argumentum. Adoleſcens virtutis, doctrinæque ſtudiis deditus eò demum evadit, ut cœleſtium, magnorúmque virorum honoribus, dignus habeatur: itáque fit, ut quæ funeſta dicebatur, & tumulos tectura, cupreſſus

More triumphalis circumdet tempora lauri.

SYM-

SYMBOLVM LVIII.

Atalantæ Virginis Cursorium cum procis Certamen.

10. Metamorph.

Ethicè.

1. Puellarum levitas, & illecebræ. 2. Voluptas retardat in virtutis cursu. 3. Reverentia conjugii. 4. Principiis obstandum. 5. Remoræ benè currentium. 6. Voluptatis stadium. 7. Lenones & lenæ. 8. Curriculum gloriæ.

NOn est hæc eadem *Atalanta*, cuius in venatione apri Calydonii mentionem fecimus. Nam illa fuit *Iasii*, Arcadum Regis filia, nupta Meleagro. Hæc *Schæneum* Bœotum natione, qui *Scyro Insulæ* imperabat, parentem habuit. Fuit puellarum sui ævi longè formosissima, & tanta pedum celeritate, ut canat Ovidius:

Emicat, & summam celeri pede libat arenam:
Posse putes illam sicco freta radere passu:
Et segetis canæ stantes percurrere aristas.

Consulverat ea Apollinis Oraculum de conjugio suo, responsúmque tulit:

---------- conjuge
Nil opus est Atalanta tibi: fuge conjugis usum.

Territa Virgo, omnino à matrimonio abstinendum sibi existimavit. Cùm autem à pluribus procis peteretur, conditionem ipsa proposuit, eius se futuram, à quo pedum cursu superata foret: victus autem necaretur. Multis hoc pacto è medio sublatis, non tamen absterritus est *Hippomenes*, *Megarei* filius, pronepos Neptuni, admodum adolescens, quin puellæ formâ accensus, in eiusdem temeritatis certamen descenderet. Implorato igitur Veneris auxilio, ab eadem diva accepit donô *tria mala aurea*, quorum hic erat usus: ut in ipso cursûs fervore, projectô unô, virginem in eo tollendo occupatam, nonnihil retardaret. Deinde, cùm se iterum præteritum animadverteret, alterum projiceret. Tertium ad extrema reservatum, tum demum abjiceret, cùm non admodum longè à calce & meta extrema abessent cursores. Quòd cùm ille feciſſet, & puellam auri

cupiditate impeditam, curriculo viciſſet, uxorem nactus eſt, gratulantibus omnibus, Atalantem. Quia verò officia conjugalia, contra Deorum & pudoris reverentiam expleverunt, in leones converſi, pœnas effrænatæ libidinis dederunt.

Ethica.

I. (*a*) Velocitas Atalantæ inconſtantiam affectuum & cogitationum in puellis nubilibus repræſentat; quæ quò plures inveniunt procantes, eò minùs uni alicui ſe addicunt, ſed diſcurrentes in diverſas partes animo, inſigni levitate, nunc hunc, nunc illum, mox nullum inter omnes, ſibi deligunt, rapíque ac curſu vinci, id eſt, multis laboribus ac periculis expugnari cupiunt. Hinc imperioſa in amatores imperia; hinc rivalium inter ſe digladiationes funeſtæ. Proverbiorum 7. deſcribitur harum juvencularum procacitas, dum dicuntur *præparatæ ad capiendas animas: garrulæ & vagæ: quietis impatientes, nec valentes in domo conſiſtere pedibus ſuis.* Mille ſcilicet excogitant artes & fucos, quibus incautos illiciant ac ſeducant; aguntur æſtu cupiditatis, & agunt juvenes, donec poſt alios atque alios deceptos & repulſam paſſos, denique leæna incidat in leonem, & mutuis ſe dilacerent unguibus: quod Atalantæ contigit, cujus, uti & Hippomenis, Poëtâ canente

Colla jubæ velant: digiti curuantur in ungues,
Iram vultus habet, pro verbis murmura reddunt,
Pro thalamis celebrant ſilvas.

En deſcriptionem infauſti & rixoſi conjugii, in quo poſt melleas primæ Veneris guttulas, ſuccedit cadus fellis: vultus illi nuper gratiarum, toruitatem induunt leoninam: blanda mutantur jurgiis: captioſi crines horridè depectuntur; fitque thalamus cubile *leonum & draconum*, Ierem 4. & 5. Tanti pœnitere quis emat? De Atalanta Ovidius

------- ne dicere poſſis
Laude pedum, formæve bono præſtantior eſſet.

Pernicioſum illicium, boni vultûs ſaltatricula, qualis Herodias illa fuit, quæ geniale parentis epulum ſanctiſſimi Prophetæ capite cruentavit.

II. (*b*) Atalanta, quamvis celerrima pedibus, tamen victa eſt *malis aureis*, ab Hippomene projectis. Tanta vis eſt munerum ad virtutem

(*a*) *Puellarum levitas & illecebræ.* (*b*) *Retardatio in via virtutis, & voluptatis ſeductio.*

tutem quamlibet, à curriculo ſuo retardandam. De expugnata per aurum caſtitate, alibi nobis ſermo eſt. Cæterùm hæc Atalanta pleriſque interpretibus, nihil aliud eſt, quàm mala voluptas, quæ mille procos atque ſectatores habet; qui vel cum capitis, & fortunarum jactura illam aſſequi feſtinant: de qua apud Poëtam mirabundus pronuntiat Hippomenes

An petitur cuiquam per tanta pericula conjux?

Quot juvenum myriades à fœda hac Atalanta everſæ interierunt? contractis morbis, paupertate, ignominia, ipſius denique vitæ diſcrimen adierunt. Quot patrimonia, cenſuum facultates, in hujus Thaidis, *voluptatis*, inquam, fugientis, peſſimè diſſipavêre?

III. (*c*) Præterea docetur hâc fabulâ, quanta habenda reverentia thalami. Atalanta cum amatore ſuo, in leonem transformata eſt, tum propter locum ſacrum ſacrilego concubitu profanatum; tum quia brutâ magis libidine, quàm pudicitiæ & honeſtatis lege, matrimonium inierunt. Ex hiſtoria Tobiæ habemus, ſeptem Saræ maritos à cacodæmone necatos, ob effuſam in uſu conjugij licentiam. *Nolite fieri ſicut equus & mulus*, monet regius Pſaltes pſal. 31. & vox magni Apoſtoli eſt, Heb. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

IV. (*d*) Notanda ſunt verba Poëtæ

-------pelle moram, vinces.

Atque:

------- mors, pretium tardis.

Nimirum primis pravarum illecebrarum reſiſtendum impulſibus: nam invaleſcunt morâ. Sapientis eſt, aiebat Philoſophus malorum initiis occurrere. Ariſt. lib. 4. Pol. c. 4. Et Ovidius:

Principiis obſta: ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras:

Ex doctrina S. Gregorii M. lib. 4. Moral. c. 2. Initium malorum eſt ſuggeſtio; hinc cogitatio, affectio, delectatio, conſenſus, operatio, conſuetudo, deſperatio, defenſio, gloriatio, damnatio. *Væ victis.*

V. (*e*) Eccleſiaſtes quidam religioſus & eruditus Atalantæ curſum, & remoram in hunc modum explicat: Propoſito, inquit, ſervit curſu celebris & pernicitate pedum nobilis puella, Atalanta. Contenderat illa currendo cum variis procis, ut qui illam velocitate præverteret, uxorem duceret, aderat ſpectator & mirator Hippomenes, qui formâ

(*c*) *Reverentia connubij.* (*d*) *Principiis obſtandum.* (*e*) *Remora benè currentium.*

mâ virginis captus, etiam cum præsenti mortis periculo in arenam descendit, hoc instructus astu, ut tria mala aurea, quæ penes se habebat, per intervalla in stadium projiceret, quibus illam remoraretur, & cursu anteverteret. Si falsa veris, & facta fictis componere velimus, ejusmodi certamen cum Atalanta, id est, *Anima*, stygius Hippomenes in hoc vitæ stadio decurrente, instituit, quam tribus malis aureis remoratur: nunc pomo aureo *divitiarum*, nunc blando voluptatis, nunc fulgido *honoris*: & benè hactenus currentem, ab optata meta & palma retardat. Id olim, tuba Evangelii Paulus, Galatis insonuisse videtur: *Currebatis benè, quis vos impedivit?* Gal. 5. Avarum auri fulgor, lascivum mulierculæ forma, ambitiosum inanis gloria, temulentum vini amphora remoratur: Unde quidam pro insigni cauponæ, ingentem amphoram appendit, cum epigraphe: *illa est remora*, quæ scilicet peditem, equites, integros currus in serum vesperum remorari cogit: Allusum ad piscículum, cui nomen *Remora*, quæ ingentes naves, & inter illas prætorianam M. Antonii plenis velis & remis volantem stitit. Plinius lib. 32. c. 1. Cui addo: Maximam Antonio illi, viro cæteroquin militari, & victoriis insigni, famæ, nominísque Romani remoram & ignominiam fuisse *Cleopatram*, ultimam Ægypti reginam, quæ Cæsarem quoque Julium, quantum Imperatorem! ita amoribus suis irretivit, ut etiam filium ex ea, *Cæsarionem* nomine Alexandriæ susceperit. *Aulus Hirtius de bello Alexandrino.* Ut adeò dubium sit, pluréne sint Hippomenes, qui suis illecebris capiunt Atalantas; an Atalantæ, quæ blanditiis insidiosis implicant Hippomenes. Expertus Salomon loquitur in parœmiis suis cap. 7. *Multos vulneratos dejecit* (nempe lasciva mulier) *& fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Priùs vulneravit eos amor; postea de fortunis, famâ, vitâ dejecit, & perdidit. Gen. 6. *Filiæ hominum*, id est, filiæ Caini, sua specie illexerunt, *& corruperunt filios Dei*, puta filios Sethi; indéque orti sunt impii gigantes, ob quos Deus totum orbem perdidit diluvio. Notæ sunt Helenæ, Dalila, Betsabeæ &c. Atalantæ miseros procos in prædam quid dedit? Dolosa species. Ovidius canit de Hippomene:

-------- tamen ille decoris
Mirator magis est: cursus facit ipse decorem,
Tergáque jactantur crines per eburnea: quæque
Poplitibus suberant picto genualia limbo.

Sic Atlanta amasios suos ad cursum invitavit, cujus meta pœnitudo, finis interitus fuit.

VI.

VI. (*f*) Sic Hippodamia Oenomai Regis Elidis & Pisarum filia, cùm ob præstantiam formæ à multis procis expeteretur, curuli certamine provocatos, victósque mortem subire coëgit. Referunt enim Poëtæ, *Oenomaum* concessisse procantibus, ut *Hippodamiam*, dum stadium percurrerent aurigando, in curribus, atque adeò in sinu haberent; quos ipse à tergo, velocissimis equis, & è ventorum flatu creatis, cum hasta sequebatur in essedo, celeritatéque præversos, ab aversa corporis parte transfigebat. Quo in certamine etiam Pelops (de quo suo loco) periturus fuerat, nisi *Myrtilum*, Oenomai aurigam, pollicitis corrupisset, ut ille clavos modiolis rotarum non immiserit, adeóque curru fracto & dissoluto, Oenomaus exciderit, moriénsque Myrtili caput devouerit, obtestans Pelopem, ut vicem suam ulciscereturr, quod & factum est. Cùm enim Myrtilus sibi perfidiæ præmium à Pelope posceret, ab eo in mare dejectus est, quod ab eo *Myrtoum* postea appellatum. *Euripides in Oreste.* Nihil aliud, inquit Mythologus lib. 7. c. 8. est vita humana, quàm certamen & contentio, in quâ multa pericula & calamitates subeundæ, fortitérque cum voluptatibus pugnandum; à quibus si vincimur, in perniciem prorsus ducimur: ac si victores extiterimus, viri fortes ac constantes habebimur, virtutémque ac famam, tanquam Hippodamiam consequemur, & velut sponsam ducemus domum. Hæc ille. Sed pauci, prò dolor! felicem in hoc hippodromo sortiuntur exitum. Plurimos, antequam ad metam speratæ voluptatis ac libidinis perveniant, Oenomaus cum hasta, Mors cum spiculo insequitur, prævertit imparatos & improvidos futurorum, inque medio cursuræ spatio, configit, atque è vita in orcum exturbat. Et verò Hippodamia in sinu procorum aurigantium, subitóque teli adactu pereuntium, ostendit impuræ libidinis cupiditatem, esse *viperam in sinu*, & præsens exitium in tergo: dum cœco impetu fertur, nec considerat, quid sequatur.

VII. (*g*) Si Myrtilum spectemus, imaginem refert lenonum & lenarum, & quorumvis improbitatis conciliatorum, ac conciliatricum, quorum perfidia ac lenocinandi, corrumpendíque nequitia, plerumque in eos ipsos recidit, & in stygias undas detrudit.

VIII. (*h*) Atalantæ & Hippomenis cursum ad finem sublimiorem referas, argumento sumpto ex verbis Apostoli 1. Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Est enim stadium vita præsens; in hoc stadio & certamine antagonistæ, *Mundus*, *Caro*, *Dæmon*; Agonetheta *Deus*, Meta, *Æternitas*; bravium cœlestis *corona*; pœna victi, *reprobatio* & con-

(*f*) *Voluptatis stadium.* (*g*) *Lenones & lenæ.* (*h*) *Curriculum gloriæ.*

fusio. In hoc stadio strenuum se Cursorem exhibuit Paulus, qui de se ipso. 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Tam felicis curriculi causæ quæ? Exponit ipse ad Philippen. 3. *Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor.* Nimirum sicut stadiodromi, dum currunt, non respectant, quantum spatii transmiserint, sed quantum superfit ad metam, eóque toto conatu & impetu in cursu feruntur; ita Paulus ad metam propositam decurrebat, præteritorum obliviscens, & ad anteriora mentem, omnésque cogitationes intendens, non contentus prioribus operibus in virtute gestis, sed ad majora & excellentiora enitens. D. Gregorius hom. 3. in Ezechielem. Ante nos, inquit, æterna sunt, post nos temporalia. Quia & illa pergentes invenimus: & ista, recedentes, quasi post dorsum relinquimus. Nunc iter facimus, & ad æterna properamus: post mortem vel æternam beatitudinem, vel sempiternos cruciatus reperiemus. Æterna nos exspectant; temporalia nos deserunt: illa sunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc post nos, quia illa relinquimus. Qui retro igitur respicit, ad temporalia oculos flectit; qui ea, quæ à fronte sunt, intuetur, is æterna contemplatur. Et hoc, juxta Tullium, est *Cursum vitæ tenere*, Nimirum salubriter destinata persequi, & ab incepto virtutis tramite non deflectere. Exiguum namque, ut idem ait, vitæ curriculum nobis natura circumscripsit, immensum gloriæ.

SYMBOLVM LIX.

Laomedon perjurus.

11. Metamorph. Homerus in Iliad.

Ethicè.

1. A Deo operum primordia capienda. 2. Perjurii pœnæ. 3. Sacrilegium punitum.

Laomedontem, Ili filium, Trojanorum Regem, novam urbem in Phrygiæ littore molientem, cùm opus ingens tardè succederet, adeunt Neptunus & Apollo, humano tecti schemate, suámque illi addicunt operam. Amplectitur is lubens oblata obsequia, & pro labore, certum

tum auri pondus paciſcitur. Opere, celeriùs opinione, perfecto, Laomedon juramenti immemor, & promiſſæ pecuniæ, mercede pactâ ſtructores defraudat. Illi indignati, novam urbem duplici affecerunt calamitate, Neptuno inundationem, Apolline peſtem immittente. Percontatus Oraculum Laomedon, reſponſum accipit, aliâ ratione deos placari non poſſe, quàm ſi quot-annis Virgo Trojana, quam ſors declarâſſet, ceto devoranda exponeretur. Poſt annos aliquot, Heſionem eius filiam, Priami ſororem, ſors prodidit. Objicitur hæc monſtro æquoreo, ſuo interitu paternum ſcelus expiatura. Hercules eò fortè delatus, miſeratur innocentis vicem puellæ, cetum occidit, Virginem morti eripit, ea quidem conditione, ut equi, quos Laomedon habebat præſtantiſſimos, in præmium ſibi navatæ operæ traderentur. Negat promiſſos equos Laomedon. Hercules plenus irarum, & impatiens injuriæ, collecto exercitu *Ilum* invadit, urbem capit, diripit, regem fœdifragum, homines pariter ac Deos ludos facientem, jam bis perjurum, interficit. Heſionem *Telamoni*, Æaci filio, uxorem dedit, quòd primus murum conſcendiſſet. Priamum quoque eius filium captivum abduxit, qui poſtea auro à vicinis redemptus fuit, ideóque ἀπὸ τὸ πρίασθαι, hoc eſt, à redimendo, nomen obtinuit.

Ethica.

I. (*a*) Rectè Tullius in Vatinium ait, *Magnarum rerum principia à diis immortalibus duci.* Unde illa: *à Iove principium, auſpice deo, juvantibus ſuperis.* Laomedon urbem ſtructurus, meritò Deos adhibet operis artifices. Manca eſt enim omnis mortalium induſtria, omnísque conatus, niſi divinus aſpiret favor. Pſaltes canit regius pſal. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Experti hoc ſunt ſtructores illi Babylonii, quorum inſanas molitiones, non ferro, non flamma, ſed diverſo linguarum flatu DEUS dejecit. Experti Jerichuntini incolæ, quorum muros, quamvis altiſſimos & firmiſſimos, tubarum ſonô divina potentia ſtravit. Nimirum operum primordia, progreſſus, exitus, ſunt à Deo auſpicanda, cum Deo finienda. Equidem urbs illa primò *Ilum*, poſtea *Troia* vocata, ad tantam gloriam, ad tantas opes aſcenderat, ut totius Aſiæ caput diceretur, meritóque credi poſſet, non humanis eam exſtructam eſſe manibus, ſed vim aliquam divinam eius primordiis interveniſſe.

(*a*) *A Deo primordia operum capienda.*

II. (*b*) Talem & tantam urbem, quam *Pietas* ædificavit, *Perfidia* dejecit.

-------- Columen eversum occidit
Pollentis Asiæ, cœlitum egregius labor.
Eversa est Pergamos, incubuit sibi,
Et alta muri decora congesti jacent. Seneca in Troiad.

Et Maro 2. Æneid.

Hic ubi disjectas moles, avulsáque saxis
Saxa vides, mistóque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnóque emota tridente
Fundamenta quatit, totámque à sedibus urbem
Eruit.

In causa periurium Laomedontis; de quo Venusinus lib. 3. Od. 3. Junonem loquentem inducens

-------- Ilion, Ilion,
Fatalis, incestúsque Judex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon.

Bis fidem fefellit rex fraudulentus, primùm Neptuno & Apollini ob non solutam mercedem: Deinde Herculi ob denegatos equos promissos. Sed magno stetit perfidiosa lingua autori suo, nam Neptunus eluvionibus, Apollo pestilentia, Hercules armis in habitatores grassatus est, & subsequente tempore regia familia, urbs, & regnum totum à Græcis eversum. Verè Horatius.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Et quæ perfidè dicta, factáque sunt, in seram posteritatem supplicium extendunt. Nihil indignius est Principe, quàm mentiri. Aristoteles dixit *Mendacium esse servorum.* Est enim abjectissimi animi, fallere, & venalem habere fidem. Juxta Isocratem: Omnis principis sponsio pro jurata esse debet, & sacrosanctum promissum. Et Prov. 17. *Non decet Principem labium mendax.* Fides, Justitiæ fundamentum est, inquit Tullius in offic. Et seneca epistol. 49. Fidem sanctissimam humani pectoris bonum vocat; unde non audiendi pseudopolitici

Queis nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio est, ut ait Aristophanes. Qui impiam illam vocem ex Euripide, etiam à Julio Cæsare usurpatam, recoquunt.

------ jus

(*b*) *Perjurii pœna.*

------- *jus regnandi gratiâ*
Violandum est: aliis rebus pietatem cola.

Et dux ille Græcorum scelestè; qui, *pueros juglandibus, viros jurejurando falli oportere, dixit.* Cicero pro Roscio: Perfidiosum & nefarium est, inquit, fidem frangere, quæ continet vitam & commercium hominum. Monet Silius non reges tantùm, sed quosvis alios

------- ne rumpite fœdera pacis,
Nec regnis postferte fidem.

Sensit ultionem perfidiæ Laomedon cum omni progenie suâ; potestque cuilibet perjuro occini illud Æneid. 4.

-------- Nescis heu perdite, necdum
Laomedonteæ sentis perjuria gentis?

III. (*c*) Mythologi docent occasionem huic commento, ideò datam, quòd Laomedon pecuniam, horum Deorum sacrificiis destinatam, & consecratam, ad commodum suum, atque adeò ad ædificandos urbis suæ muros converterit, nec eam (id quod se facturum receperat) Sacerdotibus restituerit. Calamitates autem, quibus ob id sacrilegium multatus est, aliud nihil significare, quàm divinum cultum haud impunè negligi. Magnoperè hoc notandum sacrilegis, templorúmque spoliatoribus. *Heliodori*, templi Solymæi invasoris, supplicium, cui non lectum vel auditum est: 2. Mach. 3. Et nota est paræmia: *aurum Tholosanum.* Nam cùm *Tectosagi*, gens Gallica, duce *Brenno*, Delphos incursâssent, & Apollinis templum exspoliâssent, se in patriam suam Tholossam (Tholosam scribunt alii) receperunt; exinde pestilentia atrocissima eos invasit, quâ non priùs liberati sunt, quàm aruspicum responsis moniti, aurum, argentúmque sacrilegio quæsitum, in Tholosensem lacum mergerent. Et hi, & alii, quicunque à rebus sacris non abstinuere manus violentas, miserè perierunt. Observanda hîc sententia Senecæ epistol. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur: magna in triumphis feruntur.* Intellige de tribunali hominum, non superûm.

(*c*) *Sacrilegium punitum.*

SYMBOLVM LX.

Ceyx & Alcyone, in halcyones aves.

11. Metamorph.

Ethicè.

1. Conjugalis fides & amor. 2. Dura prolis educatio. 3. Amor in ipso sepuchro. 4. Difficilis delectus matrimonium ineuntium.

CEyx Luciferi, sideris matutini, fuit filius, Trachiniorum in Thessalia rex. Uxor ejus *Alcyone*, Æolo nata. Summus extitit amor inter hos conjuges, summa concordia, fidésque. Cæterùm arrogantior fuisse Ceyx perhibetur: cui ob generis splendorem, opes, & formam corporis adeò creverant animi, ut se *Iovem*, uxorem verò suam *Iunonem* appellaret, non sine gravi offensione superûm, qui variis eum prodigiis terruerunt. Quare cladem sibi aliquam metuens ex Thessalia ad Apollinis Clarii (est autem Claros seu Clarium civitas Joniæ) oraculum, consulturus vaticum Deum, navigare constituit. Uxor intellectô viri periculô, multis rationibus dissuadere iter maritimum institit; sed quanquam omnes ad animum mariti expugnandum arietes, omnésque blanditias admoverat, eum tamen à suscepto consilio revocare non potuit. Navigat ille, & facto naufragiô, cum sociis omnibus, mari submergitur. Conjugi de viri fortuna supra modum sollicitæ, apparet in somnis, squalida mariti facies, qualis marinis fluctibus jactabatur. Territa Alcyone miserabili aspectu, summo diluculo ad mare, unde Ceyx solverat, gradum confert; ubi dum planctibus & lacrimis auras implet, ejicitur in littus vi fluctuum, exanime, & lacerum *Ceycis* cadaver. Quô agnitô, dolore amens facta, è crepidine littoris in subjectum pelagus se præcipitem dat: & in ipso casu, miseratione Deûm, in *alcyonem* avem mutatur; Ceyx verò in masculum ejusdem generis vertitur.

Ethica.

I. (*a*) Conjugalis fidei & amoris non simulati, paradigma præbent hi conjuges, quorum benevolentia & mutua dilectio, ne violentâ quidem

(*a*) *Conjugalis fides & amor.*

quidem morte tolli, oblitterarive potuit. Nam 1. magnus amantis affectus in Alcyone se prodidit, dum maritum à profectione marinâ, ejus saluti impensè timens, omnibus modis deterrere laborat.

2. Apparet in Ceyce amor mutuus, dum in sævissima tempestate & naufragio, conjugis magis, quàm suimet memor, omnes cogitationes in relictam suam Alcyonem intendit, Poëta canente:

Alcyone Ceyca movet: Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est: & cùm desideret unam,
Gaudet abesse tamen.

3. Alcyonis pro marito absente sollicitudo assidua, & precatio ad Junonem pro ejus salute. Quæ ut ne sit inanis, Dea nuntiam suam Irim ad somnum mittit, jubétque, ut is miseræ dormienti virum Ceycem in mediis aquis morientem, spectandum figuret. Quod & factum.

4. Egressa ad littus Alcyone, exanime corpus naufragi, ad se propiùs delatum agnoscit. Quid ibi ex dolore non facit? Vates describit:

------- Ille est, exclamat: & unà
Ora, comas, vestem lacerat: tendénsque trementes
Ad Ceyca manus: sic ô chariſſime conjux,
Sic ad me miserande redis?

5. Præ amoris magnitudine in molem portui præstructam insilit

------- mirúmque fuit, potuisse; volabat:
Percutiénsque levem modò natis aëra pennis,
Stringebat summas ales miserabilis undas:
Dúmque volat; mœsto similem, plenúmque querelæ
Ora dedêre sonum tenui crepitantia rostro.
Ut verò tetigit mutum, & sine sanguine corpus;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida necquicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere sit visus, populus dubitabat: at ille
Senserat & tandem superis miserantibus, ambo
Alite mutantur, fatis obnoxius iisdem
Tunc quoque mansit amor, nec conjugiale solutum est
Fœdus in alitibus: coëunt, fiúntque parentes:
Pérque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis.

Tum

Tum via tuta maris: ventos custodit, & arcet
Æolus egressu: præstátque nepotibus æquor.

Itáque 6. mansit amor conjugalis etiam post fata in illis, & jam facti aves, affectum tamen humanum & amorem retinent.

7. Adeò placuit Diis hæc conjugum dilectio, ut in istarum avium nidulatione, quæ fit media hieme, magna tranquillitate gaudeat mare, unde in proverbium abiit. *Dies Halcyonii*, seu *Halcedonia* aut *Alcedonia*, pro tranquillitate, quiete, feriis, justitio accipiuntur. Illis enim diebus, silentibus planè ventis, summa est cæli serenitas. En præmium concordiæ maritalis, quod etiam defunctos sequitur.

8. Halcyonum nidi magnam admirationem habent; ut refert Plinius lib. 10. c. 32. Qui inter alia, hæc: Alcyon (sive Halcyon, aut Alcedo, ἀπὸ τῦ χύειν ἐν ἁλὶ hoc est, à concipiendo in mari) avis est colore cœruleo, luteóque, vix major passere, quæ suo cum conjuge, amore & societate indivulsa sociatur, senem etiam humeris defert, nutrítque. Pisciculis vescitur, ex quorum spinis artificiosè nexo, viscosóque luto adeò solidum, pineæ nucis in formam, nidum conficit, consolidátque, ut ferro diffringi, saxóque comminui vix possit; ostiolô ita conditô, ut abditum cæteris avibus, & nec ipsi mari pervium, tanquam spongia, intranti, exeuntíque cedat alcyoni. Hæc ille. Observa felicitatem unionis & fidei conjugalis, quæ nullis rerum adversarum tempestatibus, nullis armis & terroribus violari queat; firma persistit, contra quamlibet vim foris ingruentem, sibi ipsa murus aheneus, & inexpugnabile munimentum. Ovidius, ut taceam plura huius generis exempla, uxoris suæ fidem rebus in asperis prædicat, maritum in exilium sequi omnino cupientis. Eleg. 7. Trist.

Non potes avelli: simul hinc, simul ibimus, inquit,
Te sequar, & conjux exulis exul ero.
Et mihi facta via est, & me capit ultima tellus:
Accedam profugæ sarcina parva rati.

Simili modo Creusa Æneam suum in omnia pericula comitari parata est:

Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum.

Hîc etiam, nota Castitatem conjugalem, nam in nidum alcyonum nulli avium patet accessus, nisi conjugibus.

9. (*b*) Educatio prolis in alcyonibus laudanda; rigor enim disciplinæ robustos & valentes efficit liberos. In cujus rei exemplum S. Am-

(*b*) *Educatio prolis dura.*

S. Ambros. lib. 5. Hexam. c. 3. has aves proponit, quæ juxta mare, tempore brumali, pullos excludunt, & nudos exponendo frigori, mari, ventis, durè educant. Talis liberorum educatio olim apud Germanos, Celtas, Thraces, Spartanos celebrabatur, de quibus Virgilius. 9. Æneid.

Durum à stirpe genus: natos ad flumina primùm
Deferimus, sævóque gelu duramus in undis.

Cæsar de Gallis lib. 6. Bell. Gall. In flumine perluuntur, & pellibus, aut parvuis rhenonum integumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Celtæ verò prolem natam ad Rhenum deferebant, clypeóque impositam, in gurgitem projiciebant; si undis abriperetur, notham censebant: si enatabat, suam. Turneb. lib. 22. c. 15. Claudianus in Rufinum.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

De Spartanis Seneca Rh. Suasoria. 1. Eurotas amnis Spartam circumfluit, qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.

Et Sidonius in Avito.

------ lactentia primùm
Membra dedit nivibus, glaciémque irrepere plantis
Jussit, & attritas parvum ridere pruinas.

De Honorio Claudianus Paneg. 3. Quem genitor docuit
Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, transnare sonoras
Torrentum furias &c.

Mollem adolescentem notat Horatius lib. 1. Od. 8. quòd timeat flavum Tiberim tangere; id est, natatui se committere. Non incongruum huic est loco, quod de Lycurgo, Lacedæmoniorum Legislatore narratur; qui quanta vis sit educationis, civibus suis ostensurus, duos catulos ejusdem matris assuefecit, unum venationi in silva, alterum in culina, patinis ablingendis; quô factô, ad diem dictum produxit utrumque in forum; & hinc quidem lebetem carnium posuit: illinc leporem dimisit; currentibus è vestigio canibus, illô ad escas, hôc ad leporem. *Plutarch.* in Lacon. Unde apparet, quantum momentum in institutione prima sit positum; quod ut faciant homines, docent alcyones. Videas puerorum alios tantùm ad fruges consumendas natos; alios ad artes liberales venandas factos. Equidem ferè conjuncta sunt, edacitas & stoliditas. Lacedæmonii pueri decimo quoque die *Ephoris* (id est

Censoribus publicis) sistere se cogebantur. Hi, quem molliorem, pinguioremque cernebant, plagis onerabant. *Plut.* in Lacon. Si mos hic pluribus vigeret in locis, ne pauciores essent Bœotii, & rarior stupiditatis ac hebetudinis proventus.

10. Denique Plutarchus libro, utrùm terrestria, an aquatica animantia plus rationis habeant, alcyonem sapientissimum, & divinissimum marinorum animal appellat. Hæc enim avis, gravem annis comparem, & ægrè sequentem, susceptâ curâ fert, fovétque senem, nusquam destituens, nusquam post se relinquens: nam & dorso impositum gestat, magnô charitatis conjugalis argumentô; quæ pari affectu floridam & blandientem juventutem, & ægrescentem senectam fovet, & amplectitur. Quid quod aves istæ feruntur adeò tueri jura conjugii, tam ardenter amare se mutuò, ut altero mortuo, simul occidat alter.

11. (c) Atque hæc de alcyonibus. Exempla amoris conjugalis alibi commemoramus, hîc duo placet apponere, etiam post mortem prodigiosa. Auctorem prodo S. Gregorium Turonensem lib. de Gloria Confess. c. 42. de duobus conjugibus, qui se etiam mortuos complexi sunt in sepulchro. Admetior ejus verba: Defuncto Hilario, viro senatorio, vertente anno obiit & uxor, quæ cùm eodem tumulo satis capaci conderetur, *subitô elevatâ vir dextra*, conjugis cervicem amplectitur, quod admirans populus, depositô secessit operculo, cognovítque, quæ eis castitas, quis timor in Domino, quæ etiam inter ipsos dilectio fuisset in sæculo, qui se ita amplexi sunt *in sepulchro*. Huic subjungit & alterum, non minùs admiratione dignum, par conjugum, qui suam illibatam sponso Virginum, castimoniam consecrârunt: Uxorem priùs vita functam, non multò post maritus insequitur. Porrò cùm utriusque sepulchrum è diversis parietibus collocatum fuisset, & virum quidem ad meridiem, mulierem ad septentrionem; miraculi novitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit. Nam manè factô, cùm ad locum populus accederet, invenit sepulchra conjuncta, quæ antè distantia viderat. Scilicet ut quos tenet socios cœlum sepultorum, hîc corporum non separet monumentum. Hos usque hodie *duos Amantes* vocitare incolæ loci voluerunt. lib. cit. c. 32. Ita qui in vita castè & unicè dilexerunt se, *in morte non sunt separati*.

Sed quàm raræ sunt aves hæ! Pleróque maritatos si interroges: quid est conjugium? respondebunt, *Iugum*, & nimis quidem quàm grave. Colligati sunt vinculo non byssino, sed ferreo, veluti duo canes rixosi unâ

(c) *Conjugum amor in ipso sepulchro.*

ſi unâ catenâ. Paulus de hoc vinculo 1. Corinth. 7. *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem.* Vinculum durum, adamantinum, ſola morte ſolvendum; quod tamen emollit charitas, & onera connubii in dies Halcionios convertit.

II. (*d*)Hîc nota, quemadmodum magna felicitas eſt, reperire uxorem bonam, ita magna difficultas eſt, eligere, quæ ſit bona. Nam ſæpe, inquit Vir diſertus, (Georg. Stengel. tom. 2. de Judic. diu. c. 22.) quæ pudore vultûs, oculorum dejectione, modeſtiſſimo inceſſu *Angelum* præ ſe fert, & eſt virginum exemplar, ſi eam de fronte æſtimes; at ſi mores experiaris, in Sphingem, aut Harpyiam incidiſti. Accipe vetus documentum, quiſquis Alcyonem domum ducere cogitas:

Quæ tibi ducenda eſt, habeat P. quinque puella:
Sit Pia, ſit Prudens, Pulchra, Pudica, Proba.

Hoc ſibi etiam nupturæ dictum putent de futuro marito. Martia Catonis filia, interrogata, quam ob cauſam, poſt mariti mortem alii ſe copulare viro renueret? Reſpondit, quia non facilè invenero virum, qui me magis velit, quàm mea. Non nemo ita canit:

Ergo mihi uxorem qualem ducam? Anne puellam?
Hæc forſan veniet non ſatis apta mihi.
An viduam? dominam quis poſſit ferre tonantem?
An vetuſam? tolerat quis patienter anum?
Fœcundam? fœcunda domum mihi prole gravabit:
An ſterilem? ſterilis non decus arbor habet,
An ditem? magis eſt nihil intolerabile dite.
Aſt inopem? quid opis ferre valebit inops?
Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo.
Verboſam? mulier res oneroſa loquax.
Formoſam? variis eſt ſubdita forma periclis.
Deformem? pœnam ducere nunquid amem?

(*d*) *Difficilis delectus matrimonium inire volentium.*

SYMBOLVM LXI.

Domus Somni, & Somniorum spectra.

II. Metamorph.

Ethicè.

1. Imago Somni. 2. Somnium naturale. 3. Morale. 4. A cacodæmone immissum. 5. A Deo oblatum. 6. Somniorum vanitas. 7. Naturalis significatio. 8. Somniorum duplex porta. 9. Somni ratio. 10. Somnus frater Mortis.

PAraphrasin damus lepidissimæ & ingeniosissimæ descriptionis Somni Ovidianis versibus expressæ. Est prope Cimmerios, gentem Scythicam (haud procul Bosphoro sitam) Mons cavus, & in eo spelunca longè recedens in profundum, radiis solis inaccessa, totáque regio perpetuis umbris & nebulis tecta, unde locus adagio factus, *Cimmeriæ tenebræ.* Hìc sedem posuit *somnus*, ut quem delectant maximè nox & caligo. Nihil est id loci, quod ulla ratione quietem turbare possit. Non reperitur ibi gallus gallinaceus, lucis prænuntius, qui diem cantu provocet: non auditur latratus canum nocturnus: non diurnus anserum strepitus, non balatus ovium, non mugitus boum, non grunnitus porcorum, nec ullius aut avis, aut quadrupedis molesta vox. Pigri jacent campi, non ventis agitantur frondes; nulla convitia linguæ humanæ, nulli rixantium & altercantium clamores. Summa circùm circà quies & silentium. Suavissimè verò somnum invitat rivus aquæ Lethææ, rerum omnium oblivionem inducens, & montis è radice, leni cum murmure per lapillos decurrens. Ante fores antri, densa florent papavera, mirificam vim sopiendi, habentia: aliæque herbæ, quarum lacteum *Nox* succum colligit, spargítque per terras roris instar, & blandè rigatis oculis somnum indvcit. Nulla domum obmunit janua, ne postes verso strideant cardine; nullus in limine custos, qui clavibus trahat, retrahátve seras, aut adventantes compellet. In medio specûs, visitur lectus de ebeno, cujus pulvinaria & stragula mollissimis plumulis farta: in eo Deus recubat *somnus*, membris omnibus languore resolutis, circa thorum mille *somniorum* formæ sternuntur; è quibus *Morpheus*,

(μορφὴ

μορφὴ forma, ſpecies) nomen à formando habet ; mirus artifex & ſimulator figurarum eſt, nam domini juſſu, quorumcunque vultus hominum non modò fingit lepidè, ſed verba etiam ac mores imitatur. *Icelos* verò à ſimulando dictus, (ἴκελον ſimulacrum ſeu *Phobetor*, φόβος timor, terror: φοβέω terrefacio) nam idem ipſe etiam terrefacit; frater ejus, in varias animalium figuras abit, & jam feram, jam volucrem, jam ſerpentem induit, omnes animantes aſſimilare doctus. Tertius frater *Phantaſus* nomine, nempe imaginator (φαντάζω fingo, imaginem ementior) qui inanimatorum repræſentat imagines, ut ſibi per ſomnum videantur videre, undam, ſaxum, trabem, aliáque animâ carentia. Atque hi filiorum ſomni nobilioribus tantùm mortalium nocte ſuos vultus oſtendunt; cætera liberorum turba, per oppida & agros taciturnè vagatur, hominéſque plebeios, pueros ac mulierculas imaginibus implet.

Ethica.

I. (*a*) Qui ſomniorum ignorant cauſam, putant ea immitti ab altiore mente, puta vel à genio, vel à Deo. Sic fingitur Juno per Irim ſuam imperâſſe Morpheo, ſpeciem Ceycis ut objiceret per quietem Alcyonæ. Cùm enim mens ſomno ſopita ſit, cenſent eam tunc agi à Deo. Errorem & ſuperſtitionem auxêre poëtæ, qui ſuum rei cuique homonymum dant Deum. Unde Ovidius hîc:

Somne quies rerum, placidiſſime ſomne deorum.

Et Seneca in Hercule furente:

------- Túque ô domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ,
Veris miſcens falſa futuris,
Certus, & idem peſſimus auctor,
Pavidum lethi genus humanum
Cogis longam diſcere mortem.

Philoſtratus in imagine Amphiarai, ita ſomnum pingit: Facie, inquit, reſoluta eſſe videbatur, alatus, candidam veſtem habens ſuper nigram, quaſi diem & noctem indicaret : cornúque transparens in manu tenere; quippe tum *vera ſomnia* immittens. Nam ſi loco corneæ laternæ dentem elephantis, viſu impervii ſuſtinet, falſi ſomnii figura eſt. de qua re inferiùs. Ovidius verò hîc:

(*a*) *Imago Somni.*

In medio torus est, ebeno sublimis, in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quô cubat ipse Deus, membris languore solutis.
Hunc circum passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent.

De Somno Silius lib. 10.

---------- curuôque volucris
Per tenebras portat medicata papavera cornu.

Et paulò pòst:

---------- quatit inde soporas
Devexo capiti pennas, oculísque quietem,
Irrorat, tangens Letheâ tempora Virgâ.

Homerus: καὶ γὰρ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι. Etenim somnus à Jove est: quia & insomnia dicta sunt διόπεμπα, id est, à Jove missa: & θεῖαι ὀμφαὶ, id est, divinæ voces, & Διὸς ἄγγελοι. Jovis nuntii.

II, (*b*) Theologis quadruplex somniorum genus est. *Naturale*, *Morale*, à *Dæmone*, à *DEO* immissum. Naturalia sunt, quæ corporis bonam, malámve temperiem, stomachum oppletum aut vacuum sequuntur: ex his bona, maláve valetudo dignosci potest. Hinc medicorum antesignanus Hippocrates librum de insomniis conscripsit. Homo tristis, tetricus, & quem atra bilis exercet, jam novit sua somnia: fatigari, cadere, angi, lacrimas fundere, humi repere, latebras quærere, pericula subire, inter mortuos agere, tristia quæque audire, creberrimum illi, penéque quotidianum. Qui multi & boni sanguinis sunt, somniantes hilarescunt, tripudiis intersunt; rident, currunt, volant. Atque hæ meliores aut deteriores affectiones, bonos, malósve corporis habitus apertè satis enuntiant.

III. (*c*) *Moralia è* cogitatis, dictis, & factis diurnis proveniunt. Hinc somnia Tullius cogitationum & negotiorum diurnorum reliquias appellat. De divinat. Et Claudianus in 6. Honorii Consulat.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad silvas, ac sua lustra redit. &c.

Hinc judex lites, auriga currus & equos, ægrotus & sitiens fontes & aquas, poëta versus somniat, avarus pecunias numerat, famelicus epulas tractat. Sic Thesco, Herculis consobrino facta illius præclara etiam in

(*b*) *Quadruplex somniorum genus. Naturale.* (*c*) *Morale.*

in somno occurrebant. Plut. in Theseo. Sic Themistocli Miltiadis Persica trophæa non modò somnum adimebant, sed & somnia condiebant. *Idem.* Sic Darium Persarum Regem anxium instantibus curis (nam prœlium instabat cum Alexandro committendum) agitabant etiam per somnum imminentium rerum species, quas ægritudo mentis accersit. Curtius lib. 3. c. 7. Sic M. Marcellus Cons. tanto cum Annibale dimicandi ferebatur studio: ut sæpè etiam in somnis, singulari certamine, cum eo sibi videretur congredi. Plut. in eius vita. Sic quidam somniabat morderi se lethaliter à marmoreo leone, ex his, qui in templorum vestibulis cerni solent. Die autem postero, cùm templi fores casu præteriret, leone spectato, non sine risu somnium suum inter comites narravit, & manu in apertum os illius protinus iniecta, dixit: *en nocturnus hostis meus.* Scorpio itaque, qui in imis faucibus leonis delitescebat, lethaliter eum vulneravit. Petrarch. Nec rarò conscientia scelerum animum etiam per quietem cruciat. Sic Nero Cæsar nunquam somniare solitus, nisi post interfectam matrem, cuius manes etiam dormiens sentiebat. Sueton. Ex moribus hæc petuntur somnia.

IV. (*d*) A dæmone immissa veniunt, qui celer, & vafer artifex, ipsis etiam somniis, si Deus annuat, ad peccandum trahit. Cùm Pontius sederet pro tribunali, capitalem sententiam jam jam dicturus in Christum, nuntius advolat à conjuge, quæ oblatô sibi somniô, maritum sollicitè monebat: *Nihil tibi & justo illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Nempe diabolus omnem movit lapidem, omnem excogitavit stropham, ut Servatoris necem impediret. Idem veterator ut onirocriticam, seu artem divinatoriam ex somniis confirmet, simplicésque mortales noxiis superstitionibus involvat, multa revelat onirocritis, auguribus, divinatoribus, quibus & ipsos, & per eos seducat quàm plurimos, & sibi mancipet. Sic quidam somniârat, se videre ovum ex lecti cubicularis fascia dependens. Id somnium retulit ad conjectorem: hic jussit, ut eo loco foderet; defossum enim esse thesaurum: fodit; invênit; & argenti paululum detulit ad conjectorem, de auro dissimulans. Tum conjector: Quid? nihilne de vitello? id est, de auro?

V. (*e*) Sunt somnia à Deo oblata. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini*, ait ipse, *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Num. 12. Quod Jobus confirmans: *per Somnium*, inquit, *in visione nocturnâ, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* c. 33. Ita Somnia

(*d*) *A diabolo immissum.* (*e*) *A Deo oblatum.*

mnia objecta Jacobo, Josepho, Abrahamo, Pharaoni, Salomoni, Nabuchodonosori &c. erant mysteriis plena. Job. c. 7. ait. *Terrebis me per Somnia, & per visiones horrore concutis. Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.*

VI. (*f*) Vniversim ac maximam partem inania, falsa, vana sunt somnia, & nullam merentur observationem. Quod Ecclesiastes dilucidè pronuntians: *Multas curas*, inquit, *sequuntur Somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu verò Deum time.* c. 5. Et Siracides cap. 34. *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia.* Unde Diogenes apud Laërtium lib. 6. Quæ vigilantes agitis, ea non curatis: quæ verò dormientes somniatis, sollicitè perquiritis. Ad felicitatem enim hominis non tam refert, quid patiatur in somniis, quàm quid agat vigilans. Et Cato

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
Et vigilans sperat, per somnum cernit idipsum.

Accedit Tibullus lib. 3. Eleg.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Ad rem Comicus. Cùm Dii nobis somnum dederint, curarum & laborum delinimentum, superstitiosus illum sibi reddit carnificinam & tormentum. Hinc Plato: spes mortalium ajebat, somnia sunt vigilantium: plerumque inania & falsa. Neque enim, quod Maro canit, amantes tantùm sibi somnia fingunt, sed etiam timentes, sperantes, mœrentes, gaudentes. Apparet hoc ipsum ex vanitate conjectorum. Cursor, inquit Tullius, de *divin.* ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum ferri; manè adit coniectorem. At ille, *Vinces* ait, id enim celeritas significat, & vis equorum. Accedit alterum, audit: Tu vincêris; an non intelligis quatuor ante te cucurrisse? scilicet equos. Huc conveniunt versiculi:

Divitibus veras curas, tormenta, dolores,
Somnia, pauperibus gaudia falsa ferunt.

VII. (*g*) Negari tamen non potest ex somniis sicut corporis, sic animi affectiones cognosci posse. Tunc enim animus in profunda tranquillitate constitutus veros affectus prodit: indéque fit, ut quæ vigilantes agere & profari non audent, ea nec noctu in somnis occurrant. Plutarchus

(*f*) *Somniorum vanitas.* (*g*) *Somniorum naturalis significatio.*

chus censuit perfectæ virtutis esse, de virtute somniare: *scilicet amata recurrunt.* Secundùm Aristotelem in Problemat. meliora somnia vident, qui vigilantes meliora animadvertunt: deteriora, qui deteriùs animo vel corpore affecti sunt. Et Plato sic jubet ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationémque adferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne *fabâ vescerentur*, quòd habeat inflationem magnam, & cibus ille conrrarius sit tranquillitatem mentis quærenti. Cic. lib. 1. de diu. Id experimur in ephialte, quem latini *Incubum* vocant, quô quis somniat se à mole quapiam vel ab hoste invadi, opprimi, suffocari & strangulari, nec posse se effugere: unde angitur, gemit, sudat. Oritur id vitii ex crapula & continua ventriculi cruditate; unde vapores crassi & frigidi elati, cerebri ventriculos replent, prohibéntque spiritus per nervos diffundi.

VIII. (*h*) Celebre figmentum est Homeri, somnia illa vera esse, quæ subvolant per portam *Corneam*: falsa verò, per *eburneam.* Quô significare voluit, visa per diem, quæ in somniis recurrunt, esse vera: audita verò, esse falsa. *Cornea* enim porta notat visum & oculos, ob coloris similitudinem & tunicam corneam, quæ est in oculo: *eburnea* verò denotat os, ob candorem dentium. Ex Homero desumpsit Virgilius lib. 6. Æneid. ubi reditum Æneæ ex inferis describit, ostenditque Æneam egressum portâ, quâ exeunt falsa insomnia; adeóque fabulosa esse, quæ de toto illo ad manes itinere scripserit. Thales Philosophus rogatus, *Quantum distaret à mendacio Veritas?* Respondit, *quantum oculi distant ab auribus;* significans ea demum esse vera & certa, quæ contuemur oculis: fabulis verò hominum, quas audimus, haud tutò credi; quòd sæpe falsæ & mendaces sint. Mythologus aliter hanc geminam portam explicans, sicut, inquit, ignis in laterna cornea inclusus, facilè lumen transmittit; sic corpus hominis per temperantiam à sordidorum humorum colluvione expurgatum, facilè per id veritatem & spectra divinitus oblata recipit. At si crassa fuerint corpora, & multorum ciborum malorúmve humorum è diuturna crapula oppleta: ea corpora animam tanquam in laterna crassioris eboris inclusam, veritatem somniorum intueri non patiuntur. Hæc ille. Quæ somniorum diversitas non in ea solùm temperantiæ parte apparet, quæ cibo & potui moderatur, sed in ea quoque, quæ libidinum inimica, pravis commotionibus dominatur. Unde S. August. lib. 5. contra Julianum c. 9. de statu Innocentiæ loquens: Tam felicia ait, erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium.

(*h*) *Duplex somniorum porta, cornea & eburnea.*

IX. (*i*) De Somno facili, Siracides c. 31. *Somnus ſanitatis in homine parco. Dormiet usque manè, & anima illius delectabitur.* Nimirum ſobrietas & temperantia breves ac jucundas faciunt dormientibus noctes. *Saturitas autem divitis non ſinit eum dormire.* Ibid. Diſtentus enim dapibus & indigeſto oneratus cibo venter, amaras cogitur vigilare noctes. Hinc præceptum eſt Scholæ Medicorum Salernitanæ.

Ex longâ cœnâ ſtomacho fit maxima pœna:
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.

Et Horatius.

---------- corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Ad ſomni jucunditatem facit etiam labor & exercitium: nam

---- feſſos facilis ſopor irrigat artus.

Eccleſiaſtes c. 5. *Dulcis eſt ſomnus operanti.* Sed hîc cavenda nimia indulgentia. Monet Salomon Proverb. 19. *Pigredo immittit ſoporem: & anima diſſoluta eſuriet.* Nimiô ſomnô membra langueſcunt & enervantur. Deinde prolixior ſopor non tantùm corpus, ſed etiam ingenium, mentémque hebetat, & corrumpit. Mantuanus canit:

---------- pigros rubigine ſenſus
Otia corrumpunt, ſopitáque pectora torpor.

Addit Salomon loc. cit. *Et anima diſſoluta eſuriet.* Nam pigritia parit ſoporem, ſopor otium & inertiam, inertia penuriam & famem.

X. (*k*) Fingitur Somnus *Erebo* (inferno fluvio & *Nocte* matre genitus, cuius frater ſit *Lethum* ſeu *Mors*: Sorores *Lethe*, ac *Spes*. Apud Ælianum lib. 2. hiſt. c. 35. refert Pauſanias, Olympiæ, urbe Theſſaliæ, viſam à ſe ſtatuam, Noctem, figura, habitúque muliebri: hæc puerum album dormientem dextra tenebat, læva nigrum dormienti ſimilem. Horum priorem appellari *Somnum*, alterum *Lethum*, utrumque *Noctis* eſſe filium. Homerus Iliad. ζ.

Ενθ' ὑπνῳ ζύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.

Occurrit ſomno, qui Mortis frater habetur. Et Maro lib. 6.

Tum conſanguineus Lethi ſopor.

Et Seneca:

Frater duræ languide ſortis.

Accinit Ovidius:

Stulte, quid eſt Somnus. gelidæ niſi mortis imago?

Unde

(*i*) *Somni ratio.* (*k*) *Somnus frater mortis.*

Unde Gorgias Leontinus Sophista, jam annis gravis admodum, cùm ægrotus somno altiore urgeretur, fortè è familiaribus quidam accessit, qui interrogaret, quomodo se haberet, respondit: *Iam somnus incipit suo me fratri tradere.* Ut hinc colligas, *multùm dormire, esse multùm mori.* Quare rectè Philosophus rogatus, quantum docti differrent ab indoctis, reddidit: *quantùm vivi à mortuis.* id quod superiore Num. indicavimus. Soror Somni est *Lethe*, quæ *oblivionem* significat: quia per somnum, qui dimidium ætatis nostræ carpit, sicut bruta jacemus, omnium sensuum, & animæ facultatum nobiliorum officio destituti, unde plurimarum rerum ignorantia inducitur, apud illos præsertim, qui cum gliribus non tota modò hieme, sed etiam æstate dormiunt. Neque sine causa *Spes* inter sorores Somni censentur, quandoquidem sæpius instar somniorum evanescunt.

SYMBOLVM LXII.

Charybdis & Scylla, Monstra marina voracia.

Homerus Odyss. μ. Virgil. 3. Æneid. Ovidius 7. Metam.

Ethicè.

1. Virtus inter duo extrema navigat. 2. Scopuli vitæ humanæ, Ira & Libido. 3. Mala voluptas. 4. Charybdis & Scylla, Luxuria & Gula. Item Prodigalitas. 5. Scylla Symbolum animæ corpori conjunctæ. 6. E Charybdi in Scyllam, quid.

DE Scylla & Charybdi nec Historici satis consentiunt, nec Poëtæ. Nos vulgatiora seligemus, ad mores potiùs formandos, quàm ad geographicas varietates discernendas intenti. Ad historiam quod attinet.

Scylla & Charybdis, duo sunt loca in freto siculo, valde periculosa, & naufragiis infamia; quorum alter Italiæ, alter adjacet Siciliæ. *Charybdis* gurges est vorticosus, juxta littus Taurominitanum, Scyllæ oppositus, contrariis fluctuum occursibus in miram altitudinem assurgens, statisque temporum vicibus obvia quæque absorbens, atque iterum evomens. *Scylla* verò promontorium seu scopulus est juxta Rhegium, urbem Siciliæ, è regione Charybdis, quæ naves ingenti vi in saxa scyllæa impellit, & al-

lisas conquassat ac disrumpit. Porrò fretum siculum, quia scopulosum & angustum est, tanto fervet æstu, ut fluctus inter se concurrentes, scopulóque illisi, quendam quasi latratum & ululatum referant; hinc fingitur Scylla *Canibus* & *Lupis* succincta; *Mulier* autem, quia procul spectantibus, formæ humanæ similitudinem præfert. Et quia sub eo promontorio petræ sunt ingentes & complures, quæ locos concavos & speluncas habent interiùs, in quibus habitant feræ marinæ, eo quoque nomine dicitur à Poëtis habere canes, qui à lateribus, pectoréque promineant, & interimant navigantes: quoniam ex inferiore loco, è concavitate saxorum scilicet, in qua latent, exeuntes, séque superiùs ex eius latere extollentes, exire è pectore feræ illæ videntur. Ibi locorum, Ulysses naufragiô factô, ut Homerus tradit, socios amisit. Illic cùm præternavigantis Herculis boves undæ magnam partem mersissent, dictus est is interemisse Charybdin, quia machinis quibusdam locum illum expurgavit, & navigabilem reddidit. Hæc de Historia.

Poëtarum fabulatio est ista: Charybdis vetula fuit tam furax, quàm vorax: quæ cùm Herculis boves aliquos suffurata fuisset, ab illo proiecta est in fretum siculum, inque monstrum marinum conversa, quæ adhuc retinet pristinam rapiendi naturam. Nam illac transeuntes naves ad se rapit, devorátque, ac revomit. Scylla verò ex formosa puella in turpe ac horridum maris monstrum abiit. Eius transformationis hæc refertur causa. 13. lib. Metam. Glaucus, Deus marinus, Scyllam *Phorci*, itidem dei æquorei, filiam (quam Maro Eclog. 6. memoriâ lapsus, aut homonymo deceptus; *Nisi* Megarensium Regis natam fuisse putat) deperibat. Igitur adit *Circem*, celebrem veneficam, ut illius & herbarum ope vicissim à Scylla amaretur. Circe illum dehortatur ab amoribus Scyllæ, & illos in se transferre studet. Despicit Glaucus: indignatur hæc præferri sibi aliam, herbas parat, locum maris venenis inficit, ubi Scylla lavare consuescebat. Venit hæc ex more, ad æquoris lavacrum; útque aquam contigit, videt ecce canes & lupos circa umbilicum nasci: quam deformitatem monstrificam adeò exhorruit, ut sese statim in vicinum præcipitârit fretum, & in saxum mutata sit. Virgilius & Ovidius, præter Homerum, & alios Poëtas, depingunt hæc portenta. Prior quidem 3. Æneid.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obsidet: atque imó barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursúsque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

At

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore Virgo
Pube tenus: postrema, immani corpore pistrix,
Delphinûm caudas utero commissa luporum.

Ubi Charybdin proponit, tanquam Furiam crudelem, hostiliter & prædatoriè locum obsidentem, ad cœdem & rapinam nautarum, cuius spoliarium sit ingens præcipitium, & immensa altissimáque vorago. Scylla verò ex spelunca quadam exerit ora vasta, & inde rapinam exercet, ad se naves trahendo. Est huic monstro facies humana, & quidem Virginea pectore tenus; deinceps canibus & lupis cingitur: ultima pars corporis desinit in pistrin seu Delphinum. Unde Maro 10. Æneid.

Frons hominem præfert, in pistrin desinit alvus.

Et Horatius in Poëtica, ad Pisones:

--------- turpiter atrum
Desinit in piscem mulier formosa supernè.

Ovidius 7. Metam. etiam canes adjungit.

Dicuntur montes, ratibúsque inimica charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere, cinctáque sævis
Scylla rapax canibus, Siculô latrare profundo.

Ausonius:

Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce.

Ethica.

1. (a) Nunc ad expositionem moralem, quæ itidem à variis affertur varia, nam præter solitum, in his monstris Ethicæ studium se prodit. Chorum ducat Natalis Comes, qui Mytholog. lib. 8. c. 11. it. loquitur de figmentis istis: Ego sanè virtutum, vitiorúmque naturam sub hac fabula contineri crediderim: quia cùm inter duo pericula naviget is, qui ex alterâ parte Scyllam, ex alterâ Charybdin; habeat; solus denique tutus & incolumis evadit, qui neutri horum periculorum magis adhæserit. Hoc quid aliud significat, quàm quod scribitur ab Aristotele in Ethicis, virtutem esse medium duorum extremorum, quæ ambo sunt vitanda? ut autem vitia devitaremus extrema, his partim femineas formas, ut invitantibus ad se, tribuerunt: partim figuras immanissimarum ferarum, ut indicarent calamitates, & pericula iis sustinenda,

(a) *Virtus inter duo extrema navigat.*

ſtinenda, quos vitia ad ſe trahunt. Nam quid aliud eſt vita mortalium, quàm aſſidua inter varias moleſtias, & illegitimas voluptates navigatio? is autem unus, qui ſanctè piéque vixerit, & qui vitia utrobique exiſtentia devitaverit, incolumis in patriam, quod beatarum eſt animarum poſt hanc vitam concilium, cui præeſt Deus, pervenire poterit. Sed quoniam in errores aliquando collabi omnibus facilè eſt, & plerísque contingit; ſi quis illis ſcopulis appropinquârit, continuò eſt inde totis viribus recedendum. Nemo eſt enim ex omnibus hominibus, qui non ab ipſa natura ad voluptates incitetur. Idcirco Poëtarum omnium præſtantiſſimus Homerus, multis amiſſis inde vix abnavigantem fecit Vlyſſem: quia pauci ſunt viri fortes in periculis; & multò pauciores prudentes, ubi ſemel voluptatum facti ſunt captivi, nec ab illis poſtea explicare ſe facilè poſſunt. Dicitur Scylla in hoc monſtrum à cive converſa fuiſſe, cùm mulier eſſet pulcherrima, quòd omnes, qui declinant à ratione, rectóque vivendi inſtituto, brutorum animos induant. Quid enim Circen eſſe dicemus? an non titillationem naturæ ad voluptates incitantem? Cùm vellent igitur demonſtrare antiqui (ut ſummatim dicam) pleniſſimam eſſe difficultatum & periculorum vitam humanam, navigantíque inter graviſſimos ſcopulos ſimillimam: quæ ſi parùm ſapienter gubernetur, voluptatibus allecti homines in maximas miſerias incident: hæc de Scylla & Charybdi excogitârunt: quæ jucundiſſimis narrationibus, & fabuloſis veſtierunt: ut qui parùm ſalutis ſuæ alioquin eſſent ſtudioſi, ſaltem ſuavitate figmentorum ad audiendam vitæ rectè inſtituendæ rationem allicerentur. Hæc Mythologus.

II. (*b*) Altera explicatio eſt P. Cornelii à Lapide in cap. 5. Proverb. v. 5. *Pedes ejus* (id eſt meretricis) *deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant.* Pro *penetrant*, Hebræi, ſuſtentabunt, fulcient, fovebunt, roborabunt infernum: ſicut paries ſuſtentatur fulcro, ne cadat & pereat. Simili enim modo libido ſuſtentat infernum, quia major pars hominum damnatur propter impuram voluptatem. Hoc veteres repræſentarunt per *Scyllam* & *Charybdin*, quas finxerunt feminas in fretum Siculum præcipitatas, in ſcopulum & voragines fuiſſe converſas; inter quas cùm navigant nautæ, aquarum arctarum vorticibus abrepti, vel ad ſcopulum colliduntur, vel à voragine cum mercibus ſorbentur. Unde Scylla dicta eſt à σκύλμα, id eſt confuſio, vel ut alii, à σκυλᾶν, id eſt, à *ſpoliando*; aut à σκύλλειν id eſt *vexando*. Charybdis verò à χάσκειν, hoc eſt, ab *hiando*, & ῥοίβδω, *ſorbeo*. Per Scyllam ergo

(*b*) *Scopuli Vita humana. Ira & Libido.*

ergo & charybdim repræsentârunt duos maximè periculosos humanæ vitæ scopulos, in quos major pars hominum impingit, & colliditur, scilicet *Iram* & *Libidinem*. Ira enim hominem facit amentem, in furorem agit, & in rixas, cædes, & ignes protrudit. Libido verò est quoddam animi delirium, quod hominis opes, nobilitatem, famam, sanitatem, vitam, animam, æternitatem haurit & absorbet. Facit enim amor, ut turpia videantur honesta: ac deformia, pulchra: damnosa, utilia: tristia, læta: funesta, augusta stultè amanti appareant, ut ob vilem delectationem famam & vitam prodigat & præcipitet. Ita Fulgentius lib. 2. Mythol. & ex eo Cornelius.

III. (*c*) Præterea per hæc duo monstra intelligitur mala *voluptas*, quæ, quod etiam in Harpyis, Sirenibus, Sphinge, notamus, *virginis* ora præfert, hoc est, blandè allicit, suaviter trahit, insidiosè implicat. Sed quid? in medio succincta canibus, in imo desinit in piscem. Ut intelligas, in quas feras incidas, dum libidini cedis. Nam *Canes*, quid aliud sunt, quàm oblatrantis conscientiæ tumultus & tormenta? quid *pistris*, aut delphini cauda, quàm summæ lubricitatis symbolum? Quid enim fugacius & lubricius voluptate impura? In adagiis est: *Delphinum cauda ligas;* vel *anguillam caudâ tenes.* Sed non retines, quidquid agas: compressis etiam elabetur manibus: Poëta canit.

Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Hæc utraque manu, complexúque assere toto:
Illa fluunt imo sic quoque lapsa sinu. Martialis lib. 1. Et notandum, quod ex Horatio attulimus, Scyllam mulieri formosæ simile, in turpis monstri caudam desinere; sunt enim voluptatis pravæ initia blandissima, fœdus & luctuosus exitus. De hac allegoria Scyllæ & Charybdis disertè S. Hieron. epistol. ad Heliodor. Hoc ego non integra rate & mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo; sed quasi nuper naufragio ejectus in littus, doctus nauta, timida navigaturis voce denuntio: in illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ naufragia Scylla, ceu renidens libido blanditur. Hic diabolus pirata cum sociis portat vincula, capiendis. Nolite credere, nolite esse securi: licet in modum stagni æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi terga crispentur; magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis.

IV. (*d*) Tertia est P. Francisci Pompeii in Pantheo Mythico. Charybdis,

(*c*) *Scylla & Charybdis, mala voluptas.* (*d*) *Charybdis & Scylla, Luxuria & Gula.*

Charybdis, & Scylla, vitia sunt duo immania, hujus vitæ fretum exitiabile, infestúmque reddentia præternavigantibus; hinc *Luxuria*, illinc *Gula*. Illa Scyllæ instar, nautas incautos, fallàci formæ lenocinio pertrahit, complexósque, plùs quàm canina rabie, furoréque lupino angit, torquet, discruciat, perdit. Hæc, ceu Charybdis altera, & nunquam exsatiata vorago & gurges, dilapidat rem domesticam, patrimonia deglutit, exhaurit latifundia, thesauros devorat, absorbet omnia. Confinia sunt, & ex adverso sita hæc vitia duo, quemadmodum Charybdis & Scylla; imò non ex adverso, sed quasi facto fœdere, nunquam non conjuncta grassantur. Nec enim facilè reperias hominem, gulæ insignitum infamiâ, qui non idem sit oblitus fœdissimarum voluptatum cœno, addictúsque turpissimis ac flagitiosissimis libidinibus. Hæc iste.

(*e*) Mythologus: crediderunt, inquit, alii, hanc fabulam ad moderationem sumptuum spectare; quippe cùm incauti in fœnus incidant, tanquam in Scyllæum fretum, unde omnium facultatum uno tempore postea fit jactura. Hoc ego confirmo Tullii verbis, qui in oratione de haruspicio responsis. Quam denique tam immanem Charybdin poëtæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantiorum, Brogitanorúmque prædas exsorbuit? Idem Philippic. 2. in Anton. Quæ Charybdis tam vorax: Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Horatius verò per Charybdin intelligit libidinem lib. 1. Od. 27.

Quanta laboras in Charybdi!
Digne puer meliore flamma.

Quid enim sævius & rapacius, quàm fœda voluptas, quæ gurgitis instar rotat & circumagit animum in Veneris Concha navigantem; donec demergat, & absorbeat infelicis æternitatis abyssо sepultum?

V. (*f*) Quarta est Cœlii Rhodigini lib. 18. c. 3. de Scylla, his verbis. Prima hominis pars, rationalis anima, huic committitur inutilis caro, & fluida, & receptandis tantùm cibis habilis, ut ait Posidonius. Virtus illa divina in lubricum desinit, & superioribus partibus venerandis atque cœlestibus, animal iners, & marcidum attexitur: quódque horribilius est, captivam ducit rationem. Plurimis corpus voluptati est, anima oneri: quamvis illud natura, ut quandam vestem ac velamentum circumdederit animo. Ex hac voluptaria officina, mirum est, quanta se promant fœditatum agmina, quæ libidinum turpitudo.

V. (*g*)

(*e*) *Prodigalitas.* (*f*) *Scylla significat corpus & animam.*

V. (g) Denique libet hîc addere tritum adagium: *Evitata charybdi in Scyllam incidi.* Id versu exprimitur.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin. Quô bifariam uti licebit: vel cùm admonebimus, si quando in eas rerum angustias deventum fuerit, ut citra dispendium discedi non queat, è duobus malis, id, quod est levius, eligamus: vel cùm ostendemus negotium anceps & periculosum, in quo summa moderatione sit opus, ut in neutram partem peccetur. Non rarò nocuit, nimiùm vela permisisse ventis; tumor ipse & inflatio navium allisit in scopulos, & fregit. Securiùs aliquando, etsi lentiùs utimur remis. Velocior cursus festinat ad pericula. Multos perdidit fortuna secundior, qui rebus adversis tutò jactabantur; Servati sunt in calamitatum charybdi; Scyllam repererunt in felicitate. Tanti refert inter Charybdin & Scyllam naviganti, velis præcipitet navim, an torqueat remis. Ancipiti qui malo premitur, minus eligit. Et sæpè discrimen unum alio perrumpendum est.

(g) *E Charybdi in Scyllam.*

SYMBOLVM LXIII.

Iphigenia, Regis Agamemnonis Filia, ad aram victima.

12. *Metam. Homerus lib. 2. Iliad.*

Ethicè.

1. Dæmonis crudelia sacrificia. 2. Innocens pro nocente plectitur. 3. Charitas patriæ. 4. Auxilium Dei subitum.

COnjurati in Phrygiæ perniciem Græci Principes, cum navibus mille centum octoginta sex, ut Homerus refert: ut verò Dictys Cretensis cum mille ducentis nonaginta quinque: seu ut Dares Phrygius habet, mille centum quadraginta navium classe, reliquóque belli apparatu in *Aulide*, Bœotiæ portu, convenerant, ut inde pariter ad evertendum regnum Troianum, ulturi injurias à Paride, Helenam, Menelai regis, uxorem perfidè rapiente, illatas, navigarent. Antequam solverent, cùm Jovi sacrificare vellent, ecce serpens platanum, aræ im-

minentem, ascendit; ac primum pullos passerum octo, qui aderant; deinde advolantem huc matrem, in nido devoravit. Ex quo, admirantibus aliis, collegit *Calchas* augur, bellum novem annos duraturum, ac decimo demum anno Troiam captum iri. Cæterum serpens ille ad perpetuam rei memoriam in saxum à Diis fuit commutatus. Eo in porta morantibus Achivis, tanta præter omnem spem repentè extitit cœli, maríque tranquillitas, ut quiescentibus omnibus ventis, iter navibus ingredi facultas nulla esset. Cúmque placiditas illa per plures obtineret dies, & videretur mare omnino navigationem abnuere; exercitus molestè ferens, se tempus terere, nihil agendo: cogit Calchantem vatem edere hujus difficultatis causas. Tergiversatur ille primùm, metu Agamemnonis, nec vult pandere mysteria, quæ noverat. Sed universis, eum minis & convitiis, urgentibus Græcis, ac potissimùm ipsis ducibus, edit Oraculum: Vehementer iratam Dianam toti exercitui, negare abeundi copiam Græcis. Causam esse Agamemnonis errorem, qui cervam illi Divæ dilectam, sagittis confecerit. Hujus iram placari, mitigaríque aliâ ratione non posse, quàm si natarum Agamemnonis maxima, & Virgo jam nubilis, ad aram ipsius Dianæ immolaretur. Quô factô, nihil illos dubitare jubebat, de ventis secundis & navigatione prospera. Victus cùm omnium copiarum, tum maximè ducum consensu, pater Agamemnon, tandem consentit & ipse in necem filiæ. Mittitur Mycenas Vlysses, vir vaferrimus, qui mentitus Achillis, Græcorum præstantissimi nuptias, matri Clytemnestræ persuadeat, ut filiam secum in castra mittat. Reversus inde cum Iphigenia; puellam longè formosissimam, & omnia alia sperantem, sistit ad aram, Dianæ mactandam. Sed innocentis Virginis vicem miserata Dea, cervam pro illâ jugulandam ex improviso substituit: ipsam verò Iphigeniam, in Tauricam Chersonesum translatam, templi sui, quod ibi erat, fecit antistitem. Immolata cervâ,

Accipiunt ventos à tergo mille carinæ
Multáque perpessæ, Phrygia potiuntur arenâ.

Pindarus tamen & Pausanias, alii, cæsam fuisse asserunt Iphigeniam, ex more Scythicæ Dianæ, cui litatum victimis humanis. Subscribit Virgilius. 2. Æneid:

---------Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, ísque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placâstis ventos & Virgine cæsa,

Cùm

Cùm primùm Iliacas Danai veniſtis ad oras
Sanguine quærendi reditus, animáque litandum
Argolica.

Ethica.

Apparet hinc. I. (*a*) Cacodœmonis in genus humanum crudelitas, cui perquam familiare eſt, humanas hoſtias, & inter eas, potiſſimùm puerorum ac Virginum cædes, cultoribus ſuis imperare. Immania ſunt auditu, nedum factu, quæ de nefandis ejus ſacrificiis leguntur. Hiſtoria divina non uno refert loco execrandam parentum religionem, filios ſuos horribili cum cruciatu per ignes traducentium, & idolo *Moloch* immolantium. Semel DEUS verus imperavit Abrahamo, filium ut ſacrificaret; quod tamen perfici noluit, contentus præparatione mentis ad obſequium. Dii falſi, dæmones videlicet, gentis humanæ inimicitiâ & invidentiâ ducti, non contenti ſunt promptitudine voluntatis: reipſa filios & filias à parentibus victimariis poſtulant. Hanc veterum Hebræorum infandam ſuperſtitionem deplorat David pſal. 105. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificarunt ſculptilibus Chanaan.* Et ecce ſimios orcinos Majeſtatis divinæ æmulos. Abrahamo filium immolaturo pro victimâ, ſuppoſitus eſt aries; mactandæ Iphigeniæ ſubſtituta cerva. Taceo vetera ſuperſtitioſæ crudelitatis exempla. Joſephus Acoſta, auctor inſignis, refert in commentariis de moribus Pervanorum: hanc apud ipſos obtinuiſſe conſuetudinem, ut quoties novus rex inauguraretur, bis centum pueri, in honorem novi principis mactarentur. Cujus rei miſerabilis facies etſi omnem truculentiam ſuperare videtur; dirius tamen & immanius eſt, quod de Mexicanis ſcribit vir religioſus ex Ordine S. Franciſci, in epiſtolâ ad ſui Ordinis congregationem habitam Tholoſæ an. 1532. nimirum in ſola illa civitate, cùm diabolus illic coleretur, quotannis plus quàm viginti millia cordium puerorum & puellarum ſolita fuiſſe ſtygio tyranno offerri. Henricus Engel. Dom. XII. Pentec. Et mirandum ſanè eſt, omnis impuritatis ſpiritum tantopere puerorum ac Virginum cæde, & ſanguine delectari, qui virginitatem & caſtitatem ſummo perſequitur odio. Nempe vaferrimus alaſtor etiam in hoc æmulatur Deum, cui placet non modò Sacerdos, ſed etiam victima ſancta, innocens, impolluta, immaculata.

(*a*) *Dæmonis crudelia ſacrificia.*

Sic Plutarcho narrante lib. de superstitit. Carthaginenses Saturno filios immolabant, & qui nullos habebant, à pauperibus miserabiles victimas emere cogebantur. Adstabat in ipso sacrificio mater rigida & absque gemitu: si enim ingemuisset, jacturam faciebat & honoris & filii. Interim ante statuam omnia tibiarum cantu & tympanorum pulsu personabant, nequis clamor exaudiretur. O diabolicam tyrannidem! quæ ne gemitus quidem esse liberos permittit, ut nomen habeat religionis infanda laniena, sine lacrimis peragenda, sine suspirio est spectanda; in abominandis sacris *hilarem datorem* exigit tartareus latro. Hic idem sub Achilleæ umbræ prætextu, *Polyxenam* virginem, Priami regis filiam, sibi immolari voluit. Hic *Iphigeniam* regalem, & spectatæ pudicitiæ puellam, deposcit: Hæc est illa servitus, hic cultus, qui juratis Dei hostibus dæmonibus, sanguinis humani, in odium Creatoris, appetentissimis sub specie deorum & dearum exhibetur. Et utinam hæc sacrificia detestanda à solis idolorum cultoribus perpetrarentur! Etenim ut nihil dicam de parentibus, sanctiore religione imbutis, qui liberos suos malâ educatione perversos & corruptos, miserrimo diaboli mancipatui tradunt; quàm multi reperiuntur libidine perditi juvenes, viríque, qui statuunt aram idolo suo non Dianæ, sed Veneri, & victimam ei dedicant (horret animus dicere) pudorem Virginibus ereptum. O nefandos popas! quorum lascivia tantò fit irritatior, quantò puellaris integritas est expugnatu difficilior. Quoties in hoc propudioso Sacrificio Victimarius simul & victima, *nil miseranti* cedit *orco*. Paradigma ex Pausania affero, qui in Achaicis, lib. 7. hæc habet. Cùm multi è Calydoniis, furoris & vesaniæ novo quodam morbo corriperentur, atque partim interirent: consultum fuit de mali remedio, Jovis Dodonæi, clarum illis temporibus per Epirum, Oraculum. Responsum est, unam esse atque solam placandi numinis rationem: Si ad Liberi patris aram *Callirrhoë* Virgo Ætolica, vel ipsa, vel alius aliquis, qui se pro illa devoviisset, immolaretur. Difficile erat reperire, qui pro puella mori optaret. Igitur Callirrhoë, cùm frustra deprecando necem, nihil obtinuisset, cædi destinata est. Ad aram ergo ducta cum insulis, sertis, & omni sacrificiorum apparatu, *Cræso* Sacerdoti mirificè placuit; qui, cùm antea quoque puellam deperiisset, & nosset vicaria morte redimi illam posse, victus amore & miseratione, in Virginem quidem pius & benignus: in se autem crudelis extitit, factus pro illa hostia succidanea. Suis enim manibus confossus, accersivit sibi lethum. Commota rei spectaculo

culo Callirrhoë, ſtuporéque attonita, in miſerationem tam diri officii verſa, ipſa quoque ſemet ad fontem, qui haud procul abeſt à portu Calydonis, furibunda jugulavit. Sic Cacodæmon duplex nactus ſacrificium, dum virginem petit, ſimul amatorem haurit, & gemina nece pulchrè ſibi litatum oſtendit. Scilicet ad aram Bacchi cadebat hic Sacerdos, à qua proximus eſt ad aram Veneris tranſitus.

II. (*b*) Iphigenia Virgo pudica & caſta, ob Helenæ nefarii ſcorti noxam, ſub ipſa belli auſpicia, immeritâ morte occumbere debuit. Ferè ita fit, ut ob unius atque alterius cuiusdam portenti flagitia, quandóque integerrimi homines plectantur, Poëta teſte:

Dimittit corvos, vexat cenſura columbas.

Non rarò trahitur ad aram cædenda innocentia; & abſolvitur ſcelus, hòc felicius, quò veſanius. Exultat impius, premitur pius; & in aliena piacula, ſuccedit victima, *Probitas.* Sapientis viri dictum eſt: *Paucorum culpa, multorum pœna.*

III. (*c*) Agamemnonem laudans Ovidius canit:

----- poſtquam pietatem publica cauſa,
Réxque patrem vicit, caſtúmque datura cruorem,
Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris:
Victa dea eſt, nubémque oculis objecit, & inter
Officium, turbámque ſacri, vocésque precantum,
Suppoſita fertur mutâſſe Mycenida cervâ.

Charitas, quam pro officio ſuo reipublicæ debebat Rex, plus potuit, quàm amor, quem filiæ debebat pater. Sapienter. Propter patriam ſua cuique nedum cuiusdam ſuorum, vita negligenda eſt. *Curtius* in profundam voraginem ſe cum equo immittens, vitam patriæ libertati poſthabuit. Genutius *Cippus* Prætor, regno prætulit exilium: cùm enim reſponſum accepiſſet, regem fore, ſi in urbem revertiſſet, voluntarium ſibi exilium indixit. Duo *Decii* pro Reipubl. incolumitate ſe devoverunt, è quorum ſanguine inſperata victoria emerſit; vita illorum victoriæ oberat, mors fecit, ut vinceretur hoſtis. Inter laudanda exempla, *Codri* Athenienſium Regis eſt, qui interitu ſuo fecit, ne Athenæ perirent: Et *Themiſtoclis*, qui exceptum paterâ tauri ſanguinem, inſtitutô ſacrificio, hauſit, ne oppugnare, à qua exulabat, patriam Perſici exercitus dux factus cogeretur. E ſacris paginis habemus *Iephten*, qui unigenæ filiæ cæde, voti religionem exſolvit, & patriæ ſalutem peperit. Græcis, inquit, Floſculorum hiſtoricorum ſcriptor, facinus hoc placuit, qui Iphigeniam iisdem tempo-

(*b*) *Innocens pro nocente plectitur.* (*c*) *Charitas patriæ.*

ribus, nimirum anno Mundi 2850. ab Agamemnone mactatam asserunt; ita Dœmone per omnia satagente ad Dei imitationem assurgere.

IV. (*d*) Quod si placeat etiam ex cerva Iphigeniæ supposita, doctrinam capere, possis hinc discere auxilium Dei rebus in arctis, tam opportunum, quàm insperatum. Hinc David eum sæpiùs *Adjutorem & Protectorem in tribulatione*, seu in rebus adversis vocat. Proverbio dicitur: *Deus è machina*: quoties salus ex insperato ostenditur, & in summo discrimine, præter spem adest auxilium. Sumptum à consuetudine tragœdiarum, in quarum plerisque, deus aliquis machinis quibusdam improvisò ostendebatur è sublimi, qui res turbatas componeret. Ita Iphigeniæ, inter sacrum & saxum, inter cultrum & aram sacrificalem mediæ, repentè succurrit Diana. Fabulosum hoc quidem; at veritas ex historia sacra enotescit. Solet enim Deus verus rebus in extremis constituto, & jam depositò ac conclamato subitò manum porrigere, & opem ferre. Sic Abrahamo jam jam gladium in Isaacum suum vibranti, medium se genius è cœlo delapsus interposuit & inter cervicem feriendi, ac ferientis brachium intervenit, victimámque simul ac sacerdotem promptæ voluntatis obsequio glorioſos, insperato gaudio affecit. Jobus hoc expertus, ait, cap. 11. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*, id est, cùm tibi adesse credideris diem ultimum, & solem occasum, tunc repentè lux meridiana felicitatis affulgebit, & mediis in tenebris jubar divinæ ptovidentiæ orietur. Uti exorta est Susannæ, quam nequissimorum senum calumnia, destinatam morti hostiam, repentè consurgens Daniel, etiamnum adolescens, periculo subtraxit. *Deum è machina* diceres; etsi ex alto non apparebat, sed ex turba populi subitò coortus. Scilicet

Major agit Deus, atque opera ad majora reservat.

Ita legimus in historiis profanis, Virginem quandam Valeriam, ad averruncandam pestem, ex Oraculo immolandam Junoni fuisse, cùm devolans aquila victimarium cultrum rapuit, eundémque buculæ juxta templum pascenti infixit. Caussin. in Symb. ex Aristide lib. 9.

(*d*) *Auxilium Dei subitum.*

SYM-

SYMBOLVM LXIV.

Famæ Hypotypoſis.

Ex Ovidio 12. Metam. & Virgilio 4. Æneid.

Ethicè.

1. Rumuſculorum vanitas. 2. Famæ vis in partem utramque, ſpei & timoris.

NIhil velocius, nihil ad fallendum pernicioſius eſt *Famâ*, quæ quò latiùs diſſipatur, hoc validior evadit. Perpetuò creſcit, & in majus ſe attollit; initio parva, mox major, denique maxima, adeò, ut caput condat inter nubila. Primos eius ſuſurros, paulatim excipiunt graviora murmura, & hæc per *Rumores* ubique vagantes differuntur. Monſtrum eſt variabile, ex meris plumis, oculis, linguis, auribus conflatum. Noctu maximè volatum exercet cum ſtridore per terras; eſt enim principiô obſcura, quietis impatiens, deinde fit clarior, & ſuper tectorum culmina & altas turres conſidet, veluti in ſpecula, intenta ad omnes rumuſculorum, & rerum novarum auras captandas. Ficta ſimul ac vera, facta & infecta per urbes & provincias, cum metu gaudióque ſpargit. Domicilium in medio Mundi collocavit, unde ex edita proſpiciens arce, omnia, quæcunque inter mortales aguntur, oculis arbitratur & auribus. Innumeri ducunt ad eius domum aditus, mille feneſtræ ac foramina. Portæ diu, noctúque patent, ut *viſa* omnia & *audita* expeditò ſe inferre queant. Parietes ſunt ex ære ſtructi, nunquam non reſonantes, & audita reciprocantes, atque ex aliis in alias aures diffundentes. Nihil tam inimicum loco, quàm ſilentium, nulla quies intus: continui fremitus, ſtrepitus, murmura, qualia ab extremis fluctuum aut tonitruorum ſonoribus redduntur. Atria nunquam non plena turbis, aliisque recedentibus, adveniunt aliæ, quæ miris modis augent audita, & novis identidem coloribus variant.

Ethica.

I. (*a*) Novarum rerum & rumorum geſtores, Plautus *Famigeratores* & *rumigerulos* vocat, nos vulgò *Novellantes* appellamus, quos viri ſummates,

(*a*) *Rumuſculorum vanitas.*

ſummates, præſertim belli duces, pretiò conducunt. Sed etiam ſine pretio ſunt ubique venales huius generis fabulatores, nugigeruli & nugivendi, quos feſtivè deſcribit Megaronides apud memoratum Comicum in Trinummo Act. 1. Scena 2. ubi ait:

Nihil eſt profectò ſtultius, neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani aſſidui cives, quos ſcurras vocant
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Sciunt id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit:
Sciunt, quod Juno fabulata eſt cum Jove:
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt.
Falſon' an verò laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt: dum illud, quod lubeat, ſciant.

Nil expreſſius hac imagine hominum malè feriatorum, & unde unde rumuſculos venantium. In quâ tribu etiam feminæ non raro nomen ſuum profitentur, curioſæ, garrulæ, rerum novarum exploratrices, in quas ſalsè Satyricus.

Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe
Quid Seres, quid Thraces agant.
Inſtantem Regi, Armenio, Parthôque cometem
Prima videt: famam, rumorésque illa recentes
Excipit ad portas: quosdam facitiſſe Niphatem
In populos, magnóque illic cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, ſubſidere terras.
Quocunque in trivio, cuicunque eſt obvia narrat.
Juvenalis Sat. 6.

De Fama Virgil. loc. cit.

Fama malum, quô non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo.

Lepidum huius rei paradigma Plutarchus adfert, & ex eo P. Hieremias Drexelius. De vitiis linguæ c. 49. Romanus Senatus occultum aliquod conſilium per dies aliquot intra ſe agitaverat. Cúmque res ea multum obſcuritatis haberet, variásque excitaret ſuſpiciones, quendam Sena-

Senatorum, mulier aliàs pudica, sed tamen mulier, majorem in modum precibus urgebat, ut arcanum sibi aperiret, dejerans, se rem silentio tecturam. Ille, ut stultitiæ eam suæ argueret, res, ait, prodigiosa ad nos delata est à Sacetdotibus: cassita (seu alauda) visa est volans cum galea aurea, & hasta: de eo ostento unà cum auguribus deliberamus, & disquirimus anxiè, boníne an mali aliquid portendat; tu verò tace. Hæc locutus, in forum processit. At verò mulier ancillam, quæ primum intraverat, arripiens, pectus suum plangens, simúlque silentii fidem obstringens, rem, ut accepit, narrat. Hæc alteri eiusdem servitutis sociæ: & ista famulo curiosiùs sciscitanti exponit. Hoc modo fabula in forum devoluta, auctorem præcucurrit. Percontatur ex eo alter & alter, & tertius, & quartus, an cassitam cum hasta & aurea cassíde volantem conspexerit; eo de ostento Senatum haberi à principibus civitatis. Subridens ille, ad magistratum accedit (nam & hunc terrore affecerat rumor) eúmque trepidatione liberat. Ut autem mulierem ulciscereturr, domum reversus: Mulier perdidisti me, inquit, pruritu linguæ: compertum est enim è domo mea, in publicum elatum esse arcanum: itaque ob tuam incontinentiam solum mutare cogor. Euntíque inficias, & dicenti: Quasi verò tu non trecentesimus hæc audieris? Quomodo, inquit, trecentesimus, qui te urgente, ut periculum facerem, possesne audita reticere, isthuc confinxerim? Ecce velocitatem famæ, & eundo vires acquirentem!

Pergit Mantuanus vates:

Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingreditúrque solo, & caput inter nubila condit.

Pelignus verò. 9. Metam.

--- Fama loquax, quæ veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.

Quotidianus hic lusus est: nova semper somnia, & recentes fabulæ sparguntur. Vidi decem lupos, ait iste; istum mox sequitur, qui dicat: visos esse viginti. Brevi fama percrebrescit, esse hominem, qui viderit lupos simul triginta. Tandem unum lupum fuisse visum comperitur, aut simile quid lupo. Pari modo creberrimè è culice producitur elephantus, formidanda bellua ex alato vermiculo. Miserat Moyses, qui uberes illas Chananitidis terras, certâ oculorum fide explorarent. At illi redierunt, & omnia in majus efferentes; *Maxima*, inquiunt *multitudo est, & nobis staturâ procerior: urbes magnæ. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Num. 13. v. 34.

II. (*b*) Has hyperbolas confingit Fama perinde mendax, ut loquax.

-------- magnas territat urbes
Tam ficti, pravíque tenax, quàm nuntia veri.

Et juxta Ovidium, Comites Famæ sunt:

Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanáque Lætitia est, consternatíque timores.

Unde Claudianus nigras sequiori Famæ pennas affingit

Famáque nigrantes succincta pavoribus alas.

Candentes ei dant Poëtæ, cùm læta nuntiat.

Et Silius de ea.

Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.

Statius. 3. Thebaid. pingit Famam ante currum Martis volantem hunc in modum.

---------- At vigil omni
Fama sono, varios rerum succincta tumultus
Antevolat currum, flatúque impulsa gementum
Alipedum, trepidas denso cum murmure plumas
Excutit. Urget enim stimulis auriga cruentis
Facta infecta loqui.

Sapienter *Seneca* Epistola. 13. Illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, Fama. Et *Curt.* lib. 3. c. 13. Famâ stant bella, & sæpè etiam, quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit. Accedit *Livius*: Fama bellum conficit, & parva momenta in spem, metúmque impellunt animos. *Tacitus* quoque: Fama in novis cœptis validissima est: Nam primis eventibus metus, aut fiducia gignitur: prout enim prima cesserint, futura sunt universa. Idem de moribus German. Ipsa plerumque bella famâ profligant. Sed contra rumores firmandus est animus; *Livius*: adversùs Famam, rumorésque hominum firmus stabis. Et *Paterculus*. Nunquam consilia ducis, judiciò exercitûs, sed exercitus providentiâ Ducis regendus est. Seneca:

Malè imperatur, cùm regit vulgus Duces:
Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Et alter Seneca Philosophus: Plura sunt, quæ nos terrent, quàm quæ opprimunt; & sæpè opinione ampliùs laboramus, quàm re. Citò accedimus opinioni, & sic vertimus terga; quemadmodum aliquos pulvis motus, fuga pecorum exuit castris: aut quos aliqua fabula sine autore conterruit;

(*b*) *Fama vii in partem utramque.*

terruit; nescio, quomodo vana perturbent: vera enim modum suum habent. Verisimile est, aliquid futurum mali, non statim verum est. Quàm multa inexspectata venerunt; quàm multa exspectata, nunquam comparuerunt? Nimirum etiam leones terrentur larvis. Fama haud dissimilis est, illi ranæ. De qua in fabellis: Leo auditis ranæ clamoribus, primùm percelli animo cœpit; quòd crederet ingentem animantem tantæ vociferationis autorem esse. Dum animo confirmato, contra illum clamatorem se parat, & ad pugnam accingit, ecce videt prorepentem ranulam de propinquo lacu, quam simul indignatione, simul etiam pudore affectus protinus pede conculcatam attrivit. Quò doceretur non ad quemlibet strepitum esse expavescendum, neque re inexploratâ terreri oportere. In proverbiis *Terror & Casus Panicus* dicitur, cùm repentinæ consternationes immittuntur animis, lymphaticis simillimæ, ratione & mente carentes. De quo, Symb. 102. Veteres illorum tumultuum concitatorem Pana faciebant, ego cum Poëtis & historicis ajo illorum Concitatricem Famam esse.

SYMBOLVM LXV.

Hippolytus adolescens castimoniæ Decus.

15. Metam. & 7. Æneid.

Ethicè.

1. Laus venationis. 2. Castitatis pericula. 3. Castitas fortis. 4. Incontinentia muliebris. 5. Castitatis præmia. 6. Inconsulta credulitas. 7. Medicorum laus. 8. Medicorum vituperatio. 9. Medicorum arrogantia. 10. Medicorum honores. 11. Medicorum conditiones.

HIppolytus Thesei & *Hippolytæ* Amazonis (quidam *Antiopen* appellant) filius, procul habitis feminarum amoribus, cœlibem agebat vitam, Dianæque studiis addictus, sese venatu oblectabat, haud ignarus, pudicitiam tutiùs inter feras, quàm homines versari: Otium, capitalem eius hostem, exercitiis ingenuo juvene dignis profligari. Aberat domô (Athenis) Theseus, cùm *Phædra* noverca, dudum privigni formâ capta, absentiámque mariti, occasionem explendi turpis desiderii rata, castissimum juvenem ausa est ad flagitium sollicitare. Exhorrescit ille facinus nefandum, & mulieris impudentiam generosa severitate à se repellit, Illa nul-

lum blanditiis suis locum relictum videns, vertit amorem in ultionis cupiditatem, exitium juveni machinatur. Ad patrem jam reducem defert filium, tentatæ pudicitiæ crimine, reiq; testem ostendit gladium, quo vim renuenti parâsset. Theseus fidem habet calumniæ, extorrem agit Hippolytum, non sine detestationibus & diris imprecationibus. Tria enim fertur à Patre Neptuno exoptâsse; primò felicem expeditionem in *Scinem* & *Procusten* latrones, Atticam infestantes; deinde exitum è *Labyrintho*, quò ipsum Minos incluserat. Tertium erat votum, ut filius in pœnam attentati flagitii, discerptus equis, periret pessimè. Pondus optata habuere. Latrones sustulit; è Labyrintho evasit; filium perdidit. Nam ubi Hippolytus conscenso curru, arreptáque fugâ, fortè præter littus maris Corinthiaci ferebatur; ibi tum, concitante Neptuno, repentè assurgere fluctus, & immanis phocas, seu bellua marina, taurino capite ex pelago emergere, & horrendo rictu undas evomere cœpit. Aspectu monstri conterriti equi, Hippolytum nequicquam habenas tenentem, per avia & invia, per vepres & saxa raptant, juvenémque infelicem, loris implicitum varias in partes miserè discerpunt ac dilaniant. Quòd ubi rescivit malè sibi conscia mulier, scelus suum, falsúmque crimen apud maritum confessa, ferro se transfigit. Hippolytum revocavit ad vitam Æsculapius, præstantissimus Medicus, quippe Apolline, medentium Deo, genitus; Diana juvenem, vitæ restitutum, nemus Aricinum habitare, & mutato nomine *Virbium*, quasi *bis Virum* dici, intérque deos minores, hoc est, silvarum numina, locum habere jussit.

Ethica.

Aliquot doctrinæ ethicæ sunt ex hac narratione hauriendæ: quarum prima est hæc. I. Generosa voluptas est venatio, & præstantissimum castitatis præsidium. Nam ut otium pulvinar est Libidinis, sic exercitatio præsentissimum adversùs eam pestem remedium. Egregiè Hippolytus apud Senecam Act. 2. Scen. 2.

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritúsque meliùs vita quæ priscos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus silvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,

Non

(a) *Laus venationis.*

Non peſtilens invidia, non fragilis favor,
Non ille regno ſervit; aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes;
Spei, metúsque liber. Haud illum niger,
Edáxque livor dente degeneri petit,
Nec ſcelera populos inter atque urbes ſita
Novit.

Quid autem frequentius in urbibus, quàm Veneris flamma, quæ per domos, & abſtruſos domorum angulos paſſim graſſatur? Xenophonte teſte: Cyrus Perſarum rex, orbe toto laudatiſſimus, virtutes ſuas præſertim continentiam, debebat venationi, quâ à puero ſe exercuit. De eo memoratus hiſtoricus, cùm, inquit, *Panthea* formoſiſſima feminarum capta eſſet, atque ad eum adducenda, vetuit: ne vel oculis caſtitatem matronalem, & ſuam violaret, atque *Araſpo* ex amicis ſuadenti adire eam, & alloqui: eſſe enim mulierem inſigni formâ, & regis planè oculis dignam: ob iſtuc ipſum, inquit, magis eſt, ut abſtineam. Etenim ſi nunc illam adiero, cùm vacat; fortaſſe illa efficiet, ut adeam, etiam cùm non vacat, eíque aſſideam, neglictis rebus ſeriis. Vox digna Principe & forti, & caſto. Lipſ. in Exempl. Polit. c. 16. Venatio corporibus valetudinem, mentibus conciliat integritatem. Hippolytus poſt ſtratos apros & urſos, contra leænam, qualis erat Phœdra, fortiſſimè depugnavit. Laboribus induratus, mollitiem lenocinii aſpernatus eſt; tela contempſit Cupidinis, ipſe pharetra munitus & arcu. Sic eſt: cæſtu, curſu, ſaltu, diſco, lucta, nobili quinquertio tam animus firmatur, quàm corpus, adversùs deſidiam, & femineas illecebras. Eleganter recentior Poëta de venatûs dignitate:

Si rectè memini; magni Chironis alumnus
Et generoſus Abas.
Laudantur à venabulis.
Pergama qui fundo ſubvertit, & Hectora curru;
Fertur amâſſe nemus,
Seníſque rupem Theſſali. P. Jacob. Balde in Silvis.

Achilles ſcilicet, aliíque heroës fortiſſimi, virtutis fundamenta jecerunt venando. Nec fruſtra Diana, nemorum, montiúmque cuſtos, & venantium Præſes perpetuam coluiſſe virginitatem fingitur: nam Curſus, labor, æſtus, frigus, ſitis, fames, fatigatio, cubatio humi, ſunt rudimenta virtutis, propugnacula caſtitatis, antidotum continentiæ, horror, terrórque Veneris. Horat. l. 1. Od. 1.

-------- manet sub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor,

Nedum appetitor alienæ. Idem lib. 3. Od. 24. Romanæ juventutis mollitiem perstringens, ait:

Eradenda Cupidinis
Pravi sunt elementa: & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis, nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior.

Et verò maximum integritatis præsidium est solitudo. In turba alter alteri vitium affricat. Quid in populari fremitu, & forensi strepitu reperias, nisi contentiones, adulteria, fraudes, injurias, furta, rapinas, homicidia? ubi cupedinarii, lurcones, ganeones, gnathones, quibus placet *fornix & uncta popina*, ut ait Flaccus. *Ibi blandiloquentuli, harpagones, mendaces, latebricolarum hominum corruptores*, ut loquitur Plautus. Quid enim aliud est forum, nisi area laborum, palæstra discriminum, scena fallaciarum, labyrinthus errorum, circulatorum ludus, causidicorum circus, spelæum ferarum: ubi quies est anxia, gaudium trepidum, conatus irritus, grata phrenesis, dulce virus, inconsulta securitas; personata lætitia, larvata justitia, confusus ordo, inops copia, dives inopia, honor inglorius. Puritatis asylum est secessus, hinc Ecclesia de S. Joanne Baptista:

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

II. (*b*) Variæ castitatis insidiæ, etiam à domesticis, & ab iis, à quibus minimè timeas, cavendæ. Phœdra privignum Hyacinthum per nutricem, vaferrimam vetulam & lenam sollicitavit. Ejus blanditias refert Seneca act. 2. Scena. 2.

-------- Curas Bacchus exoneret graves;
Ætate fruere: mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus,
Exultet animus. Cur toro viduo jaces?
Tristem juventam solve: nunc luxus rape
Effunde habenas; optimos vitæ dies
Effluere

(*b*) *Castitatis insidiæ.*

Effluere prohibe, propria descripsit Deus
Officia, & ævum per suos ducit gradus.
Lætitia juvenem, frons decet tristis senem.
Quid te coërces, & necas rectam indolem?
Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcunque lætis tenera luxuriat satis.

Quid fallacius hoc lenocinio? post primos insultus successit ipsa Phœdra, juvenile & tantò validiores machinas ad expugnandum juvenile pectus adhibuit, quantò nequiùs impurum desiderium honesti amoris vocabulis texit: Quin etiam verbis oscula & amplexus adjunxit? Ille quid?

O scelere vincens omne femineum genus,
Procul impudicos à casto amore
Tactus. quid hoc? etiam in amplexus ruis?
Stringatur ensis; merita supplicia exigat.

III. (c) O nobilem & fortem animum, atque à fabulis vindicandum! Mereris, mereris Hippolyte, ut inter illustres Josephi, Nicetæ, aliorúmque castitatis propugnatorum triumphos æternitati consecreris. Strenuum in hac eadem palæstrâ sese præbuit Athletam adolescens ille Hetruscus, de quo Valerius lib. 4. c. 6. Excellentis in ea regione (Hetruria) pulchritudinis adolescens, nomine *Spurina*; cùm mira specie complurium feminarum illustrium solicitaret oculos, ideóque viris, ac parentibus earum se suspectum esse sentiret; oris decorem vulneribus confudit, deformitatémque sanctitatis suæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. Majus etiam pro tuenda Castitate facinus patravit Democles puer, in quo dubium, major pudicitia, an forma corporis elegantior fuerit. Is cùm videret se ad flagitium invitari à *Demetrio Poliorcete* (Antigoni Macedoniæ regis filio) nec aliter vim tyranni importunam posset effugere; in proximum ferventis aquæ lebetem se conjecit, ibíque ad mortem durare maluit, quàm quid inhonestum perpeti. Plutarch. Hæc Gentilium exempla, quem christianorum juvenem in ruborem non dent, & in amorem continentiæ non adducant? Addamus his recentiorem ex hoc certamine palmam, ex India petitam. Indus erat *Angelopoli* (quæ est urbs in Mexico) Neophytus, florentis formæ, quem suus pudor, modestiáque amabiliorem fecerant. In hunc procax mulier adjectis cupidinis oculis, dedit opetam quæsitis prætextibus, ut nihil malè suspicantem in ædes acciret. Hic dum eum, occlusô priùs diligenter ostiô, flagrans amentiâ meretrix,

(c) *Castitas fortis.*

trix, ad suæ libidinis assensum trahit: ille datæ Christo fidei memor, magnopere renuere; contra lupa illecebras intendere, prensaréque reluctantem. Denique conatu summo, manibus se impuris castus juvenis avellit, & in conclave proximum fugit, vesanâ feminâ, quòd elabi non posset prædam sciret, modicum excurrere sinente. Tentatis puer eô intervallô foribus, eas diligentissimè obseratas sentiens, eò desperationis subitò raptus est, ut laqueo ex obvio fune, collo insertô, sese de tigillo suspenderit. Favit ignoscens Deus castæ mentis proposito, inconcessam per opinionis errorem declinandi flagitii viam ineunti. Ruptus brevi laqueus, pendentis corpus cum sonitu in subjectum effudit solum. Accurrit excita strepitu nequam mulier, & ad spectaculum inopinatissimum tota cohorrescens, dilectum ex stupore casûs mortuo similem verè obiisse rata, nexo & ipsa raptim nodo, ex eodem tigno constrictis faucibus, sese dejicit. Non multò pòst reversus è deliquio juvenis oculos aperit, & pendentem videns feminam, admonente humanitatis officio, utcunque de se meritæ, succurrere conatur. Funem frangit, excitare sopitos, si fortè, sensus succussione tentat, aquam inspergit. Frustra omnia. Infelix anima evolaverat, nulla jam arte revocabilis. Ita mors à duobus advocata, sapienti discrimine, innocenti pepercit, sontem extinxit. P. Petrus Possinus Parte V. Histor. Soc. lib. 10. n. 239. anno Ch. 1590.

IV. Nihil violentius feminâ, quando vel amat, vel odit. verè Seneca in Medea in choro act. 3.

Cæcus est ignis stimulatus ira:
Nec regi curat, patitúrve frœnos:
Haud timet mortem; cupit ire in ipsos
obvius enses.

Causa indomitæ flammæ, formosa Hippolyti facies. Seneca in Hippolyto act. 2. Chor.

Raris forma viris (sæcula prospice)
Impunita fuit.

(*d*) Pulchritudo corporis blandum malum, & amabile periculum; plurimos pellexit & perdidit. Secundùm Pindarum est Præco Veneris. Juxta Xenophontem: pulchritudo est ignis, qui tangentes urit, distantes inflammat. S. Basilius vocat aculeum voluptatis. S. Grego. Nazianz. dulcem illecebram, charum venenum. Josephum illum Hebræum cur deperiit Ægyptia domina? *quia erat pulchrâ facie, & decorus*

(*d*) *Incontinentia muliebris.*

eorum aspectu. Genes. 49. adeo venustas oris etiam innocens vulnerat. Experientiæ non opus est exemplis. Crispum Constantini M. filium quid perdidit? Noverca: cur? quia mulieri lascivæ placuit juvenis: hinc ob repulsam criminationes, & innocentis cædes. Non impunè tamen. Calumniatrix sceleris comperta, ardenti balneo interempta est. Baron. ad annum Ch. 324. Idem ex Sigonio ad annum 996. refert: Mariam augustam, Othonis III. Imperatoris conjugem, cùm Mutinensem Comitem nequicquam in amorem suum pellicere tentâsset, eum ad maritum de stupro insimulâsse. Credulus Imp. insontem plecti jussit. Comitis uxor innocentiam viri candenti laminâ innoxiè manibus tractatâ demonstravit. Augusta Calumniæ convicta, rogo est addicta. *Phædra* de se ipsa pœnas sumpsit, nam crimen falsò impactum, plerúmque in caput autoris recidit. Triumphat tamen aliquando ad tempus victrix improbitas. Documentum ejus rei *Baldvinus* Latinorum in Oriente Imperator fuit, quem *Ioannizia*, Græcorum Imperator, victum vinctúmque cùm in custodia attineret, & is nefandis Imperatricis sollicitationibus assentiri, pro Christiana constantia nollet, accusatus, condemnatus, manibus & pedibus amputatis, in subjectam urbis Bizantinæ vallem præcipitatus, feris & avibus pabulum est objectus. Non tetigêre castissimum corpus bestiæ. Triduô post efflavit animam constantissimus heros in fide, Christo, & virtuti data. Calvaria auro inclusa, pro Scypho serviit crudelitati. Petrus Douterman in Constantinop. Belgica lib. 4. c. 15.

V. (*e*) Jam præmia Castitatis attendamus. Hippolytus ad vitam revocatus, quid significat aliud, quàm virtutem emori non posse, nec extingui: vivit etiam post fata in hominum memoria, & laudibus celebratur. Quòd verò juvenis castissimus *minores* inter *Deos* sit collocatus, indicat, ut nullum est difficilius certamen, quàm quod pro castitate geritur, ita proximè ad cœlestium naturam accedere, qui mortali in corpore mentem servant incorruptam, & pudoris integram. S. Augustini dictum est serm. 250. de Temp. Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia Castitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Vicit Hippolytus, & divûm meruit honores. Et verò quid glorioſius, quàm quòd nomen *Virbij*, seu *bis Viri* tulerit. Satis erat, si adolescentem, *virum* vocaremus. Sed major erat viro, & duplo major, qui in pugna tam ardua, mediis in Gentilium tenebris, Veneris incestæ cultorum, ausus est esse bonus, castus, integer. Equidem

(*e*) *Castitatis præmia.*

ut Libido emollit & emaſculat corpora ſimul & animos; ſic caſtimonia ac continentia corroborat, firmat, vegetat. Hujus rei memorabile exemplum refert Guilielmus Tyrius de bello ſacro. Godefredus Bullionius, Dux Lotharingiæ, & militarium copiarum in Palæſtinam Ductor, anno Chriſti 1099. in obſidione Jeroſolymitana horribili Saracenorum ſtrage edita, primus in muros inſiliit, regnique Solymæi coronâ donatus, barbaris ſacroſanctum JESU mauſolæum eripuit. Is tanto erat robore præditus, ut virum cum equo medium divideret acinace; mirantibus & aciem ferri explorantibus, reſpondit: vim ineſſe dextræ, non gladio, quippe *quæ nunquam molli, vel turpi aliquo contactu elanguerit, aut effœminata ſit.* Hos Virbios efficit Caſtitas. Ad rem Seneca lib. 3. Natural. quæſt. *Quid eſt præcipuum in rebus humanis? animus luxuriæ non adverſus tantum, ſed infeſtus.*

VI. *(f)* Inconſulta Theſei credulitas meritò terreat Principes, quorum aures circumſonant aſſentatores, obtrectatores, delatores, calumniatores. Præter Theſeum exempla habemus in Putiphare, Pharaonis regis Ægyptii, militari Duce. In Conſtantino M. In Othone Cæſare, aliiſque viris ſummis, quos circumvenit lingua calumniatrix, & in ſeram pœnitudinem conjecit. De mala parentum *imprecatione*, quâ Theſeus devovit filium alibi dicimus. *Neptunus* quoque, quamquam DEUS, vitiô non caruit, fidem in re mala ſervavit. Meminit ejus Cicero 1. Offic. his verbis: Poteſt etiam accidere promiſſum aliquod, & conventum, ut id efficì, ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit, vel ei, qui promiſerit. Nam ſi, ut in fabulis eſt, Neptunus quod Theſeo promiſerat, non feciſſet, Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quô impetratô, in maximos luctus incidit. Hæc ille. Et Iſidorus: In turpi voto reſcinde fidem, muta decretum: impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.

VII. *(g)* Ex *Æſculapio* quoque doctrinam pro Medicis hauriamus. Traditur is *Apollinis Coronidisque* Nymphæ filius fuiſſe. Quia naturâ, ingenióque præclarus, medicinæ operâ plurima valetudini hominum utilia invenit. Adeò verò peritiâ artis excelluit, ut quam plurimos deſperatis morbis liberârit, indéque fama vulgârit, eum mortuos ad vitam reduxiſſe. Ob eam rem ferunt, ipſum apud Jovem à *Dite* accuſatum, tanquam ipſius imperium diminuentem, quòd in dies pauciores interirent curante Æſculapio. Eáque causâ exacerbatum Jovem, fulmine

(f) Inconſulta credulitas. (g) Medicorum laus.

fulmine Æsculapium occidisse. Hippolytus apud Ovidium de sua vita recepta.

------ quam postquam fortibus herbis
Atque ope Pæonia, Dite indignante, recepi.

Et Maro. 7. Æneid.

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis, ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis,
Fulmine Phæbigenam stygias detrusit ad undas.

Ridet Lactantius deos à Diis fulminari. Ad mores traducta hæc Medici fulminatio, significat invidiam *tribûs funeratiæ*, cui non est bene, nisi malè sit plurimis. Dolent, & diras omnes in Medicos devovent libitinarii, pollinctores, Sandapilarii, Vespillones, qui potentibus efficiunt herbis, rarior ut cespes injiciatur tumulandis.

VIII. (*h*) Fulmina tamen in Æsculapios vibrantur multò crebriora, quòd longè plures demittant ad inferos, quàm reducant ad superos, id est, ad vitam, & bonam valetudinem, qualis erat Diaulus ille, de quo Martial. l. 1.

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus
Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.

Idémque lib. 6.

Lotus nobiscum est hilaris, cœnavit & idem,
Inventus manè est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
In Somnis Medicum viderat Hermocratem.

Ex Pindaro narrat Tertulllianus in Apologet. Æsculapium avaritiæ meritô, quâ medicinam exercebat, fulmine vindicatum. Hinc recentior quidam Epigrammatarius in Medicos vel imperitos, vel avaros salsè ludit. Apponemus quædam:

Jurisconsultorum est idem status, & Medicorum,
Damna quibus licito sunt aliena lucro.
Hi morbis ægrorum, agrorum litibus illi
Dant patienter opem, dum potiantur opes.

Aliud.

Furtum non facies, Juristæ scribitur hæc lex:
Hæc, *non occides*, pertinet ad Medicos.

(*h*) *Medicorum vituperatio.*

Aliud.

Qui tuus est, *Patiens*, ô térque quatérque beatum,
Ægrotare illum non patiere diu.

Aliud.

Pharmaca das ægroto, æger tibi porrigit aurum,
Tu morbum curas illius, ille tuum.

Aliud.

Pollicitus nonnulla, nihil mihi Pontice præstas?
Ut Medicus, quamvis nil det, ait, *Recipe.*

Possent hæc ignoſci Poëtis, quibus mentiri licet & fingere, niſi Plinius graviſſimus autor lib. 29. c. 1. nat. hiſt. acriùs in Medicorum imperitiam inveheretur. In hac, inquit, artium ſola evenit, ut cuicunque medicum ſe profeſſo, ſtatim credatur, cùm ſit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur: adeò blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt periculis noſtris & experimenta per mortes agunt: medicóque tantùm, hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt. Hæc ille. Hadrianus Imp. moriens dixit illud Menandis vulgatum: *Turba Medicorum Cæſarem perdidit.* Nicocles medicos felices vocabat, *quoniam eorum ſucceſſus ſol intuetur, errores autem tellus operit.*

IX. (*i*) Sed ad Æſculapium. Sunt, qui exiſtiment, ideò extinctum fulmine, quòd propter felicitatem medendi ſupra hominem ſe extulerit, & tanquam Deo thus ſibi adoleri voluerit ab iis, quibus ſanitatem reddidiſſet. Credibile facit hoc commentum arrogantia *Menecratis*, Syracuſani medici, cui cùm deſperatæ aliquot curationes feliciter ceſſiſſent, morbo comprimis ſacro medebatur hac lege, ut liberati, ſe ipſius ſervos faterentur, ipsúmque Jovem appellarent. Ferúntque in id tumoris fuiſſe evectum, ut quandoque ad Ageſilaum Spartæ regem hoc ſcriberet. *Menecrates Iupiter Ageſilao ſalutem.* Rex offenſus eo procœmio, præterea nihil dignatus eſt legere, ſed reſcripſit in hunc modum. Rex Ageſilaus Menecrati ὑγιαίνειν, id eſt, *bene valere, ſeu ſanam mentem.* Plutarch. in appohtheg. & Cælius c. 38. lib. 6.

X. (*k*) Denique Æſculapius inter deos relatus eſt, non Epidauri tantùm, ſed etiam Romæ, & alibi pro Numine cultus. Neque minùs eius magiſtro *Chironi*, & filiis *Machaoni* ac *Podalirio*, exſtructis delubris ac ſtatuis, divini ſunt honores habiti. De Podalirio refert Cælius lib. 14. c. 13.

Syrnam

(*i*) *Medicorum arrogantia* (*k*) *Medicorum honores.*

Syrnam Cariæ civitatem ab ipso conditam, & denominatam à *Syrna* Damethi regis filia, quam tecto delapsam, misso ex utroque brachio sanguine, persanârit.

Quod Rex admiratus, generum sibi optavit, Chersonesô illi traditâ: adeò casus, in sublimem fortunam extulit medicum; de quo, eiúsque similibus dici possit illud 5. Æneid.

Attulit ipse viris optatum casus honorem.

Hippocrati, teste *Plutarcho*, corona aurea centum librarum è tota Græcia oblata est. Antonius Musa, quod Augusto Cæsari afflictum genu curâsset, à Romanis statua ex alabastro donatus est. *Sueton.* in August. Recentioribus sæculis Petrus Apponensis, medicus Patavinus, ad Pontificem Honorium accersitus, singulis diebus quadringentos coronatos, salarii loco accepit. *Philipp. Camerar.* Horar. subseciu. cent. 1. c. 4. Ludovicus XI. Rex Galliæ, apud Cominæum historicum, medico suo menstruum stipendium decem aureorum millia dare solebat, sic ut intra quintum mensem illa ab eo quinquaginta quatuor aureorum seu coronatorum millia reportaret. Nunquid

Dat Galenus opes? & dat Galenus honores?

Quòd Siracides confirmat cap. 38. *Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur.* Et meritô quidem suo. Nam ut Marsilius Ficinus ait: ars medica & divinitus accepta est, & divinitus exercetur.

XI. (1) Apud Pausan. in Corinth. Æsculapii simulacrum sedet in solio, scipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pedes decumbente. *Solium* & *virga* typus est imperii, quod medicus gerit in ægros: *Draconis* caput prudentiam significat, & venenum, cui dominatur, imò quod in medicinam vertit. *Canis* fidelitatem denotat ægrotis adhibendam. Æsculapio *corvus* sacer, futurorum præsagum indicat; eidem *gallus* immolari solitus, vigilantiam ostendit. Quibus virtutibus si præditus fuerit, qui artem hanc profitetur, næ nos ipsum cum Æsculapio inter ordines deorum collocabimus. Æsculapii filiæ erant. *Panacea* & *Hygeia*, id est: morborum omnium *remedium & sanitas.* Felix Medicus, qui cum his conjungit nuptias; infelix, qui vel generat, vel sibi copulat, *Cacopharmacon* & Libitinam, quæ, juxta Poëtas, non rarò epithalamium in epicedium vertunt.

(1) *Medicorum conditiones.*

SYMBOLVM LXVI.

Vlysses, imago viri Politici.

Homerus lib. λ Odyss.

Ethicè.

1. Ulyssis astutia. Præsagia seu prognostica ex pueris. 2. Avaritia elusa. 3. Mendacium simile vento. 4. Epicuréa voluptas.

Vlysses, de quo tam multa, támque mirabilia scribuntur à Poëtis, & ab omnium Poëtarum Principe Homero, solus implere possit fabularum volumen (quod Pater ille Poëtarum fecit) si vacaret omnia eius gesta fusiùs enumerare, & animadversionibus Ethicis illustrare. Itaque cum Mythologo primò eius facta compendiò dabimus; tum per sectiones & membra, ea, quæ digniora videbuntur observatu, pro morum institutione, pensiculatiùs proponemus.

Fuit heros hic Rex *Ithacæ* & Dulichii, insularum in mari Jonio, filius *Laërtæ* & *Anticleæ*. Fingitur ab Homero vir multa præditus facundia, nec minore experientia, vafer consilio, egregius bello, laborum patientissimus. Uxorem habuit *Penelopem*, Icari Lacedæmone oriundi, filiam, feminam castissimam, ex qua *Telemachum* filium suscepit, eámque tantopere adamavit, ut reliquis Græcorum principibus ad bellum Trojanum proficiscentibus, ipse insaniam simulârit. Junctis enim duobus diversi generis animalibus, littus aratro proscindere cœpit, salémque pro seminibus spargere. *Palamedem* tamen, Regem Eubœæ Insulæ, virum prudentissimum latere non potuit, qui ut technam illius detegeret, aranti Telemachum filium é cunis sublatum objecit: quod Ulysses conspicatus, ne filium læderet, aratrum sublevavit, ac retinuit animalia. Deprehensâ igitur insaniæ simulatione coactus est cum cæteris Principibus ad bellum Trojanum proficisci, in quo strenuam, utilissimámque Græcis operam navavit. Primum enim fuit autor, ut *Achilles* inter *Lycomedis*, Scyri Regis, filias puellari habitu indutus, dignosceretur, atque ad bellum perduceretur. Deinde fatales *Herculis* sagittas, à *Philoctete* impetratas, ad Trojam pertulit. *Cineres* Laomedontis, qui super *Scæa*, Ilii porta servabantur, clàm sustulit, *Palladiúmque* una cum Diomede ex arce Trojana, cæsis custodibus, rapuit. Explorator eum eodem missus, *Rhesum* Thraciæ Regem occidit, & eius equos abduxit,

abduxit, priusquam *Xanthi* fluvii, Phrygiam perlabentis, aquam degustâssent. Erant autem hæc omnia in Trojanorum fatis, sine quibus Urbs illa, expugnari non potuit. Cum Palamede gravissimas inimicitias exercuit, eúmque per calumniam circumventum, lapidibus obruendum curavit. Occiso Achille, in armorum illius judicio, Ajaci prælatus est. Eius calliditate *Polyxena* Priami Regis Trojanorum filia, ad Achillis tumulum jugulata, atque *Astyanax* Hectoris filius ex turri præcipitatus est, tanquam piaculares victimæ. Post hæc cùm navim conscendisset, in patriam rediturus, primùm in *Ciconum*, qui fuerunt asperrimi Asiæ populi, littus appulsus est. Inde rursus solvens, simili tempestate ejectus in Africam, ad *Dorophagorum* gentem pervenit, ubi cùm Socii lotum gustâssent (est arbusculæ seu fruticis genus, dulces baccas ferentis) ægrè potuerunt inde revelli. Inde porrò vela faciens, in Siciliam delatus est, ubi *Polyphemi* antrum cum duodecim sociis intravit: è quibus cùm cyclops sex devorâsset, Ulysses vinò præbitò, eum inebriavit, & impoti mentis, oculum, quem in fronte habebat unicum, præusto stipite effodit, pellibúsque arietum involutus, cum superstitibus antrum evasit. Hinc in Æoliam navigans, ab Æolo ventos in utrem coactos, obtinuit. Verùm cùm jam Ithacæ proximus esset, socii thesaurum esse credentes, utrem solverunt: quò factò, reflantibus ventis, denuo in Æoliam repulsus est: sed ab Æolo abactus devenit ad *Læstrygonas* Italiæ & Siciliæ finitimos populos, quos ob immanitatem fugiens (humanis carnibus vescebantur) ad *Circen* pervenit; quæ cùm exploratores eius, in belluas mutâsset, ipse sumpto à Mercurio pharmacò, accessit impavidus, & stricto gladio eam coëgit, socios pristinæ formæ restituere. Quò factò, eius postea consuetudine usus per annum, suscepit ex illa *Telegonum* filium. Ægrè deinde ab ea dimissus, ad Oceanum pervenit; ibi peractis sacris ad inferos descendit: apud hos de *Anticlea* matre defuncta, déque *Elpenore*, uno ex sociis, multísque de rebus certior factus à *Thiresia* vate, revertitur ad Circen; & Elpenorem, qui nuper inebriatus de scalis deciderat, honorifica prosequitur sepultura. Post ista, delatus est ad insulam *Sirenum*, quarum cantus ne audirent, sociorum aures cerâ obturavit: se autem ad malum alligari jussit, eáque ratione earum insidias evasit. Inde *Scyllam transiens & Charybdin*, non sine maximo periculo, venit in Siciliam, ad ea loca, ubi *Phaëtusa*, Solis filia, cum duabus sororibus greges patris pascebat, à quibus vim omnem abstineri præcepit. Sed ipso dormiente, socii fame coacti, suadente etiam *Eurylocho* (qui solus Circes pocula non gustavit) plura ex gregibus animalia mactaverunt;

verunt; quod scelus postea naufragio luerunt: adeo ut ex omnibus solus servatus sit Ulysses, qui arreptô navis malô, novem diebus à vento & undis huc illuc agitatus, tandem ad Ogygiam insulam appulsus, à *Calypso* Nympha humaniùs quàm castiùs susceptus est. Difficulter ab ea dimissus (nam Jovis imperium per internuntium Mercurium interceſſit) confecta rate, rursus se mari committit. Verùm cùm jam *Phæacia* (seu Coreyra insula, otio & luxui dedita) in oculis esset, subitò immissâ à Neptuno tempestate navim fregit, actúmque de ipso fuisset, nisi ejus miserta *Leucothoë*, dea marina, tabulam ipsi suppeditâsset; cui innitens, incolumis in Phœacensium portum adnavit, ibidémque, quòd nudus esset; inter frondes sese occultavit. Verùm non multò pòst à *Nasicaa* Alcioni, Phœacensium regis filia repertus, vestes accepit. Deinde Palladis operâ ad *Aretem*, ejusdem Alcioni conjugem deductus, navíque donatus & novis sociis, ab iisdem in Ithacam reductus est, ubi eum dormientem cum muneribus depositerunt. Tandem excitatus à *Pallade*, ipsius monitu habitum mendici accepit; hoc modo ad suos subulcos pervenit, apud quos Telemachum quoque vidit, quem insidiatores pudicitiæ maternæ, è domo ejecerant. Demum ab *Eumæo* porcario incognitus domum ducitur: ubi post multas injurias ipsi à procis illatas, tandem ab *Euryclea* nutrice agnitus, arma ex compositio cum filio & duobus subulcis, quibus se indicârat, adversùs procos uxoris sumens, eos ad unum omnes trucidavit, atque sic *Penelopen* recepit, inexpugnabilis castitatis mulierem, ac pudicitiæ exemplar; quæ absente toros viginti annos marito, nullis aut parentum precibus, aut procantium pollicitationibus adduci potuit, ut fidem, quam viro discedenti dederat, secundis nuptiis violaret. Vrgentes ea conditione delusit, ut tum se promitteret nupturam, ubi telam, quam habebat in manibus, absolvisset. Quâ conditione ab illis accepta, mulier astuta, quod interdiu texuerat, id noctu retexere cœpit. Atque hinc proverbium: *Penelopes telam retexere*, id est inanem sumere operam. Cæterùm cùm ex Oraculo didicisset Vlysses, se à filio interemptum iri, in locis abditis vivere decrevit. Telegonus autem filius ex Circe susceptus, desiderio patris videndi, in Ithacam profectus est: ubi cùm incognitus ædibus paternis excluderetur, orta contentione, cum ministris aditu prohibentibus, cùm Vlysses jam senior ad opem suis ferendam à Telegono osse piscis, qui à Græcis Xiphias dicitur, transfixus est.

Ethica.

Ethica.

I. (*a*) Quemadmodum Vlyſſis aſtutia latentem Achillem protraxit, ita ſimulatam Vlyſſis inſaniam calliditas Palamedis, fortitudine & ſapientia præſtantis belli ducis priùs detexit. Atque hoc erat, juxta proverbium: *Cum vulpe vulpinari & cum Cretenſi cretizare.* Monet Horatius

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

Et Terent. in And.

Fallacia alia aliam trahit.

Deprehenſa eſt verſutia Vlyſſis objecto filiolo; ſed ille ſua captus arte, Achillem quoque cepit. Cùm enim ex Oraculo didiciſſet Thetis, Achillis mater, periturum in expeditione Troiana filium; aliunde verò Calchas vates pronuntiâſſet, ſine Achille Troiam expugnari non poſſe, Vlyſſis aſtu, coactus eſt arma capeſſere. Dum enim matris juſſu latet Achilles, virgineo tectus habitu in gynæceo regio apud Sciron inſulam (unam è Cycladibus) inter filias Lycomedis regis; id ſubodoratus Vlyſſes, eò contendit cum mercibus mercator perſonatus, quas in illo gynæceo venales exponit, Achillis à Virginibus diſcernendi causâ. (*b*) Hîc puellæ regiæ, pro inſita ſexûs indole, dum in armillas, ſpecula, monilia, cæteráque id genus mundi muliebris ornamenta, curioſas manus injiciunt, cupidiſque inſpiciunt oculis; Achilles contrà clypeos attrectare, caſſides aptare capiti, vibrare enſes, & lateri accomodare. Quô indicio marem ſe oſtendens, ad bellum proficiſci compellitur, armis priùs inſtructus à Vulcano, Thetidis rogatu, impenetrabilibus. Nempe primis ab annis prodit ſe indoles. Prov. 6. *Ex ſtudiis ſuis cognoſcitur puer.* Et juxta adagium: arbor è ſurculo, ſeges ex herba. Alexander etiamnum puer, Bucephalum, equum ferociſſimum, de quo frenando alii deſperabant, mira dexteritate ſolus edomuit. Laudat S. Greg. Nazianz in epiſt. ad Eudoxium conſuetudinem Athenienſium. Proponebantur, inquit, publicè, cujusvis artificii inſtrumenta, atque ad illa ducebantur adoleſcentes: quocunque tum quiſque delectabatur, & ad quod accurrebat, illius edocebatur artificium, propterea, quòd, quæ ad naturæ ductum fiunt, plerúmque benè ſuccedant: quæ præter naturam præſumuntur, fruſtra tentantur. Vis noſſe ingenium pueri? attende ad ejus ſtudia. Tractat aleas & luſorias chartas? aleatorem time. Pocula & patinas? gulonem videbis.

(*a*) *Vlyſſis aſtutia.* (*b*) *Præſagia puertiæ.*

Nummos amat: Lucrionem exspecta. Specula & calamistra? Superbulum & comptulum Veneris alumnum nutris. Achilles qualis futurus esset, selectu armorum ostendit. Judicium in hac re Salomonicum refert Salianus ex Cedreno ad annum Mundi 3047. Sapientissimum hunc Israëlis regem, omnium scientiam parabolarum & ænigmatum percallentem regina Sabæ accesserat, ejúsque magnificentiâ ac responsis attonita steterat, cùm placuit insolens aliquod ejus sapientiæ specimen capere. Sex pueros & puellas formâ præstantes consimili prorsus habitu, & ornatu instructos, coram eo constituit, petiítque num ex physiognomia, è vultûs lineamentis, aut variis morum indiciis, dignoscere inter sexum valeret? Rex omnes intuitus, quempiam ex aulicis vas aquæ adferre jubet, ac singulis faciem ut frigida abluant, imperat; quo astu discrimen sexûs illicò deprehendit: mares quippe intrepidè ac strenuè vultum confricabant: puellæ timidè ac tenuiter se aspergebant, adeò teneris in annis se ostentat animus masculus, qualem Achilles habuit. Tiberius prospecto Caligulæ pueri ingenio, fero ac malefico, subinde dicebat, se *natricem* (est genus serpentis) reipublicæ; Phaëthontem Orbi terrarum educare. Quô facit adagium: *lignum tortum, haud unquam rectum.*

II. (*c*) Vlyssis socii solutis ex avaritia utribus, ventos amittunt: aurum non inveniunt. Homerus lib. λ. Odyss. Rectè verò! Sic deluditur avaritia. Poterant feliciter navigare Vlyssis comites, si potuissent retinere ventos, quos in pellibus bubulis inclusos, secum deportabant; sed partim habendi cupiditas utres solvit, ventósque simul ac fortunam perdidit. Hoc habet auri fames. Psalte affirmante regio: *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* psal. 5. Nihil omnino, nihil, nisi merum vacuum & inane. Huc facit illa femina, de quâ Æsopus, cui cùm gallina aureum quotidie ovum pareret, illa rata totam eam intus esse auream, alitem occidit, aurum nullum invenit, & simul quæstum, quem ex pretioso partu habebat, perdidit. Ita Joannes quidam, cognomento Conaza, vir locuples, natione Britannus, avaras & ingratas filias elusit, quas ubi honestissimè elocarat, & vivas, opum suarum hæredes fecerat; illæ paulatim senis jam emuncti pertœsæ, pietatis ac pactorum immemores, duriùs eum tractare cœperunt. Illas ut ulciscereturr, nummos aliquam-multos aureos sumpsit mutuos, eósque manibus versare cœpit, ac rationes computare, secúmque mussitare, suarum se filiarum illi, quæ optimè de se merita fuerit, digniora præmia

(*c*) *Avaritia elusa.*

mia relaturum. Exceperunt tam generi, quàm uxores, attentis auribus nummorum ſtrepitum, ſeníſque promiſſa. Unde ſpe lactati mutua æmulatione certare, & omni officiorum genere copioſum parentem proſequi. Eò mortuò, primum omnium fuit, ut ad ciſtam accurrerent, unde nummos depromptos putabant, & in prædam melioris hæreditatis involarent. Dum aperiunt, dum avidos oculos, & manus adjiciunt, ecce tibi, reperiunt arcam lapidibus & arena plenam, una cum nodoſo ſtipite, cui inſcriptum: *Quod pietas non potuit, avaritia extorſit.* Sic aſtus avaritiam plexit, & quod Vlyſſis ſociis contigit, vacuo hiatu vultures deluſit. Joan. Paulus in Joco-ſeriis & Joan. Major in ſpec. Exempl. V. avaritia.

III. (*d*) Sed non fauces modò pecuniæ aviditate diſtentæ paſcunt, & paſcuntur à ventis; utres iſti ventoſi etiam ad mendaciloquos pertinent, qui quot verba emittunt, tot fumos & ventos exhalant & exſpirant. De quibus Salomon Proverb. c. 10. *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos.* Rectè mendacium comparatur vento. 1. Quia ſicut ventus eſt fluidus, levis & evanidus; ſic mendacium inſtar fumi & venti diſſipatur & evaneſcit. Quæ *decipiunt*, inquit Seneca, epiſtol. 8. nihil habent ſolidi: tenue eſt mendacium, ſi diligenter inſpexeris. 2. Ventus non hæret, ſed celerrimè pertranſit; ſic mendacium. Eleganter Plutarch. lib. 2. de vita ſolitar. Simulata, inquit, illicò, pateſcunt; fucus ſudore diluitur, & argutum etiam mendacium vero cedit, corámque preſſiùs intuente, diaphanum eſt. 3. Ex uno vento generantur plures: iique inter ſe contrarii, & confligentes; ex uno mendacio prodit alterum, tertium, quartum, inter ſe colluctantia. 4. Ventus licet tenuis & inanis, utres tamen & folles diſtendit. Idem in mendacibus cernitur: tumeſcunt, donec rumpantur. 5. Ventus in cantum inflat fiſtulas: mendaces ſunt velut æs ſonans, & cymbalum tinniens. 6. Ventus, quamvis ſubtilis, arbores tamen, domos & turres ſternit ac evertit. Mendacium ſæpè inter reges ac populos bella internecina concitat, ac urbes, regna & imperia vaſtat. 7. Æolus ventos Vlyſſi dono dedit. Finni & Lapones ſeptentrionales populi, ſi fides Olao lib. 3. c. 16. mercatoribus ventos venales exhibent, tres nodos magica arte ſacratos à loro pendentes eis offerentes: quorum primò ſolutò vehementes, ſecundò vehementiores, tertiò vehementiſſimos eſſent habituri. Mendaces, ut proverbio dicitur, linum lino, nodum nodo nectunt, ut nimis credulum induant laqueo. Initiò paulò modeſtiùs ora-

(*d*) *Mendacium comparatur vento.*

tionis vanitatem adhibent, & sermonem quasi aspergunt mendaciunculis: ubi fidem nanciscuntur, impudentiùs erumpunt, & aures ac auras decumano turbine perflant. Et sæpè non sine pretio. Nam juxta Tacitum: *quis gratuitò mendax est?* Nisi fortè pueri, quibus volupe est mendacia dicere, & fumos ac ventos etiam non licitantibus, non tam vendere, quàm plenis buccis, velut Æolus, ex utribus afflare. Non æquè proclive est imbri de tegula cadere, quàm huic ætati fingere, mentiri, fallere. In hoc planè, Erico Suecorum regi similes, de quo Olaus M. lib. 3. c. 3. memorat, eum in arte magica nulli suo tempore secundum, quocunque verteret pileum suum, inde ventos ad votum aspirantes habuisse.

IV. Vlyssis socii gustata loto, obliviscuntur patriæ. Homer. lib. 9. Odyss. (*e*) *Lotum gustâsti*, de iis dicebatur, qui diutiùs peregrinis in regionibus hærerent, veluti obliti reditûs. Neque inconcinnè dixeris in eos, qui simul atque semel voluptatem inhonestam degustârint, ad pristina studia revocari non queunt. Vlyssis comites degustata apud Lotophagos Africæ populos, lotô, redire ad navim noluere, nisi verberibus adacti. Plinius lib. 13. c. 17. scribit, loton esse arborem, pyro similem, folio quercino, fructus ejus instar fabæ, colore croci, singulari dulcedine ac sapore, ita ut ea, quæ in Africa nascitur, advenas inescare feratur. *Epicurei* fuerunt hi Vlyssis socii, qui summam voluptatem in corporis voluptatibus constituêre.

Et quibus in solo vivendi causa palato est. *Iuven.* Sat. 11. Hos Aristophanes *cadavera* collo tenus appellat. Huiusmodi vivum cadaver erat Caligula, qui se pro Jove Latiali adorandum exhibuit, templum suo Numini condidit, sacerdotes & excogitatissimas hostias instituit, quales erant phœnicopteri, pavones, tetraones, gallinæ numidicæ, phasianæ, &c. Quàm multis templum est culina, sacerdotes coqui, hostiæ cupediæ varii generis! Gulosorum imaginem expressit Alciatus Embl. 90. per virum, cui

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extat,

Ut canit Persius Sat. 1. collum ei gruis tribuit, dextrâ larum seu gaviam, avem voraciſsimam, sinistrâ onocrotalum, pariter ingluvie infamem, tenenti: alludens ad Philoxenum qui collum gruis, & ad Melanthium Poëtam tragicum, qui olorinum tibi optavit. Quid mirum, quòd huiusmodi Lotophagorum mens depressa humi, totáque cum corpore projecta in pabulum, nulla virtutis, nulla cœli, patriæ beatæ cupiditate tangatur,

(*e*) *Epicurea voluptas.*

tangatur, donec morbis & ærumnis, veluti verberibus adacta & vexata, ad se, & ad memoriam honesti redeat. Pacuvius Syriæ præfectus hoc in more habuit, ut quotidie à cœnâ, vino somnóque sepultus se in lectum inferri à famulis juberet, atque à flentibus acclamari: *Vixit! Vixit!* En cadaver collo tenus. Caussin Symbol. lib. 4. c. 54. Verè Plautus, & ex eo Plutarchus, *Voluptas esca malorum est.* Ut hamo pisces, sic voluptate inescantur & capiuntur homines, & ad omne vitiorum genus pertrahuntur. Socrates apud Platonem in Phædone ait: Voluptas quasi clavum tenens, animum corpori conjungit & affigit, efficitque, ut honestatis oblivione capiatur. Recte Maro 9. Æneid.

-------- sua cuique deus fit dira cupido.

Et alius:

Heu quàm dulce malum mortalibus abditum
Mellis dulcis amor!

Verè Seneca: Voluptas non hominis, sed pecoris bonum est. Ulyssis socii unius arbusculæ illecebris capti, tot maribus emensis, tot periculis exantlatis, desideratissimam patriam barbaræ regioni posthabuerunt. Nimirum animus in pastum projectus, depositio honesti, cœlique desiderio, nihil nisi terram sapit, atque cogitat. Veteri verbo: *obesus venter non gignit sensum tenuem.*

SYMBOLVM LXVII.

Vlysses cum Diomede surripit Palladium Trojanis.

Homerus Lib. Odyss. λ. Æneid. 2.

Ethicè.

1. Civitatis præsidia & ornamentum, artes mechanicæ, liberales, & bellicæ. 2. Religionis præcipua cura habenda. 3. Multitudo sapientum, salus populi. 4. Vires cum consilio jungendæ.

DE Palladio quid fuerit, non conveniunt scriptores; plerique asserunt, statuam fuisse ligneam delapsam cœlitus in templum Palladis, quod *Ilus* Rex Trojanus in urbis arce, cui nomen *Pergama*, in eiusdem honorem deæ ædificavit; erátque in fatis, Trojam capi non posse, quamdiu statua illa in templo Minervæ servaretur. Mythologus de Pal-

ladio ex Apollodoro ita refert lib. 4. c. 1. *Ilus*, inquit, Rex, ubi Ilium (quod postea Troja vocatum) condidit, discolorem secutus bovem, Deos precatus est, ut aliquod sibi signum appareret. Atque tunc cecidit è cœlo Palladium, seu Palladis simulacrum, trium cubitorum altitudine, quod sponte ambulare videbatur, dexterâ hastam tenens, ac siniſtrâ colum & fusum. Huic Ilo postea responsum fuit ab Oraculo, tamdiu civitatem Trojam incolumem futuram, quamdiu inviolatum illud Palladium in urbe permaneret, Cuius rei non ignarus Ulysses, assumpsit sibi comitem *Diomedem*, Regem Ætoliæ, virum fortissimum, quippe qui præter Hectorem & Æneam, aliósque insignes Trojanorum principes vulneratos, ipsum etiam Martem ac Venerem telo sauciârit. Cum hoc clàm, de nocte surrepsit in arcem Trojanam, occisisque custodibus, signum illud sacrosanctum, & urbi fatale movit loco, & asportavit, non sine manifestis indignantis deæ prodigiis. Nam repente imaginis arsêre oculi, salsus per artus sudor iit, ter solo subsiliit, & parmam hastámque concussit.

Ethica.

I. (*a*) Palladium hoc, seu statua Minervæ quid aliud significat, quàm urbes tamdiu florere, & felices esse, quamdiu bonæ vigent in illis artes; præcipuè *Sapientiæ*, quæ per Minervam; *& Scientiæ militaris*, quæ per eiusdem ægydem & hastam denotatur. Quòd si etiam colum & fusum manu tenuit, indicantur artes mechanicæ & manuariæ, civitatibus bene institutis necessariæ. Siracides ait c. 38. *Omnes hi* (scilicet agricolæ, sculptores, fabri, figuli, textores, cæteríque opifices vestiarii) *in manibus suis speraverunt* (nempe manuum opere vitæ præsidia sibi, aliisque comparârunt) *& unusquisque in arte sua sapiens est*: (ingenium namque in artefactis quoque apparet & spectatur) *sine his omnibus non ædificatur civitas*. Nihil enim pestilentius urbibus, quàm otium, quod labore manuum profligatur. Mechanicam ipse Paulus Apostolus exercuit, in consuendis tabernaculis pellitis occupatus, *nocte & die operans, ne quem Christianorum gravaret*, ut ipse testatur 2. ad Thessal. 3. Nam juxta eundem, *qui non laborat, non manducet*. (*b*) Conjuncta Martis & Palladis studia in Carolo M. eminuerunt, qui gravissimorum bellorum & administrandarum provinciarum mole oneratus, id habuit antiquissimum, ut cùm post relatas de hostibus victorias, templa exstruxisset, ubi Deo agerentur gratiæ, scholas illico templis adjungeret, & scholis professores, præsertim sacerdotes adderet. Anton. Possevin. Biblioth. selectæ lib. 1. c. 8. De

(*a*) *Artes mechanica.* (*b*) *Litterarum & armorum conjunctio.*

De armorum & litterarum conjunctione eleganter quidam. Arma Deorum inventa sunt, & à Vulcano fabricantur; litteræ Deorum proles ex Jovis cerebro prodierunt. Arma Bellonam colunt, litteræ Palladem. Arma ad fortitudinem & audaciam animum exercent, litteræ mentem honestate & virtutis amore excolunt. Armatus ab hoste non facilè vincitur, sapiens à fortuna. Armatus gladios & vulnera non timet; sapiens mortem contemnit. Armatus res in manibus gerit; sapiens in consilio. Armis dura franguntur, sapientiâ emolliuntur. Arma in corpus potestatem gerunt, sapientia in animum. Armis Rempublicam defendimus; doctrina servamus. Armis libertatem propugnamus? doctrina discernimus. Armis imperia distendimus; doctrinâ & Jure sub pace retinemus. Ab armis robur & vires Reipublicæ accedunt; à litteris industria, doctrina, ars donatur.

II. (c) Intelligas etiam per Palladium, virtutem Religionis, seu cultûs divini, qui ne labefactetur, aut loco moveatur, summa cura habenda, & magis pro *Aris* quàm pro *Focis* excubandum. Est enim Religio fulcrum imperii, basis Reipublicæ, munimentum regnorum, fundamenrum politiæ, tutela tranquillitatis publicæ, & anchora sacra; quâ motâ, turbantur omnia, & certissimo naufragio exponuntur. Trojani Palladium in arce summâ, tanquam firmissimo loco collocârunt. Ita Religio ante omnia in tuto est reponenda. Subintrârunt tamen tenebris occultatæ vulpeculæ, *Vlysses* & *Diomedes*, pérque insidias interfectis custodibus, utique dormientibus, salutare signum abstulerunt. Agnoscas hæreticos, qui tecti palliolo novi Evangelij, initiò fraudulentis verbis, postea ostentatis armis, subeunt urbes Catholicas, & inde Palladium, hoc est, sinceram, castam, antiquam, orthodoxam religionem, ex quâ salus omnium pendet, convellunt & exterminant. Quis admisit? *Dum dormirent homines, venit inimicus homo.* Matth. 13.

III. (d) Præterea Palladiô significatur, sapientiæ præsidio feliciter Respublicas administrari atque florere. Juxta Salomonem: *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens stabilimentum populi est.* Sap. c. 6. Et Plato dicere solebat, tum demum benè cum rebus humanis actum iri, si vel Philosophi regnarent, vel reges philosopharentur. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Ecclesiastæ. 10. quod fecerunt Trojani, non manè tantùm, sed etiam noctu, vino, somnóque sepulti. Palladium è cælo lapsum esse fingitur, ad indicandum, sapientiam creatam, ab increata ortum habere. Ecclesiasticus de ea cap. 24. *Ego quasi aquæductus exivi de paradiso.* Instar fluvii è perenni fonte per legum

(c) *Religionis præcipua cura habenda.* (d) *Sapientes, Salus populi.*

gum ac ſapientûm doctrinam, pérque inſpirationem internam in hominum mentes derivata ſum.

IV. (*e*) Alciatus Emblem. 42. pinxit Ulyſſem conſilio prudentiſſimum, & Græcorum Diomedem fortiſſimum, cum inſcriptione: *Vnus nihil, duo plurimum poſſunt.* Juxta adagium: *Vnus vir, nullus vir.* Sumpta hæc imago ex Iliad. Hom. κ. quo loco Diomedes exploraturus caſtra Trojana, Ulyſſem ſibi adjungi petiit. Nihil valent vires conſilio deſtitutæ; & nihil, aut perparùm conſilium ſine viribus. Archidamus Lacedæmoniorum Rex, cùm vidiſſet filium ſuum temerè contrà Athenienſes pugnantem: *aut vires tibi augendæ ſunt*, dixit: *aut minuenda audacia.* Et quid aliud docet *ægis*, in pectore Minervæ Gorgoneo capite terribilis, quàm prudentiam ſociandam armis? Hîc Milo Athletes Crotoniata occurrit animo, qui tantis erat viribus, ut in Olympico certamine taurum retento anhelitu per ſtadium portaverit: quem ictu pugni interfecit, unóque die integrum devoravit. Is, cùm quercum in agro cuneis adactis fiſſam vidiſſet: nimia nervorum fiducia fretus, inſertis eam manibus divellere conatus eſt: quas arbor excuſſis cuneis in ſuam naturam revocata compreſſit, inclusítque & ipſum lupis lacerandam prædam objecit: Val. Max. lib. 9. c. de cupiditate vitæ. Ubi vides robur ſine conſilio plus nocere quàm prodeſſe? Si Miloni mens ſana fuiſſet, contentus quercinam in ſtadio coronam reportaſſe, gloriam in ramis, non in trunco truncus quæſiiſſet. Idem, cùm jam ſenex eſſet, inquit Cicero in Catone, viderétque athletas ſe exercentes, aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illacrimánsque dixiſſe: *At hi quidem jam mortui ſunt.* Hinc diſcis, quantùm differant vires corporis, & vires ingenii; illæ cum annis defluunt & dilabuntur: Mens autem ratio, & conſilium permanet in ſenibus. Rectè Cicero: Non viribus aut voluptatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur. Sed conſilio, autoritate, & ſententia, quibus non modò ornari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet.

SYM.

(*e*) *Vires cum conſilio junctæ.*

SYMBOLVM LXVIII.

Vlysses Palamedem fraudulenter circumvenit.

Homerus loc. citat. Æneid. l. 2.

Ethicè.

1. Invidia perdit viros bonos. 2. Lingua pseudopolitica.

SUprà memoravimus fictitiam Ulyssis insaniam fuisse à Palamede manifestatam, objectô aranti Ulyssi eius filiô; hinc prima odii scintilla. Altera conflata est ex frumentatione. Nam cùm à Græcis Ducibus Ulysses in Thraciam frumentatum missus esset, & nihil inde attulisset; Palamedes eódem ablegatus, plurimum frumenti advexit. Quemobrem Ulysses invidiæ stimulis agitatus, adulterinam Priami Regis Trojanorum nomine epistolam scribit, in qua proditionis gratias agebat Palamedi, commemorabátque secretum auri pondus esse transmissum: id quod ipse Ulysses, per corruptos servos, in tabernaculo eius defodi curârat. His litteris in concilio Græcorum recitatis, Palamedes proditionis accusatur. Ibi Ulysses reo adesse simulans, hostilibus litteris nihil fidei habendum contendit: eásque re ipsa facilè fraudis posse coargui, si Palamedis tentorium perscrutarentur: in quo si aurum reperiretur, nullum ipsum supplicii genus recusare. Missi itaque ad tabernaculum scrutandum, dum omnia vafrè explorant, etiam terram eruunt, & inveniunt aurum infossum. Palamedes veluti proditionis convictus, lapidibus obruitur. Vir fuit ingenio, manúque strenuissimus: plerasque litteras alphabeti Græci reperit; latrunculorum præterea lusum, & mensurarum ac ponderum rationes excogitavit; itémque calculos seu suffragia, quibus in deliberando, judicandóque utimur, invenit. Insuper peritus Astrologiæ fuit, annúmque ad cursum lunæ accommodavit: primúsque in castris, visam atque reformidatam Solis eclipsin, naturalem miniméque timendam esse docuit. Ordinem quoque aciei, & tesseras, hoc est, Symbolum bellicum, & vigilias adinvenit. Quæ omnia à gruibus avibus fertur didicisse. Illæ enim non nisi acie instructâ volant, electo duce, quem sequantur; depositisque in extremo agmine, qui gregem voce contineant, & qui noctu, cæteris dormientibus excubias agant. Inter volandum etiam mutatis subinde ordinibus, litteras quasdam videntur effingere: quas etiam primus ab

eis observâsse fertur Palamedes. Hinc grues, *aves Palamedéæ* dicuntur. Post interitum eius Græci ipsum flevêre, & non sine suspiriis desiderârunt; qui & in tragœdia Euripidis de eo recitarunt hos versus.

ἐκάνετε ἐκάνετε τῶν ἑλλήνων ἄριστον, τὴν ἀδὲν
ἀλγύνουσαν ἀοιδόν μουσῶν.
Interfeciſtis, interfeciſtis Græcorum
Optimum, nemini nocentem, luſciniam
Muſarum.

Et Virgil. 2. Æneid.

-------- quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem infando judicio, quia bella vetabat.
Demisêre neci; nunc cassum lumine lugent.

Ethica.

I. (*a*) Causa exitii Palamedis, invidia fuit, de qua disertè sanctissimus Pontifex Gregorius Nyssenus, in lib. de octo beatitud. inter alia ait: videtur mihi invidiæ atque simulationis vitium, irâ multò gravius esse: quantò occultum malum etiam apertô atrocius est. Etenim ex canibus eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præsignificat, neque ex adverso incursus est: sed miti pariter ac mansueto habitu, non prævidentes, neque circumspicientes nos observant. Verè Plinius lib. 31. c. 2. Periculosiores, inquit, sunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem afferunt; minus formidandi, qui ipsa specie testantur aquas esse fugiendas. Difficiliùs vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt.

Antigonus Rex Diis sacrificans, precabatur, ut se à simulatis servarent amicis: cúmque percontaretur quispiam, quamobrem tale quid à Diis optaret: *Quia* inquit, *hostes, cùm cognosco, caveo.* Juxta Magni Leonis dictum. *Plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* Insidiator est, qui sub amici fronte, inimicum intus alit, qui amorem oculis, fronte, verbis loquitur; odia pectore circumfert, quæ, opportunitatem nactus, effundat in nimis credulam mentem. In hunc quæ robora sufficiant? quæ prudentia satis caveat? Incauta ferè generositas est. Et, quò fortior quisque, quò animo celsiore (qualis erat Palamedes) hoc magis insidiis patet, ex se enim cùm metiatur omnes, candorem suum legit in omnibus; nec metuit dolos, quibus caret, ignorátque insidias, quas nullas defert, nulli parat: indignas enim arbitratur viro forti

(*a*) *Invidia malum perdit viros bonos.*

forti fraudes; & dolis se tegere, cùm viribus possit, ignaviſſimi pectoris esse putat. Hanc malignitatem scelúsque nefarium objecit Ajax Ulyssi, in illa nobili Achilleorum armorum petitione. 13. Metam. Dictys Cretensis de Palamedis nece sic scriptum reliquit. Per id tempus Diomedes & Ulysses consilium de interficiendo Palamede ineunt, more ingenii humani, quod inbecillum adversùm dolores animi, & invidiæ plenum, anteiri se à meliore, haud facilè patitur. Meminit huius Palamedis injustè occisi etiam Socrates apud Xenophontem in Apologia. Non enim mihi (quod innocens moriar) sed condemnantibus hoc turpe: solatur autem me & Palamedes ille, non dissimiliter condemnatus, cui majores laudes ex injuria Ulyssis obvenerunt. Nimirum invidiæ filia est calumnia, hæc opprimit innocentiam. Siracides cap. 28. *Multi ceciderunt in ore gladii, non sic quasi interierunt per linguam.* Id est, plures occidit lingua maledica, calumniatrix, insidians, necem machinans, quàm gladius: nam illa vitam simul ac famam, falsè criminando aufert.

II. (*b*) Artes pseudopoliticas egregiè versipellis Ulysses expressit. Horum hominum lingua, dolosus ignis est, sub quieto cinere; falsa, simulata, insidiosa pax; malacia in occasionem ultionis intenta: umbra fœderum, simultas, officii ostentatione blandiens simul, ac sæviens. Symbolum linguæ huius politicæ est hoc. (*c*) Crocodilus tergo insidentem vehit felem, addita hac inscriptione: *Flemus & mulcemus, ut fallamus.* Nam Crocodilus antequam hominem invadat, & glutiat, lacrimas emittit. Et felis insidiosum & astutum animal, nunc pedes lambit, nunc pelliculam linguâ extergit, nunc pectus aut tergum polit, séque totam assiduè comit, nihil ut illâ sit cultius atque comptius; semper tamen armatos habet ungues, & ad nocendum paratos. Talis Ulysses fuit, tales etiam hodie, præsertim in aulis Principum frequentes Crocodili & feles occurſant, ubi invidia quotidiana, plurimæ assentandi & calumniandi occasiones; alii in alios varias nocendi vias comminiscuntur, & sub veri specie, *Veritas* opprimitur. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Ait expertus Vates psal. 13. In aquis latet crocodilus, anguis in herba; in aulis lingua; quæ quò est dulcior, hoc est virulentior. Monet Sapiens Proverb. 2. *Ut eruaris à via mala.* Cuius? *qui perversa loquitur. Qui relinquunt iter rectum & ambulant per vias tenebrosas.* Sic ambulant illi, qui aliud corde clausum, aliud ore promptum habentes, per tortuosas ambages quærunt, quem, quod diabolus (id est calumniator) facit, devorent. Tali homini in os ingeras, quod Maronianus pastor suo contribuli:

(*b*) *Lingua pseudopolitica.* (*c*) *Crocodilus.*

Etsi non aliquà nocuisset, mortuus esset. Eclog. 2.

Id Ulysses propositum sibi habuit: id effectum dedit. Siracides c. 6. monet: *Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.* Maximæ sunt enim in ipsis amicitiis insidiæ. Hinc illud Poëtæ:

Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum
Fallere non magno Cyrne labore potest.

Antigonus Rex, teste Plutarcho, quotidie Deos rogabat, ut se ab amicis protegeret: rogantibus, cur non potiùs ab inimicis, respondit: *Quia hos cognitos vitare possum: illos verò fictos & fucatos cavere non possum.* Tu igitur ne fide; serpentibus cincti sunt amici falsi; venena spargent: ne crede fronti, nunquam magis nocent, quàm dum blandiuntur, rident? sanguinem meditantur. Laudant? damnant animo, insidias intentant. Consilia suggerunt? ne tange, in interitum eunt. Fuge lupos sub ovilla pelle, illabuntur suaviter, & antè vulnerant, quàm dentem senseris.

SYMBOLVM LXIX.

Vlysses Polyphemum Cyclopem exoculat.

Æneid. 3. Metam. 13. Homerus lib. 9. Odyss.

Ethicè.

1. Ingenium præstat robori. 2. Somnolentia & negligentia pastorum. 3. Cyclopis donum quale. 4. Crudeles tyranni.

CYclopes *Neptuni* & *Amphitrites* filii, ministri Vulcani, Jovi sua fulmina, Neptuno tridentem, Plutoni galeam, heroibus arma fabricabant. Dicti sunt ab unico oculo, quem in media fronte habebant. Incoluerunt eam Siciliæ partem, ubi mons Ætna flammas ejaculatur. Immani sunt barbarie, & proceritate portentosa. Inter hos, ut vastitate corporis, sic atrocitate animi eminebat *Polyphemus*,

Monstrum horrendum, informè, ingens, cui lumen ademptum.

In quo voracitas cum crudelitate certabat.

Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:
Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas,
Solamenque mali, de collo fistula pendet.

Pastorem

Pastorem is ovium, magis autem viarum obsessorem, & latronem agebat; quos ex insidiis interceptos, mox in horridum rapiebat antrum, & ad saxum allisos exanimabat. Deinde Leonis instar, aut molossi, recubabat super occisos, & membra tabo fluentia, artúsque semianimes, & ipsa etiam ossa avidam in alvum condebat. Venerat fortè eas in oras Vlysses, adversis casibus per varia jactatus maria; egressúsque navi cum duodecim sociis, sive regionis explorandæ, sive aquationis causâ in speluncam illam immanem descenderat. Ibi subitò à Polyphemo intercepti sunt; cúmque jam sex ex ejus commilitonibus dilacerati, & devorati fuissent, Vlysses ad ingenium suum confugit. Propinat giganti, invocatis priùs Diis generosissimi vini poculum. Quò ille ad fundum exhausto, protinus cœpit alto somno corripi, è medio resupinus in antro sonantissimos ronchos proflare; simúlque crapulâ gravis saniem occisorum, & cruentas dapes cum ingesto mero eructare. Vlysses occasione arreptâ, se cum sociis, circumfundit sopito Cyclopi, oculúmque in frontis medio situm, ingentis instar clypei, acuto stipite terebrat, monstróque excœcato fugam molitur. Dolore vulneris experrectus Polyphemus dum ostii vestibulum expansis manibus obsidet, Vlysses & Socii arietum se ventribus subligantes, & sub iis latentes, unà cum grege in pascua misso elabuntur. Fraude seriùs deprehensa, Cyclops fugientes insequitur, & cùm altior undis, ingrediens per mare, navigantibus frustra manum injicere conaretur, clamorem sustulit immensum; quo excíti, vicinis è silvis & montibus reliqui cyclopes accurrunt; à quibus interrogatus de autore tantæ calamitatis, respondit nomen ei Οὖτιν, hoc est, *Neminem* esse (ita enim se appellaverat Vlysses) excipiunt illi responsum cum amaro sarcasmo & lamentantem reliquunt, non oculo tantùm, sed etiam mente captum.

Ethica.

I. (*a*) Quanta sit vis ingenii, Vlysses docet, qui cum Polyphemo compositus, musca erat ad elephantum. Et tamen hic homunculus tantæ molis turrim stravit, non viribus, sed consilio. Polyphemus unum in fronte oculum præferebat: est enim hoc vastis corporibus insitum, ut parum rationis in iis reperiatur. Sæpiùs enim:

Major in exiguo regnavit corpore virtus,
Nulla in tam vasto corpore mica salis.

(*a*) *Ingenium præstat robori.*

Id quod ſtatura puſillus, falsô dicteriô notavit, dicens: *Superiora magnarum ædium non habitari.* Eleganter Phauorinus philoſophus: nihil in terris magnum præter hominem: nihil in homine magnum, præter mentem. Sic ſternit parva ſpatioſum vipera taurum. Sic David fundâ dejecit formidabilem Goliathum; ibíque mortem intulit, ubi nullum munimentum invenit, ſcilicet in cerebro, quod ictui patuit, quia ſine mente fuit. In eo quoque ſagax Vlyſſis ingenium apparuit, quòd lanigero ſub grege latens, cum ſociis evaſerit. Rides fabuloſum ſtratagema? hiſtoricum audi. Circa annum 1311. Rhodus inſula ſimili aſtu ab Equitibus S. Joannis capta eſt. Adverterat Equitum Præfectus paſtores quot-diebus ovium greges manè educere, & ſub obſcuro veſpere reducere. Immixti his plures milites pelle ovina tecti, manibus & pedibus reptantes; ipſe verò Dux habitum paſtoritium indutus ſubſequebatur: primò portis, deinde urbe & inſula potiti ſunt. Henric. Engelyran. in Pantheo, feſto Nativit. Domini. §. 2. ubi vitiosè annotatus annus.

II. (*b*) Polyphemo exitium vinum quoque attulit, nam maximos quoque in ruinam impellit temulentia. Et tamen paſtor erat, quem vigilantia decebat, & cura pecoris. Væ ovibus, quarum cuſtodes uno tantùm præditi ſunt oculo, hoc eſt, modico prudentiæ lumine, & hoc ipſum perpotandi libidine obnubilant, obſcurant, obtenebrant, extinguunt! Cœco ductore, quæ ſpes eſt gregi? Vlyſſes etiam voluptatis typum exhibet: dulce propinat poculum, in ſuavem declinat lumina ſomnum; dum dormitur, interitur.

III. (*c*) In adagiis fertur: *Cyclopis donum*, nam Polyphemus delectatus dulci vino, quod illi donârat Vlyſſes, munus ei promiſit; quô acceptô magnopere ſit gaviſurus, ſi denuo ſibi miniſtret de ſua lagena. Dedit Vlyſſes iterum atque iterum. Porrò cùm jam vino delinitum, crederet mitiùs reſponſurum, repoſcit Vlyſſes munus promiſſum. Cui cyclops hunc in modum reſpondit.

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι,
Τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν. τοιδὲ τοι ξεινήιον ἔσαι.

Homer. Odyſſ. lib. 9.

Poſt ſocios mihi, poſtremúſque vorabitur Vtis,
At reliqui priùs: hoc ex me tibi munus habebis.

Sic Micyllus cerdo apud Lucianum, cùm quereretur, quod non ſtatim cum aliis in cymbam Charontis reciperetur, hanc ipſam ei Clotho

(*b*) *Somnolentia & Negligentia paſtorum.* (*c*) *Cyclopis donum quale.*

tho *Parca* beneficii loco imputavit morulam, quâ paulò tardiùs ad inferos descenderet. Hujusmodi sunt ferè tyrannorum & latronum beneficia, qui solent hoc ipsum magni beneficii loco imputare, quòd aut minùs aut seriùs noceant. In hanc sententiam Cicero Philipp. 2. Quod est aliud beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se vitam dedisse, quibus non ademerint.

IV. (*d*) In eo quoque Polyphemus Tyrannos refert, qui epulas suas humano sanguine instruunt. Hinc *Cyclopica vita*, id est, effera, barbara, crudelis, immanis, Divûm hominúmque contemptrix. Quàm arroganter Cyclops apud Homerum compellat Vlyssem, vitæ suæ, sociorúmque gratiam per superos rogantem!

Desipis, aut certè longinquis hospes ab oris
Hîc ades, ut qui me jubeas, curáve moveri,
Sive timore Deûm: neque enim Cyclopica turba
Curamus summúmve Jovem, Divósve beatos.

Ejusmodi Polyphemi fuerunt Bajazetes, de quo Surius anno Chr. 1511. Expugnata Metone Peloponesi urbe, promiscuáque in omnem sexum, ætatem, conditionem strage edita, mille erant capita vel servituti vel libidini servata. Captivi longis adstricti funibus ad Bajazetis prætorium perducti, sævissimi Tyranni jussu sub ejus oculis immanè trucidati sunt. Talis Polyphemus fuit Lucius Cornelius Sylla Dictator Roman. qui in bello Mariano septem millia militum contra se arma ferentium in *Circum* maximum conclusos jugulari imperavit. Sub ipsum orationis suæ principium, quam in æde Bellonæ ad senatum habuit, coorto ad tot occisorum miserandos ejulatus in omnium Senatorum animis horrore, concussionéque mentium; ipse sedens vultu immoto jussit eos auribus & animis sibi dicenti adesse; in pauculas enim mastigias suo imperio animadverti. Non secùs ac si tot millium laniena, non nisi canis unius, aut anseris esset decollatio. *Volesus* sub Augusto, Asiæ Proconsul, qui ducentos quinquaginta uno die securi percussit, ut Seneca scribit de ira c. 5. Incedens inter cadavera superbo vultu, quasi magnificum quiddam, conspiciendúmque fuisset. Græcè proclamavit, ὦ πρᾶγμα βασιλικόν. ô regiam rem! Talis *Hannibal*, quem dixisse ferunt, cùm fossam plenam humano sanguine vidisset: ô formosum spectaculum! Talis *Aulus Vitellius*, qui cum adîsset campos, in quibus à suis legatis erat pugnatum contra Othonem, cadaverum tabe horrentes, detestabili voce dixit: *optimè olere occisum hostem, & magis civem.* Sueton.

(*d*) *Crudelitas tyranni.*

ton c. 10. Talis C. Caligula, cujus votum erat, unam ut cervicem populus Romanus haberet, quam unico ictu dejicere posset. Talis Phocas Orientalis Imperii invasor, cui in animo erat omnes è medio tollere, in quibus nobilitatis, aut gloriæ, aut prudentiæ indicium esset. *Niceph.* lib. 18. c. 55. anno Ch. 602. Talis *Ezelinus*, barbaro potiùs quàm Italico solo dignus Tyrannus, qui XII. millia civium Patavinorum ad unum omnes uno compulsos loco necari jussit. *Iovius.* Talis Wenceslaus Imp. & Bohemiæ rex, cui perpetuus comes carnifex & suppliciorum minister; quo tam familiariter utebatur, ut etiam filium ipsius de S. fonte levârit. *Dubrau.* lib. 23. Taceo Phalarides, Busirides, Diomedes, Mezentios & mille alios. Quibus omnibus crudelitatis monstris non defuit suus Vlysses, qui ultionem sumpsit, & ingurgitatam cruoris humani tabem revomere coëgit.

SYMBOLVM LXX.

Vlysses Circæ triveneficæ incantamenta solvit.

14. Metamorph.

Ethicè.

1. Mutatio hominis in bestiam. 2. Illecebræ voluptatis malæ.

Circe, *Solis* & *Perseidis* Nymphæ filia, Æetæ, Colchorum regis soror, veneficiorum peritissima; Sarmatarum rege, cui nupserat, veneno sublato, regnóque per scelus parto, cùm crudeliùs imperaret, ab incolis pulsa, in Italiam profugit, & in Circæo monte sedem sibi delegit, *Scyllam* puellam in monstrum marinum transmutavit: *Picum*, Latinorum regem in avem sui nominis, alios in alias bestiarum formas vertit. Regiam inhabitabat splendidam, & medio in luco sitam, locum, omnibus delitiis affluentem. In primo limine hospitibus occurrebant variæ belluæ, sed cicuratæ, lupi, ursi, leones, canum instar eos adulantes. Post hos sese ferebant obviam, & adventores per atria marmore strata deducebant rara venustate Nymphæ; donec ad interiora veniretur. Ibi in conclavi ornatissimo, sublimis in throno, in aurea veste, & palla fulgida sedebat venefica, ad omnem humanitatem composita. In cujus ubi conspectum hospites venêre, mox ipsa prior salutare,

salutare, frontem in lætitiam diffundere, & ad votorum audaciam invitare. Simul in humanitatis ac benevolentiæ tesseram, in aureo poculo *mulsum* propinare.

Quod ubi hauserunt advenæ, singulorum verticem magica virga leniter contingebat. Et ecce subitam Metamorphosin! mox enim setis horrescere cœpêre comites Vlyssis, in porcorum figuras abire, grunnire, harámque petere. Elapsus est unus, cui nomen *Eurilocho*, qui subodoratus maleficium, respuit poculum, de clade sociorum certiorem fecit Vlyssem. Hic cum herba *moly* in amuletum à Mercurio jam antè accepta, ad Circen contendit; porrigentem medicatum scyphum, conantémque caput ejus virgâ illâ portentificâ permulcere, stricto gladio repellit; nec antè minari ac terrere desistit, quàm ipsa maleficium solvetit, & socios in pristinam formam, statúmque restituerit.

Ethica.

I. (*a*) Decantata est hæc fabula, & nota malæ voluptatis imago, quæ blanditiis velut delinimento quodam dementare mortales, & in bestias transformare solet. Hæc, ut Dio Chrysostomus loquitur, non gladiis, non hastis, non bipennibus, neque sagittis homines impugnat: sed luxu, deliciis, epulis, illecebris, mollitie inescat, decipit, effeminat, liquefacit, enervat.

(*b*) Innuit etiam fabula, eos mortalium in bestias verti, qui nequaquam ratione ducuntur: sed totos se dedunt turpibus affectibus, nihilque hominis præter nomen habentes, in pecudum naturam degenerant: puta libidine in ursos, spurcitiâ in sues, ferociâ in leones, voracitate in lupos &c. Quid autem Vlysses, qui neque venenatum poculum ori admovit, neque à monstrifica virga se tangi passus est, nisi firmum illum & constantem sapientis habitum significat, qui neque frangi terroribus, neque blanditiis, aut pravorum affectuum illiciis ab honesto potest abduci?

II. (*c*) Agnosce voluptatis vetitæ irritamenta. Primum est *Forma*. Nam Circe amabili quodam fulgore radios è vultu vibrabat, & intuentes in amorem trahebat; quam ob causam *solis filia* dicta est. Sapientis monitum est Proverb. 6. *Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius. Hebraicè*, palpebris volantibus & vibrantibus, sicut sol vibrat radios, & nubes fulgura. Iynx avicula, quæ

(*a*) *Mutatio hominis in bestiam.* (*b*) *Vitia mutant hominem in bestiam.*
(*c*) *Illecebræ voluptatis pravæ.*

à colli verſura *vertilla & torquilla* dicitur, intuentes in ſui amorem rapere fertur, & quaſi dementare. Teſte Pierio Hierogl. lib. 25. c. 51. Primæ caſtitatis labes ex oculis ducitur. *Alterum* invitamentum libidinis in ædibus Circes, *Cantus* fuit, de quo Maro. 7. Æneid.

Dives in acceſſos ubi ſolis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu.

Sunt enim poſt oculorum illecebras (quas meretricius veneficæ & ancillarum ornatus ac aſpectus accendit, proximus ad flagitium gradus, laſcivæ cantilenæ.

Tertium irritamentum, ſuaves *odores*. Pergit Virgilius:

---------- tectísque ſuperbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Etiam per nares Venus ſubit, & in ſuaviſſimis unguentis *Camerina* fœtentis Cupidinis latet. Juxta epigrammatarium.

-------- Non bene olet, qui bene ſemper olet. lib. 2.

Quartò accedit his illiciis *otium*. Ovidius de Oſtiariis Circæ Nymphis.

---------- quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila ſequentia ducunt.

Quintò quid dicam de tectis ſuperbis, de menſis, de lectis, de rebus omnibus ad decipiendum diſpoſitis? Et quid aliud quàm Circen, ſeu noxiam & laſcivam voluptatem repræſentat, illa apud Regium paræmiographum *mulier garrula & vaga, ornatu meretricio præparata ad capiendas animas*. Audi quibus lenociniis inſidias paret. Nam apprehenſum (ſunt verba Salomonis Proverb. 7.) *deoſculatur juvenem*, & procaci vultu blanditur dicens: *Intexui funibus lectulum meum* (id eſt, ut molliùs cubes faſciis & inſtitis ſubtentis lectulum ſuſpendi) *ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto* (id eſt, picturatis, & ad oculos paſcendos ad tactum recreandum factis) *aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cynamomo*. Quid aliud egit Circe? ut Vlyſſem caperet, blandum arietem omnibus ejus ſenſibus admovit: Quid porrò Salomon de lena voluptate? *Veni inebriemur uberibus, fruamur cupitis amplexibus; donec illuceſcat dies*. Hîc prodit ſe impudentia proſtibuli, & palàm cupiditatem obſcœnam ſolvit. Ita miſeros decipit voluptas, & ex hominibus efficit beſtias. Experti ſunt Vlyſſis ſocii. Quid, quòd Vlyſſes ipſe, quamvis initiò generosè reſtiterit, tandem ineſcatus ſit. Nam ſi Homero credimus, veneficæ amoribus irretitus, annúmque integrum in-

la Circes regia versatus, denique filium suscepit, Telegonum nomine; qui, quod fieri solet, parenti non tantùm probro & decori, sed etiam exitio fuit. Quid enim ex vipera, nisi venenatus partus nascæretur? Cave quisquis es, *Calicem aureum meretricis Babyloniæ.* Jerem. 51. veneficium pro beneficio porrigit. Soporiferum Circes poculum non absimile videtur illi assasinorum paradiso, de quo Paulus Venetus lib. 1. c. 28. Orient. histor. In Persidis regno tyrannus quidam, Alaodinus dictus, Muletam regionem occupavit, multósque sicarios, quos dixêre Assasinos hoc astu sibi adjunxit. In valle quadam amœnissima, & præruptis cincta montibus paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Mahometes promittebat, instruxit. In eum locum, oblata soporiferâ potione, dormientes deferendos curabat. Experrecti, cùm omnibus deliciis affatim fruerentur, revera se in paradiso fuisse credebant. At præstigiator ille, capta opportunitate, medicato poculo sopitos, rursus extra paradisum efferebat, eos, ad omnia, quæ imperabat, patranda paratissimos postea habiturus. Quid aliud facit voluptas? quæ hominem ubi semel falsis deliciarum illecebris captum extra se posuit, & in cœlo quodam imaginario collocavit, deinceps ad abiectissima quæque mancipium habet.

SYMBOLVM LXXI.

Vlysses Sirenum cantus spernit.

Homerus Odyss. lib. μ

Ethicè.

Blanda Libido etiam heroës sternit.

SIrenum fabulam jam alibi exposuimus; hîc satis erit apponere laudes, quas Venusinus Vates de Vlysse canit epist. 2. lib. 1.

Rursus quid virtus & quid sapientia possit,
Utilè proposuit nobis exemplar Vlyssem:
Qui domitor Troiæ, multorum providus urbes,
Et mores hominum inspexit: latúmque per æquor
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces, & Circæ pocula nosti:

Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupidúſque bibiſſet:
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors:
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

(*a*) Ubi tamen notes, eum, qui Sirenum blanditias generosè contempſit, non Circes modò, ſed etiam Nymphæ Calypsûs amoribus implicatum fuiſſe, ita ut ſeptem ipſos annos cum hac exegerit, neque tum diſceſſurus, niſi Jupiter per Mercurium, deæ imperâſſet, ut tandem hoſpitem nimis placentem dimitteret. Tanti eſt familiariùs cum feminis agere, etiam virum, etiam ſapientem, etiam Vlyſſem. Conſortium cum altero ſexu comparat Salomon in Proverb. c. 6. igni in ſinu; urit accedentem. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Vox, oculi, vultus, totum feminæ corpus eſt quaſi ignis, intuentem, colloquentem, converſantem cypriis flammis tacitè, & neſcium ſuccendens. Documentum eſt Vlyſſes, tot adverſis caſibus ſuperior, tot laboribus induratus: ad calorem tamen iſtum ut cera liquefacta diffluxit; & à fluctibus ejectus, in flammam incidit nocentiorem aquis.

Equidem multos, quos non debilitârat dolor, ſuperavit voluptas: quíque ſine ullo metu pericula adierant, labores pertulerant, vulnera exceperant, mortem ipſam, quâ nihil terribilius eſt, pro nihilo putaverant, iidem appetiti voluptatis illecebris non potuerunt eam rectis oculis contueri. Vltrò etiam induerunt ſeſe in illius retia, ſéque molliſſimis illius vinculis devinciendos, ac conſtringendos præbuerunt. Quem unquam, vel in fabulis, quod ſuprà expoſuimus, fortiorem Hercule accepimus? at ille Jovis ſatu editus, ille monſtrorum domitor, ille purgator orbis, in quem nihil unquam virium habuit dolor, à voluptate devictus eſt, & in *Omphales* gremio cubans, iisdem illis manibus, quibus infans inuſitatæ magnitudinis angues extinxerat, quibus poſtea, delapſo è luna leoni fauces eliſerat, creſcentem damnis, & vires ex ipſa ſua cœde ducentem hydram confecerat, pervigilem draconem in æternum ſoporem collocaverat; is, inquam, pro corona populea mitellam, aut calanticam capite geſtans, pro leonis pelle crocotam indutus, pro clava & arcu colum, & calathos tractans, non tantùm virtutis, verùm etiam ſexûs ſui oblitus, ad arbitrium dominæ penſa carpebat. Roma nullum unquam hoſtem Hannibale infenſiorem habuit. At quem non Pyreneorum montium aſperitas, non Rhodani fluvii impetus, non objectus à natura

(*a*) *Voluptas blanda heroës ſternit.*

natura ad tutandam, ab incursibus exterarum gentium Italiam, Alpium vallus retardaverat; cujus imbutum usque à pueritia capitali Romani nominis odio animum, non fames, non frigus, non ulla denique mali vis domare potuerat; qui tot ad Trasymenum lacum, tot ad Cannas Romanorum millia ceciderat; qui Romam ipsam capere noluerat magis, quàm non potuerat, illum Campanus luxus ac deliciæ perdiderunt; ut verè à clarissimis scriptoribus dictum sit, *Capuam* Hannibali *Cannas* fuisse. Atque hoc fuit, quod Poëtæ per fallaces Sirenum cantus, per Vlyssis obturatas aures indicare voluerunt, felicis utique, temperantis, fortisque viri, si ad ultimum Circes & Calypsûs blandimenta cavere potuisset, aut potiùs voluisset. Tandem tamen enavigavit, & ad patrios lares rediit Ithacensis heros, periturus, nisi Sirenes, dolosas voluptatis illices surda aure transiissent. Ad hanc fabulam alludens D. Hieronymus, ait in epistola quadam: Et nos ad patriam festinantes (scilicet cœlestem) mortiferos Sirenum cantus surda debemus aure transire. Non est hîc inobservatè transmittendum plus aliquando in audientium, quàm canentium Sirenum mollitie, periculi subesse; cujus rei ut aliquod documentum proferamus, Philippum Macedonum regem, virum cæteroquin sapientem adducamus. Hunc aiunt mulieris cujusdam Thessalæ amore ita exarsisse, ut plerique suspicarentur, eum amatorio quodam philtro eò adactum. Quam ob rem Olympias Philippi conjux tantum operæ posuit, ut tandem Thessalam illam prehenderit; quam cùm diligenter intuita esset, ejus formam certè bonam, verba omnia naturam ingenuam spirantia, præclaram educationem advertit; facessant ergo, inquit, calumniæ: tu enim verò in vultus & sermonis tui gratia philtrum habes; neque alio fascino capitur Philippus.

SYMBOLVM LXXII.

Vlyſſes iterum naufragus enatat, & operâ Palladis ad delicioſos Alcioni hortos defertur.

Hom. Odyſſ. l. c.

Ethicè.

1. Laboribus & virtute ſuperanda fortuna. 2. Nulla eſt ſocietas virtuti cum voluptate. 3. Irritamenta malorum vitanda. 4. Virtutis experimenta. 5. Herba *moly* timor Dei. 6. Contemptus religionis: viciſſitudo fortunæ: victoria libidinum.

I. (*a*) HIc diſce, quid homini in quacunque fortuna præſtet ſtudium ſapientiæ, ſeu Palladis amor. Periiſſet Vlyſſes, niſi alumnum ſuum excepiſſet dea. Adeò viro vel forti, vel ſapienti omne ſolum patria eſt. Sapientiâ illæ parantur opes animi, quæ nec furto eripi, nec incendio abſumi, neque naufragio abſorberi poſſunt. Invenit Vlyſſes etiam ignotus hoſpitium ibi, ubi rerum omnium abundat copia. Hic fructus eſt ſapientiæ, non tam ſe Fortunæ, quàm Fortunam ſibi accommodantis. Vlyſſes priùs fluctibus jactatur, antequam Alcioni poma deguſtet. Laboribus emenda ſunt præmia; & quies agitatione. Inter adverſa creſcit virtus, & preſſa reſurgit. Sudore colligit fructum. Nudus erat Vlyſſes, & rebus omnibus ſpoliatus. Quis egenum & deſertum ſuſcepit? Homero teſte, ex naufragio ad uxorem *Alcinoi*, Phæacum regis, cui nomen *Arete*, id eſt, *virtus*, delatus eſt. Romani dictum eſt Philoſophi: *nemo cum ſarcinis enatat.* Etiam nudus, ſi bonus eſt, ſecum omnia portat. Navigamus omnes: æſtibus, ventis, tempeſtatibus agitamur. Felicior & ſecurior eſt, quem naufragantem non premunt onera, hoc eſt, cupiditates honorum, opum, voluptatum, totidem virtutis impedimenta, quæ gravatum animum ad tranquillitatis portum enatare non ſinunt.

II. (*b*) Neque tamen apud Phæaces ſe retardari paſſus eſt Ulyſſes. Quare? audi Homerum:

Non

(*a*) *Laboribus & virtute ſuperatur fortuna.* (*b*) *Nulla eſt ſocietas virtuti cum voluptate.*

Non pugnis, duráve exercent membra palæstrâ:
Sed mensam, & citharæ strepitum, dulcésque choreas,
Straguláque, & molles curant per balnea lectos.

Nulla societas est virtuti cum voluptate. Testatur Seneca, lib. de beata vita c. 8. Virtus malâ vitam non admittit: & infelices quiddam non sine voluptate, imò ob ipsam voluptatem sunt: quod non eveniret, si virtuti se voluptas immiscuisset, quâ virtus sæpè caret, nunquam indiget. Quid dissimilia, imò diversa componitis? Altum quidam est virtus, excelsum, regale, invictũ, insatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices ac popinæ sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia promuris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sæpiùs, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia; mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam. Nihil igitur Ulyssi cum *Alcinoi* (ut adagio fertur) *mensa*, luxu & epulis distentâ. Frugalitatem docuit eum patria Ithaca, quæ juxta Homerum aspera quidem erat, sed bona κεχοιρόφος, id est, juvenum altrix: dum eos consuefecit frugaliter, & continenter vivere, & ad omnem virtutis functionem exercuit, paupertate Magistra.

III. (*c*) Ut *Alcinoi mensa* in adagiis, sic *mensa Sybaritica* celebratur, id est, mollitie ac deliciis luxurians. Sybaritæ enim in regione Tarentina populi, homines fuerunt in omne genus deliciarum, luxûs, & libidinis intemperatissimè effusi. Inde quidquid esset molle, effæminatum, luxuriosum, ambitiosè apparatum, dictum est Sybariticum. Iidem omnes artes, quæ cum strepitu exercentur, ut fabrorum, ærariorum, & materiariorum in suam civitatem recipi noluerunt: & ne alicunde somnus interrumperetur, gallos gallinaceos perpetuô exiliô multarunt. Magni stetit ipsis hæc mollities; nam cùm equos instituerint, ut ad tibiæ cantum saltarent, Crotoniatæ finitimi, hostes eorum perpetui, in ipso prælii congressu modulamen equis Sybariticis assuetum, classici loco incinuerunt, quô illi exultabundi, insessores hostili ferro objecerunt. Cautior Ulysses, quem ne perderet luxus, vitavit irritamenta malorum, Alcioni mensas & hortos.

IV. (*d*) Denique Ulyssis casus & labores ad varia virtutis experimenta referuntur à Mythologo lib. 9. c. 1. Sociorum illius pars in prælis adversùs Ciconas amissa: pars à Læstrygonibus absumpta; nonnulli à

(*c*) *Irritamenta malorum vitanda.* (*d*) *Virtutis experimenta.*

li à cyclope vorati; alii à Scyllâ & Charybdi absorpti sunt. Quò significatur, multos rebus adversis frangi ac consternari, animóque deficere, ut ad Piorum locum, tanquam in patriam pervenire non possint. Alii contrà ex illis non cessere quidem difficultatibus, adversus quarum molem invicti persistebant; sed inter Phæacum delicias, inter fructuum Lotophagorum suavitatem, aut per jucundissima Circes pocula, propriam salutem neglexerunt: ut voluptates, quàm inter gravissima pericula socios Ulyssis desiderârit. Quanta sit autem vis voluptatum, quámque perniciosa mortalibus, declaravit exemplum Polyphemi: quippe cùm vel tanta moles Cyclopis fuerit, per vini tamen suavitatem oppressa est. Alii cùm neque vi deliciarum, neque periculorum magnitudine victi fuissent, ob avaritiam in multas difficultates se intruserunt; cùm utrem ventorum, multorum laborum ac calamitatum originem, plenum, ab Æolo incluforum, clàm dormiente Ulysse, solvissent. Alii potiùs ambitione, quàm vel avaritia, vel omnibus prædictis difficultatibus erant transversum agendi, nisi Ulyssis prudentiâ fuissent aures omnibus obduratæ adversùs Sirenum cantus. Somnus brevis, cui indulsit Ulysses, ostendit, quàm necessaria sit Imperatori vigilantia; cùm ne tantillum quidem ab administratione rerum ad communem omnium salutem pertinentium recedere liceat. Venti ex utribus emissi nullis votis revocari potuerunt.

Ante capillata est, pòst est occasio calva.

Deinde significatum est, præter hæc viro bono necessariam omnino esse prudentiam, & rerum fortuitarum quasi divinationem quandam, & præcognitionem, cùm Ulysses scisitatum de rebus futuris, vel ipsos inferos adierit.

V. (*e*) At verò non sufficere vires humanas ad superanda pericula, vel titillationes voluptatum, ad quas obstupescit humanum ingenium, facilè monere potest Mercurii munus, herba *Moly*, quod datum est Ulyssi adversùs omnia veneficia. Rectè hanc herbam *Timorem DEI* dixeris, potentissimum contra vitiorum irritamenta remedium. Festivum est, quod in part. 1. histor. Societatis. lib. 5. legitur de nostris Patribus magnâ innocentiâ in aula Joannis III. Lusitaniæ Regis versantibus: nam rogati à Principe, quo antidoto uterentur inter tot peccandi illecebras, salva integritate viventes, responderunt se herbam quandam circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis, illámque non aliam esse, quàm *Timorem Domini*. Verè, piéque.

VI. (*f*)

(*e*) *Timor Dei.*

VI. (*f*) Sed cur socii Ulyssis navi de cælo fulminata, ob mactatos *Solis* greges, in mari periêrunt, ac solus Ulysses evasit? Illi contemptæ religionis pœnas dederunt; hic præmia cultæ pietatis accepit. Hic idem modò nudus, & ad littus ejectus inter frondes delitescit: modò auri & argenti dives multis acceptis sociis & muneribus, in patriam dormiens exponitur, ob fortunæ vicissitudines, quas virum sapientem æquo animo perferre par est. Hic idem sumpto mendici habitu, consilio Palladis, post omnes procos cæsos, tranquillus in patria fuit, id est, extinctis libidinis ac voluptatum omnium stimulis, qui sunt quasi proci animæ nostræ, felicitatem tranquillæ conscientiæ, & prægustum illum æternæ beatitudinis consecutus est. Atque hæc de Ulysse Mythologica. Nunc Penelopen, uxorem eius, feminarum gemmam consideremus.

(*f*) *Contemptus religionis: fortunæ vicissitudo: victoria libidinum.*

SYMBOLVM LXXIII.

Penelope casta.

Ex Homeri Odyssea.

Ethicè.

1. Uxor bona. 2. Casta. 3. Otium vitandum feminis. 4. Fides conjugalis.

SIngularis pudicitiæ, formæ, ac fidei conjugalis hæc exemplar extitit; totis triginta annis, quibus Ulysses eius maritus abfuit, pro mortuo vulgò habitus, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem discedenti marito datam violaret, alteríque nuberet. Cùm autem nobilissimi quique, magno numero juvenes, eius limina assiduè tererent, illámque singuli uxorem sibi postularent, sic ut tergiversanti, vim jam jam illaturi viderentur; tantum moræ ad deliberandum impetravit mulier tam astuta, quàm casta, quantum telæ, quam in manibus habebat, absolvendæ satis esset. Verùm de nocte retexens, quæ interdiu texuerat, procos in adventum Ulyssis distulit; qui post tot annorum intervallum domum redux universos è medio sustulit.

Ethica.

1. (*a*) Propter castimoniam tam insignem, Penelope tam apud Historicos, quàm apud Poëtas præclarum meruit elogium. Quid enim? fuit Penelope femina; fuit opulenta; fuit ambitione digna; fuit ita deserta à marito, ut vidua posset haberi, fuit muneribus, alloquiis, lenociniis sollicitata: neque unum tantummodò habuit sollicitatorem, sed multos; & superavit omnes. Quanta res est, inter tot impuros castam mansisse? In his scopulis quot aliæ feminæ navem fregissent, & quàm multas naufragii sui accusationes attulissent? Sic Homerus eam laudat, sic alii prædicant Poëtæ; qui meliores pudicitiæ laudatores, quàm amatores, crediderunt tamen, eam per tot annos castitatem servare potuisse. Horum unus ita canit:

Penelope mansit (quamvis custode careret)
Inter tam multos intemerata procos.

Non defuerunt omni ætate feminæ, quæ ingenio atque arte, non secùs atque Penelope illa,

Nocturno solvens texta diurna dolo.

Castum servarunt cubile. Omnibus gentibus suæ fuere Susannæ ac Sabinæ, mori quæ maluerunt, quàm fœdari. Præclarè Siracides c. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*, id est, casta, proba, Deo maritóque servans fidem. Alludit ad illud Proverbiorum 18. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Septuaginta vertunt. *Invenit Gratias & Charites.* Vidit hoc Plutarchus quoque, qui docet felices esse nuptias illas, à quibus *Charites* non exulant. VidetúrqueSalomon tres charites in conjugium adducere, hoc est, *amorem* quendam, omnes temporis differentias amplectentem. Multi enim amorem præmittunt conjugiis, quia nubunt, ut ajunt, per *amores*. Sed vix-dum nuptiæ copulatæ sunt, cùm amor intepescit. His una duntaxat ex Charitibus præfuit. Alii nuptias non solùm ex amore susceperunt, sed etiam aliquamdiu post nuptias in eo perstiterunt; postea tamen decursu temporis deferbuit æstus ille, & tantùm non penitùs refrixit. His nuptiis duæ Charites interfuerunt. Tertii sunt, quorum amor & conjugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, ac deinceps toto vitæ tempore constans fuit. Atque his trium charitum, in unum conspirantium, favor felicitatem connubii artulit. Multi quærunt uxorem pulchram, alii nobilem, alii opulentam, pauci *bonam*. Quod tamen præcipuè quærendum est,

(*a*) *Vxor bona.*

est, & paucis obtingit. Mulier enim naturâ fragilis, est cupida, pigra, dicax, procax, fallax, maligna: adeò ut Ecclesiasticus c. 25. dicat: *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Celebre est illud Socratis dicentis, tria se mala assecutum, Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam uxorem: duo priora se jam effugisse, tertium effugere non posse. Et illud Menandri: *Vxor est malum necessarium.* Et notanter dixit Salomon, qui *invenit*, ut indicet fortuitum quid esse uxorem bonam. Quæ certô consiliô nanciscimur, dicimur sumere, & accipere; quæ verò fortuitò obveniunt, *invenire*: præsertim quia mulieres omnes, antequam in uxores ducantur, ostendunt se bonas, generosas, & amabiles, tegúntque suas iras, cupiditates, otia, & vitia, quæ tum primùm exerunt, postquam ductæ sunt. Hæc Cornelius à Lapide in memoratum Salomonis locum.

II. (*b*) Ulysses cum Penelope tres Charites domum duxit, dum uxorem probam, pudicam, industriam sibi copulavit. De huiusmodi conjuge prædictus Salomon Proverb. 5. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus:* id est, filius, ex matrona casta susceptus. Est enim amor cervi & cervæ singularis. 1. Velocitas in iis mira ad invicem opitulandum. 2. Carent illi felle, ut mutuam charitatem intelligas. 3. Cervæ sunt acri auditu, timidæ, & adversus hominum insidias circumspectissimæ; quod maritatis notandum, ne plus æquô virtuti suæ fidant. Procos habuit Penelope, habent & ipsæ. Caveant suspectum consortium, ne contingat illis; quod Martialis de Lævina canit, lib. 1. Epigram.

Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tetrior ipsa viro;
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno;
Et dum Bajanis, sæpe fovetur aquis.
Incidit in flammas, juvenémque secuta, relicto
Conjuge, *Penelope* venit; abit *Helene*.

III. (*c*) Conservationem pudicitiæ suæ debuit Penelope manuum labori, nendique ac texendi exercitio; neque enim Ægisthi solùm, sed etiam Clytemnestræ desidiâ fiunt adulteræ. De hoc argumento alibi. Hîc sufficiat monere, colum & fusum, acum & filum esse feminarum ornamenta, instrumenta, munimenta; unde laudem sexui, virtutem animo, præsidium comparent castitati. Otium, si mortalium ulli conditioni perniciem adfert, tum imprimis fugiendum est feminis, quas cùm natura molliores effecerit, ignavia facilè dissolvit, ac corrumpit. Non incongruè huc applices id, quod de S. Antonino Florentinorum præsule refer-

(*b*) *Vxor casta*, (*c*) *Otium vitandum feminis.*

tur, eum vidisse Cœlites ædibus quibusdam insidere; in quas ingressus, cùm duas virgines operi cum matre intentas reperisset, liberali manu paupertatem sublevavit. Verùm cùm illæ ditiores factæ luxui deinceps se dedissent, pulsisque è tecto bonis geniis, mali successissent, ut meliores iterum hospites in ædes immigrarent, emigrare otium jussit. Fasti Mariani. 2. Maii. Penelope si minùs laboriosa, minùs casta fuisset. Telam certè texuit, quot filis, tot laudibus æternitati commendatam; tantò absolutior omnibus Gratiis matrona, quantò minùs absolvit, quod solvit, & sæpius retexuit, quod eleganter pertexuit.

IV. (*d*) Maritalis fidei illustre documentum producit Fulgosus lib. 4. c. 3. Franciscus, inquit Sforcia Mediolanensis, Florentini populi copiarum dux, Casanovam oppidum vi ceperat. Quidam milites insigni forma puellam captivam ducebant, clamantem, ut ad primarium ducem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco; quamobrem ad se venire cupisset, respondit, ut eius voluntati obsequeretur, modò incolumis à militum injuria servaretur. Franciscus amanti, uti videbatur, paruit: cúmque noctu eam complecti vellet, puella lacrimarum plena, per Virginem DEI matrem, cuius imaginem lecto de more affixam Franciscus, singulari veneratione colebat; item per famam, quæ de ipsius bonitate apud omnes erat, rogavit, ne se castitatis honore privaret, sed marito intactam potiùs restitueret, qui cum aliis captivis in vinculis custodiebatur. Dux pudicitiæ eius conspectò studiò, statim lecto prosiliit: manéque accersito ad se viro, eam publicè restituit, adjurans, nihil cum ea sibi rei fuisse. Idem narrat de Engeltrude, nobili Ravennati puella, cuius pater cum Ottoni Imp. eam osculandam offerret, illa de genibus in pedes se erigens (nam in templo tum erant) & stans rubore perfusa dixit: Ne mi pater promittas cuiquam, quod non est in potestate tua. Equidem priùs quàm ab alio viro, nisi futuro marito, me contrectari permittam, hoc cultro (& simul eum eduxit) pectus meum perfodiam. Quod tam generosum dictum sic Imperatori probatum est, ut illi virum insignem Guidonem, unum è Palatinis cum ampla dote dederit. Quin gentiles etiam feminæ in hac virtute excelluerunt. Plutarchus de Lacæna refert, eam de stupro appellatam, respondisse: Puella cùm essem, patri didici dicto audiens esse; idque feci; postquam nupsi viro.

SYM-

(*d*) *Fides conjugalis.*

SYMBOLVM LXXIV.

Polydorus nefariè peremptus, ex tumulo loquitur. Mater ejus Hecuba in canem migrat.

Hom. Iliad. X. Virgil. 3. Æneid. Ovid. 13. Metamorph.

Ethicè.

1. Avaritiæ peſtis. 2. Ira feminarum. 3. Vxor litigioſa. Quomodo compeſcenda.

Polydorus, Priami filius ex Hecuba fuit, quem pater initio belli Troiani, incertum communis Martis exitum metuens, cum magno auri pondere educandum tradidit *Polymneſtori* Thraciæ regi, antiquo hoſpiti, amico, & genero ſuo. Sed ille deletâ Troiâ, cæteriſque Priami filiis ferè omnibus interfectis, auri cupiditate abductus, Polydorum in littore navis ſpatiantem telis aggreditur, & fruſtra fidem deorum, hominúmque implorantem occidit, cæsóque tumulum injicit, cui poſtea myrti virgulta ſupercrevere. In eas oras Æneæ claſſem, Troiâ captâ, profugi, detulerant venti, exſcenſione facta, conſtituit ipſo in littore urbem condere, quam *Ænum* à ſuo nomine appellavit, ídque ut fieret auſpicatò, diis ſacrificia inſtituit. Fortè collis in oculos incurrebat, corno ac myrto densè conſitus, accedit, & ad aram frondoſa ſtirpe tegendam, myrteas virgas humo vellere connititur. Et ecce formidabile oſtentum; arbuſcula, quam ab ima radice convellerat, cruentas guttas deſtillat. Ille cohorreſcere, & artubus omnibus contremiſcere. Iterum aggreditur, & iterum terretur ſimili monſtro, ad tertium haſtile convellendum, cùm majore vi nixus incubuiſſet, flebilis quidam gemitus ab infimo colle ad aures accidit, & ſecundùm gemitum vox hominis, conquerentis, ne miſerum dilaniaret: parceret ſepulto, néve pias manus inquinaret ſcelere cognati ſanguinis: Polydorum ſe eſſe, hîc loci telis & terra obrutum, è quibus hæc ſilvula excreſceret; fugeret ocyus terras perfidas & impias, ſalutíque ſuæ conſuleret. Ad hæc obſtupeſcenti, & horrore perfuſo Æneæ, cæpit tumulatus enarrare ſeriem fatorum ſuorum. Ille ad ſe ex pavore reverſus, Polydoro ritè in-

ferias facit, justisque persolutis, barbaram tellurem linquit, versùs insulam Delon vela facit, non sine dira execratione sceleratæ cupidinis habendi.

Aliter paulò recenset hanc fabulam Euripides in Hecuba tragœdia, & ex eo Ovidius. Scilicet Polydorum etiamnum infantem à parente Priamo ad Polymnestorem Thraciæ regem, missum, clàm alendum, addito magnò auri pondere. Vt verò ceciderat fortuna Phrygum, impium tyrannum corripuisse ferrum, jugulúmque puero multis vulneribus hausisse: Vtque criminis suspicionem à se aboleret, cadaver in undas projecisse. Græcos eversâ Troiâ, dum repetunt patriam, in eam Thracum regionem cum captivis viris, feminisque delatos: ibi Hecubam nuper Troianorum reginam, Priami conjugem, cum concaptivis feminis, post tot suorum clades & funera, Vlyssis servituti addictam, cùm fortè corpus Polyxenæ filiæ, ibidem ad aram mactatæ ablutum ad littus progrederetur, Polydori sui cadaver, fluctibus ejectum, multisque plagis confossum reperisse; primóque stetisse attonitam, postea agnito filii corpore, in lamenta effusam; denique ultionis cupiditate stimulatam, Tyrannum ad secretum colloquium evocâsse, simulâsséque, se ingens auri pondus velle illi secretò indicare, quod pro filio redderet (nam Polymnestor finxerat Polydorum vivere ac valere) cæterùm hominem avarum, fide adhibita, in tabernaculum captivarum ingressum, protinus ab iis invasum, unguibus laceratum, & exoculatum fuisse. Quô compertô Thraces lapidibus ac maledictis Troiadas abnavigantes incessisse: Hecubam diras, ac devotiones in barbaros strenuè regessisse, subitóque in canem, corpore magis, quàm animo mutato, conversam fuisse.

Ethica.

---------- Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames

(*a*) Exclamat in commemoratione hujus cædis Maro. O detestabilis & execranda (hoc enim significat vox *sacra*) auri cupiditas quod officium non violas, quod hospitium non polluis, in quæ scelera non adigis eos, quos possides! Quid verò crudelius? Polymnestor rex occidit regis filium alumnum; quid perfidiosius? propinquum: quid injustius? hospitem: quid magis nefarium? Et cur? ob aurum,

ob

(*a*) *Avaritia pestis.*

ob metallum fulvum, quod à Plinio vocatur *perniciosum*, à Persio *dolosum*, ab Ovidio *nocentissimum*, à Propertio *inimicum* fidei, à Platone *injustum*, à Plauto *malesuadum*, à Virgilio, quod fas omne abrumpit, & omnia divinarum, humanarúmque legum jura perfringit! Tullius 4. offic. Nullum vitium est tetrius, quàm avaritia, præsertim in Principibus, & rempubl. gubernantibus, qualis erat Polymnestor. Et Sallustius in Catil. avaritia fidem, probitatem, cæteráque bonas artes subvertit: pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Avaritia scelerum omnium mater est. Anacreon hoc conqueritur.

Pereat malè, expetendi
Qui, primus auctor auri:
Spernuntur hinc parentes:
Hinc cura nulla fratris:
Hinc & cruenta bella:
Quod maximum malorum est,
Quicunque amamus, omnes
Per hoc perimus unum.

Huic adsonat Tibullus lib. 1. eleg. 10.

Quis fuit horrendos qui primus protulit enses?
Quàm ferus, ac verè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit; nos ad mala nostra
Vertimus, insævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cùm scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat: somnúmque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.

Quia verò de hoc vitio sæpius disserimus, non opus est hîc exemplis crudelitatis & proditionis propter aurum patratis. Id advertamus, nullum esse nefas tam occultum, quin denique in lucem erumpat. Putabat Polymnestor, facinus suum alta tellure sepultum; erravit. Manes sunt subterranei, & sanguis ex tumulo quoque loquitur. Quod si cadaver (ut alii scribunt) in mare jactavit, enatavit tamen, ducente Nemesi, & cædis autorem manifestante. Ita nec terra, nec undæ perfidiam ferunt, tegúntve. Nox, oculorum tyranno diem abstulit, ut clariùs

clariùs in tenebris ſcelus ſuum videret, & meminiſſet cæcitatem ſe nimio fulgori, quod aurum reddebat, debere. Hæc de Polymneſtore. De Hecuba in canem mutata paulò plura commentabimur in earum gratiam, quibus canina eſt in ore facundia.

II. (*b*) Quid ira ſit feminea cùm aliàs perſpeximus, tum ex Hecuba & concaptivis Troiadibus patet. Proverbiô fertur. *Ex ungue leonem.* Scilicet æſtima. Polymneſtor quamvis rex ex mulierum unguibus didicit, qualis ſit bellua ſexus hic, furore concitatus. Siracidis dictum eſt c. 25. *Non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Etiam ferociſſimæ beſtiæ cicurantur; mulier iracunda cùm ſemel debacchari cæpit, nullos rationis frænos admittit, exaſperatur mulcendo. De hac bellua Salomon Prover. 21. *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda.* Et iterum ibidem: *melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa in domo communi.* Id eſt, ſatius eſt ſolitarium degere in tecto, & ſub dio, ventis, pluviis, cæteriſque aëris injuriis exponi, quàm in domo communi & domeſticis frequente, habitare cum muliere contentioſa. Hujus enim litigia omnibus cœli injuriis reſpondent: dum clamat, tonat: cùm probra & maledicta jacit, fulminat: cùm contendit & litigat, nimbos & tempeſtates ciet: urit, cùm querula eſt: & cùm rigidam ſe, & minimè amantem exhibet, glaciem effundit. Expertus has tempeſtates eſt Socrates, quem cùm uxor Xantippe poſt multos clamores, aquâ per feneſtram ſparsâ perfudiſſet: Facilè, inquiebat, hoc futurum putabam, ut poſt tonitruum, pluviam ſentirem. Menandri vatis monitio eſt: Præſtat canem irritare, quàm anum, qualis fuit Hecuba. Sed juvenculæ plus etiam, quàm vetulæ dentatæ ſunt: viris non tantùm oblatrant, ſed eos etiam invadunt & mordent, ut Polymneſtorem Phrygiæ, quas, Poëta teſte,

-------- facit ira valentes.

De Hecuba Ovidius:

-------- at hæc miſſum rauco cum murmure ſaxum
Morſibus inſequitur: rictúque ad verba parato
Latravit, conata loqui.

Quotidiana hæc feminarum metamorphoſis: de quibus Plautus in Menæchmo

M. Non tu ſcis, mulier, Hecubam quapropter canem
Græci eſſe prædicabant. V. non equidem ſcio,
M. Quia

(*b*) *Ira feminarum.*

M. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quemcunque aspexerat.
Itaque adeò jure cæpta est appellari CANIS.

III. (*c*) Me herclè miserum illum, cui cum his canibus *in puteo*, juxta adagium, hoc est, in matrimonio *pugnandum est.* Neque diu, neque noctu datur missio. Vnicum remedium, robusta patientia. Qua virtute Socrates excelluit, de quo Aulus Gellius lib. 1. c. 37. Xantippe Socratis Philosophi uxor morosa admodum fuisse fertur & jurgiosa: irarúmque & molestiarum muliebrium per diem, pérque noctem satagebat. Has ejus intemperies in maritum, Alcibiades demiratus, interrogavit Socratem, quænam ratio esset, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret. Quoniam, inquit, Socratres, cùm illam domi talem perpetior, insuesco & exerceor, ut ceterorum quoque foris petulantiam & injuriam faciliùs feram. Secundùm hanc sententiam Varro quoque in satyra Menippæa, quam de officio mariti scripsit. Vitium, inquit, uxoris aut tollendum, aut ferendum est: qui tollit vitium, uxorem commodiorem præstat; qui fert, sese meliorem facit. Quàm rarum, ait S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum, mulierem sine his vitiis inveniri, novit ille, qui duxit uxorem. Unde pulchrè Varius Geminius, sublimis Orator. Qui non litigat, inquit, cœlebs est: *Melius est enim habitare in angulo tecti, quàm cum uxore maledica in domo communi.* Si domus communis mariti & uxoris, erigit uxorem in superbiam; & contumeliam viro facit; quantò magis, si ditior uxor fuerit, & in domo ejus vir manserit; incipit enim non uxor esse, sed domina, & vito, si offenderit, migrandum est. Porrò, homini cœlibi elegans epitaphium à Lipsio positum est: *Caruit uxore, prole, lite.* Festivè apud Ausonium querelam suam claudit quidam, rixoso matrimonio involutus:

Jámque repugnanti dedam me, ut denique victa
Jurget ob hoc solùm, jurgia quòd fugiam.

Et quoties frons est obfirmanda viri, & maledicentiæ sputa excipienda. Lepidum est, quod scribit Rudolphus Camerarius Centur. 2. memorab. c. 32. Tubingæ medicus, & ejus artis Professor, conjugem imprimis charam habuit. Hæc eo tempore, quo uterum ferebat, liberaliorem ovorum numerum in foro emerat. Domum ea referens, & mariti musæum ingressa, ingemuit altùm. Maritus tam serii gemitûs causam scisciatari, & verò etiam solari promptus: Quid est, aiebat, quod

(*c*) *Vxor litigiosa, quantum malum.*

cruciet? dic mea conjux, quid hunc gemitum expreſſit? Illa tam ſuavi quæſtione jam animoſior: Mi marite, inquit, noſti me gravidam, & quanti ea res periculi ſit, gravidarum appetentiæ obluctari. Et quid ego hîc diſſimulem? ingens cupido me inceſſit, hæc ova omnia, ſed ordine in tuam faciem projiciendi ac frangendi. Quid hîc ageret maritus? conjugis amor & periculi metus potentiſſimè perſuaſerunt, cupiditati huic cedere. Ergo bonus vir, conjugi ſuæ jaculatrici futurus ſcopus, ſtrophium exponit, & vultui præpandit. Mox illa ordine, prout animus ſuggeſſerat, ova jaculando frangit in mariti facie. En ſtomachum ferreum tot ovorum concoctorem; ſed durior etiam eſt ille, qui feminarum jurgia, maledicta, convitia perferre, aut contemnere poteſt. Et verò perferenda ſunt, niſi tuo malo velis irritare magis crabrones. Conſilium hoc etiam Comicus ſuppeditat in Amphitryone act. 2. ſcena 3.

Non tu ſcis, Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier,
Ex inſana inſaniorem facies: feriet ſæpius,
Si obſequare, unâ reſolves plagâ.

Alluſum ad morem, quo Bacchanalia celebrantes Mænades obvios thyrſis feriebant. Ita Pericles feminæ caninam maledicentiam eludendo repreſſit. Is devictis Samiis, Athenas reverſus, cùm pro concione laudâſſet eos, qui in bello ceciderant; cæteræ matronæ redeuntem à concione coronis, ac vittis decorârunt. *Elpinice* verò Cimonis ſoror propiùs accedens, dixit illi: præclara ſunt iſta, quæ geſſiſti, & coronis decoranda, qui nos tot fortibus viris ſpoliâſti? At hæc, aliâque convitia nihil commotus Pericles, tantum arriſit: nec aliud reſpondit, quàm verſiculum Archilochi:

ἡ σὺ μυρῶσι γραῦς ἐοῦσ' ἐλείφω.

Unguento, anus cùm ſis, caveto inungier.

Aliquando tamen juſta indignatio vincit animum. Sapientiſſimus Hebræorum dixit: *Tecta inviter perſtillantia, litigioſa mulier.* Prov. 19. Uxor enim rixoſa crebris ſuis litibus & quiritationibus, veluti ſtillis, aſſiduè tundit & pulſat aures animúmque mariti, ac tandem pertundit, ut eum in iram, impatientiam, triſtitiam, mœrorem continuum, qui ipſum conſumat, adigat. Ut enim ſtillæ continuò cadentes cavant lenſim lapidem: ſic uxoris aſſiduæ rixæ exhauriunt cor mariti. Menander ait: Tempeſtas in domo eſt viris mulier. Socrates tamen aſſiduis Xantippes ſuæ jurgiis exagitatus, ad ea jam occalluerat, ut iis non magis moveretur, quàm ſi rotæ putealis ſtridorem audiret.

(d) Non

(*d*) Non defuere tamen, qui hunc ſtrepitum paulò majore ſtrepitu, crepitúque retundere laborabant. Ex his victor erat, cujus conjux cùm finem jurgandi nullum faceret, tandem expugnatâ patientiâ, dolium ingens & multarum urnarum capax in mediam plateam provolvi juſſit. Cúmque illa ad priſtinas ſuas contentiones & vociferationes rediret, victor doliariis ſuis ſervis ad id jam antea clàm conſtitutis ſignum dat. Quô illi acceptô, ſubitò prorumpunt, feminámque mediam correptam, in dolium conjiciunt. Ibi illa incluſa, vix, cùm ſubſiliret, oculis potuit eminere, & tamen velut è cathedra cæpit vocaliſſimè detonare in maritum. Eo igitur alterum ſignum dante, victores per circulum ambientes, malleis tucticuliſque dolium, uſque ad inſaniam mulieris, illud contundunt. Illis pulſatione longa fatigatis ſucceſſerunt pueri, qui cavum dolium ſaxis cædentes, non minore ſtrepitu, quàm clamore omnia complevere, ſarcaſmum acerbiſſimum addentes, atque præ indignatione inſanientem identidem *Diogenis* uxorem vocitantes. Mulier ſeu furiis ageret, ſeu prece, rupta intus eſt propemodum, quod ex hoc gurguſtio emergere prohiberetur; donec maritus ſpectaculo ſaturatus in cauponam conceſſit. Tunc enim capta dimiſſa eſt, bonóque operæ pretio doliariis perſoluto, tandem ferocire dedidicit. Stengel. de matrim. tom. 2. c. 30. §. 10. Alius contra tumultuoſam uxoris linguam crepidam vibravit, eámque non perfunctoriè tetigit. Expoſtulantibus de injuria propinquis feminæ, reſpondit, ſeſe graviùs ab ipſa, quippe malleo lotorio percuſſum eſſe. Mirantur cognati, qua ratione malleus ligneus in iratas uxoris manus venerit; ille ſubridens, linguâ, inquit, me verberavit, quam ego latiori illi malleo non abſimilem, ſed eo longè graviorem cenſeo. Vtrinque riſus, & gratiæ conciliatio. Drexel. de lingua tumultuoſa. Hanc ut compeſceret Xantippe quædam, conſilio viri cujusdam prudentis, aquam ori immiſit, eámque tamdiu retinuit, donec deſæviret ebrioſi mariti tempeſtas. Utinam plures hoc uterentur pharmaco. Huc appoſitè Hebræus monet ſapiens Prov. 17. *Qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum.* Explicat S. Gregorius: aqua dimittitur, inquit, cùm linguæ fluxus effunditur. Si vis ut illa litigiorum rota non currat, & in orbem revolvatur, ſiſte aquam, contine linguam. Secus ſi fiat; echo habebis, ad unum verbum contentiosè prolatum, ſex, ſeptémve reddentem, uti Lucretius cecinit:

Sex etiam, ac ſeptem vidi loca reddere voces,
Unam cùm faceres: ita colles collibus ipſi

(*d*) *Vxor rixoſa quomodo compeſcenda.*

Verba repulsantes, iterabant verba referre.

Et mirum sanè est, hanc vocis reciprocationem ne tum quidem silere, quando mortis imperio silent omnia. Extat Romæ in via Tiburtina monumenti inscriptio hæc.

Heus viator, miraculum. hic vir & uxor
Non litigant. Qui sumus, non dico. At ipsa
Dicam: Hic Bæbius ebrius ebriam me nuncupat.
Hei uxor, etiam mortua litigas?

Aliud hujus rei exemplum accipe. Nimis strictè demessum prati fœnum, quidam pastor deambulans, arguebat. Uxor hujus ambulationis comes, nasutiùs locutura; non enimverò *messum*, sed *detonsum* esse gramen, contendebat. Adversùs hæc, viro identidem pro messione, feminâ pro tonsura litigantibus, contentione tanta, quanta forum est; rixa denique, mox fœda pugna, & mulieris in vicinum puteum præcipitatio subsecuta est. Cæterùm in aquis adhuc, & exitio proxima Hecuba, tamen tonsi graminis vocem & controversiam, quasi pro reipubl. summa, moriens retinuit: retentámque geminis exporrectis in forficis modum digitis, est professa: magnum pertinacis, pro lana caprina patrocinii, exemplar mulieribus futura. *Ex speculexempl.* Uxoris hujus, & heterocliti ingenii probè gnarus fuit maritus ille, qui cùm submersæ conjugis cadaver contra torrentem incedendo quæreret, interrogatúsque cur adverso flumine ascenderet, cùm prono alveo deferantur mersa corpora, respondit, notum sibi uxoris esse genium suæ, quæ cùm in vita semper se contrariam sibi exhibuisset, eum morem in morte quoque retenturam fuisse. Adeò genus hoc Canidiæ, juxta ideam Hecubæ, si non latrant, certè latrantis rictum canis, etiam tum exhibent, cùm in sepulchrale saxum abeunt. Cornelius illud Prov. 27. *Ferrum ferro acuitur*, sic explicat: si vir rigidus in rigidam, & rixosam uxorem incidat, alius alium ad iram & rixam exacuit. Oportet igitur alterutrum cedere, & spatium dare animo. Quod si lenitate verborum non mollescat uxor, induat vir duritiem ferri, & asperitatem asperitate majori verborum & verberum, si opus sit, retundat & contundat.

Quocirca Poëtæ Veneri maritum dedere Vulcanum, qui procacitatem ejus malleando contunderet.

Hæc ille.

SYM-

SYMBOLVM LXXV.

Achilles Imperatoris fortissimi Prototypon.

Homerus & Hesiodus.

Ethicè.

1. Quantum sit positum in educatione. 2. Timor DEI per Chironem significatus. 3. An ars canendi dedeceat Principem? 4. Libidinis vis. 5. Litteræ Principibus sunt ornamento. 6. Veritas non potest opprimi. 7. Salus ex hoste.

PELEI fuit ex Thetide, Nympha marina, filius *Achilles*, quem adhuc infantem mater Stygiis immersit undis. Ex quo factum, ut eius corpus tela omnia retunderet; nec ullo sauciari modo posset, præterquam in ea parte pedis, qua prehensus erat, dum ablueretur. Traditus est educandus *Chironi* centauro, à quo leonum visceribus, aprorum ac ursorum medullis, lactis loco fuisse pastus perhibetur. Hinc videlicet infracta illa ortum habuit magnitudo animi, corporisque robur invictum; adeo ut insignes fortitudine duces, *Achilles* appellentur, & *Achilleum* dicatur *argumentum*, quod contrariis rationibus infirmari non potest. Ab eodem Chirone (avo scilicet) præter artem pulsandæ citharæ, usúmque herbarum, & peritiam venandi, jaculandi, medendi, leges æquitatis, ac præsertim scientiæ militaris edoctus fuit. Cúmque juxta oraculum Troja sine Achille capi nequiret, mater vitæ illius metuens, admodum adolescentem inter Lycomedis Regis filias, puellari habitu abscondit. Sed tamen ab Ulyssis astu compertus, eius expeditionis laborem ac pericula devitare non potuit. Thetis igitur cognita filii necessitate, ad Vulcanum accessit, impetravítque, ut arma fabricaret, nulla vi humana penetrabilia. Factum est, quod petiit. Proficíscitur ad bellum Trojanum Achilles: post multa præclarissimè gesta amoribus puellæ implicatus (*Briseis* vocabatur) quæ expugnatâ Lyrnessô, Trojadis oppido, ipsi victori in sortem cessit; posteáque ab Agamemnone erepta, implacabilis dissidii causa fuit inter utrumque; adeo ut Achilles aliquamdiu bello abstinuerit, nec ullis precibus permoveri potuerit, ad militiæ munia resumenda; donec *Patrocli*, amici conjunctissimi, ab Hectore occisi, nece exacerbatus, & ultionis

cupiditate accensus, arma corripuit, cúmque *Hectore*, Priami filio, Trojanorum fortissimo congressus, ipsum interfecit, mortuúmque currui alligatum, ter circum Trojæ muros raptavit, ac demum Priamo corpus vendidit. Tandem & ipse in Apollinis templo ex insidiis, à *Paride* sagitta trajectus est, dum conjugium Polyxenes, eiusdem sororis, speraret, & cum Andromache, Hectoris uxore, de nuptiis tractaret. Sepultus est in Sigæo, Phrygiæ promontorio.

Ethica.

Multa de hoc heröe commemorat Poëtarum Princeps Homerus. Unde & Cicero pro Archia: Quàm multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur. Atque is, cùm in Sigæo ad Achillis tumulum adstitisset: O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis præconem Homerum inveneris! Pindarus ait, exequiale ei carmen Musas cecinisse.

I. (*a*) Ad virtutis præclaræ decora maximum Achilli præsidium contulit, cùm ipsa indoles ad summa quæque nata, tum institutio præstantissimi magistri Chironis, qui optimis eum præceptis à puero imbuit, & adolescentem ingenuis artibus ac exercitiis ad laborem induravit, ad scientiam percoluit. De severitate eius disciplinæ Ovidius 1. art.

Phillyrides puerum citharæ præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus jussas præbuit ille manus.

Eleganter de eodem recentior Poëta: Achillem

Tela Centaurus docuit rotare,
Saxa moliri, superare fossas,
Stare Sperchium, glaciémque contra, &
Sistere flumen.
Fessus ex silvis quoties redibat,
Censor inspectis rigidus sagittis
Semifer, sparsum tigridis cruore in
Colla levavit. Jac. Balde. l. 1. Lyr. Od. 2.

In

(*a*) *Quantum sit positum in educatione.*

In eundem Chironem Centaurum, jam cælo receptum, ubi Sagittarii nomen inter XII. Signa Zodiaci obtinet; alius:

Cur humeris alæ? Quòd mente ad Sidera surgit.
Missile cur telum? Mentis acumen habet.
Cur Equus est partim? Frænis obtemperat Æqui.
Cur & Homo? Humanum docta Minerva facit.
Talem igitur magni Reges meruere magistrum,
Quos non esse feras edocet iste *Ferus*.

Plurimùm sanè interest, qualis sit puerorum educatio. Si mollis & fracta: nihil generosum à viro exspectes; Paridem nutrivisti: si rigidior & asperior, leonem eduxisti, qualis Achilles erat. *Filii tibi sunt*, inquit Ecclesiasticus c. 7. *erudi illos, & curva illos à pueritia eorum*. Singulares in liberorum institutione fuere Lacones. sive Spartani, apud quos puer, testante Plutarcho, à quopiam castigatus, si querelam ad patrem detulisset, turpe erat patri, si hoc audito, non iterum filium emendâsset. Themistocles quoniam adolescens feroci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores, dicere solebat, asperos, & indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectámque institutionem. Non rarò enim vel vitium naturæ, vel parentum, corrigit solertia præceptoris. Theodoricus Rex suos Gothos ad militiam instruens, producite, ait, juvenes vestros in Martiam disciplinam; nam quod in juventute non discitur, in maturâ ætate nescitur. Cassiod. lib. 1. Epist. 24. Et Veget lib. 1. c. 4. Inspicientem, ait, pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat: non enim tantùm celeriùs, sed etiam perfectiùs imbibuntur, quæ discuntur à pueris. Diodorus de Balearicis scribit: Ita rectè lapides propellunt, ut rarò effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuò à pueritia usus præbet, à matribus ad id certamen coactis: imponunt enim supra erectum lignum panem, signum, quod jactu petant, neque antè cibum capiunt, quàm panem lapide ejectum pro cibo sumant. Nicolaus Caussinus de regno Dei, dissertat. 13. Certissima res est, inquit, per vitæ mollitiem omnes ingenii nervos infringi, nec magnificum quid ab eo exspectandum, quem à teneris calcata indole voluptas subegit. Unde quæso in veterum scriptis tam frequentes de expotitiis infantibus historiæ: ut de Cyro, de Romulo, de Telepho Herculis filio, aliisque: qui omnes inter aspera montium & horrida sil varum, inter humiles casas, duro & rusticano victu adolevere? Ne putemus hoc sorte tantùm contigisse, sed ipsa sæpe destinatione parentum, qui conditionis

suæ

suæ ignaros, committebant alendos agrestibus, ut austeris rebus assueti, militiæ labores perferrent alacriùs, & à deliciis prorsus abhorrerent. Tamerlanes ille orbis terror, non barbarus, ut plerique fingunt, sed ut auctor vitæ, sapientissimus princeps, cùm de orbis domiti victoria rediret, & filiolum inter nutricum ulnas, galero tectum deprehendisset, castigata mulierum mollitie, jussit nudo capite ambulare, nec ullis assuefieri deliciis. Hæc ille. Recentius est, quod de Henrico IV. rege Galliæ, cognomento Magno proditur in hunc modum. Antonius Borbonius Navarræ Rex, cùm pueros suos omnes molliter, & plus quàm regali cura educari jussisset, advertit, doluítque singulos immaturo fato sibi eripi, & regnum denique ad feminas devolvi debere. Interea Joanna regina enixa est puerum Henricum, magno omnium plausu, & congratulatione. Hunc ut immaturæ præriperet morti, noluit inter aulæ delicias, ut alios enutriri, sed ruri apud colonum, communi agrestium puerorum victu educari in campo, bubulci instar pecora agere, sudare, algere, dúmque per ætatem licuit, militiæ nomen dari permisit. Atque per hæc tam varia atque ardua rudimenta tantus heros evasit, ut verè corpore & animo *Henricus magnus* extiterit. Engelgrave tom. 2. Dom. 6. post Pascha. Verè Cicero lib. 1 de offic. Maximè hæc ætas à libidinibus est tollenda, in laboribus & patientia animi & corporis exercenda, ut in bellicis & civilibus officiis eorum vigeat industria. In quo genere educationis olim Lacenæ feminæ illustres fuêre, quarum vox fuit: *solæ nos viros parimus.* Nam quales matres, tales partus, robusti, animosi, strenui. Et quia hic locus illustris est de educatione pueritiæ, plusçula in eam rem adferemus: scribimus enim hæc magnam partem adolescentibus, quos cupimus ad virtutem pariter, & eruditionem institui ab iis, qui nomen moderatoris, & officium gerunt. Verè Ecclesiasticus: *Qui docet filium suum, laudabitur in illo* c. 30. Plinius lib. 31. c. 11. tradit, duos alicubi fontes esse, ex quorum altero bibentes oves, fiant albæ, ex altero nigræ: ex utroque variæ. Bona institutio candidos, prava improbos facit, miscellanea versipelles. Achilles imperatoriis artibus à prima institutioue præluśit. Infans duratus est undis stygiis; puerum semifer exercuit. Atque hæc causa fuit, cur Gentiles olim heroum filios recens natos in clypeis ponerent. Theocritus de Hercule & Iphiclo ab Alcmena in clypeo, cunarum loco, collocatis

Cùm ambos foviſſet, & lacte repleviſſet,
Posuit super scutum æreum, quod Pterelæ
Amphitryon, pulchram armaturam ademerat interfecto.

Quin

Quin & Lacenæ in clypeo pariebant, auctore Nonno Dionysio lib. 41. Apud Albanos nato masculo militaria munera offerebantur cum verbis: Armeris puer: quia ad bellum, non ad otium venisti. *Crispin.* Omnia hæc in Achillem conveniunt, quem primis ab annis *Severitas* in sinum, *Disciplina* in ulnas, *Mars* in clypeum, *Pallas* in galeam excepit. Cavendum tamen est, ne Parentes & præceptores, qui secundùm illos sunt parentes proximi, sint usquequaque, sempérque duri, immites & asperi; sed filiis ac discipulis frequentiùs gratiam parvorum delictorum faciant, eáque se videre dissimulent, suam sibi adolescentiam, illámque ad offensiones nimis proclivem ætatem, ante oculos statuentes. Cùm autem ad reprehensionem veniendum, imitentur medicos, qui amaris dulcia miscentes, aditum sibi ad ægrorum utilitatem aperiunt: Sic ipsi objurgationum severitatem lenitate quadam moderentur, atque temperent, & aliquando habenas suorum laxent, aliquando adducant. Sæpius animum liberalem plagæ servilem, fractúmque efficiunt. Frœnorum jam patientes equi, si sæpius verberentur, contumaces, pavidíque redduntur; blanda manu attractati, generosi & audaces efficiuntur. Asini, abjectissimæ pecudes, fustibus, & flagellis impelluntur. Nihilominus gravissimum Divinæ Scripturæ oraculum est, pueros verberibus multandos, asserentis. Unde illustres in eam rem loci. *Qui diligit filium, assiduat. Illi flagella; ut lætetur in novissimo suo.* Eccl. 30. Nam ictus sapiet. Et v. 8. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet præceps.* id est, contumax, intractabilis, in omne flagitium pronus. Et v. 12. *Curva cervicem eius in juventute, & tunde latera eius, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit dolor animæ tuæ.* Malleatione formatur aurum, tunsione lapides, percussione refractaria puerorum natura. Curvanda cervix tenera, ne robustior debeat frangi: principiis antevertendum. Consonat Salomon Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium.* Causam horum dictorum subdit idem Prov. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Stultitia hæc, est puerilis levitas, petulantia, ruditas, imprudentia, inexperientia, inconstantia, concupiscentia: hæc enim colligata, imò innata sunt puero, qui est quasi animal brutum, quod non ratione, sed sensu agitur, omniáque, quæ videt, concupiscit. Pueris & bestiis, inquit Aristoteles l. 6. 13. naturales insunt habitus, sed sine intellectu & mente; *noxii esse apparent*; quare verberibus, virga vel baculo à stultis suis cupiditatibus sunt arcendi. Ubi notanda verba: *virga disciplinæ*, ut intelligas moderatam castigationem adhibendam: *disciplinæ*, non *iræ*. Nam magnopere

gnopere cavendum, ne irati quemquam multemus; malè moderatur juventutem, qui verberando voluptatem sentit, omnémque culpam capitalem facit. Ingenuus adolescentulus blandiùs corrigendus: alternis adhibendæ collaudationes & increpationes; ut hinc ad pudorem redigatur, inde ad laudem erigatur. Si qui reprehensionibus vel verberationibus magis tanquam saxa indurescant, iis pulsandis supersedendum est. D. Augustinus in libris confess. quòd socordior esset in discendo, se vapulasse, idque sibi profuisse narrat. Insuper attendat parens & præceptor, ne peccet in eo, quod in filio aut discipulo reprehendit. Quod Alexander Magnus altero humero elatiore incederet, vitium Leonidis pædagogi fuit, qui humerum dextrum altiùs attollebat sinistro. Id universim in hoc argumento tenendum, quod Athenienſibus oraculum de optimo Reip. statu consulentibus respondit: fore beatam urbem, si puerorum auribus, quod optimum esset, & pretiosissimum appenderetur. *Plut.* Quod intelligendum de salutari doctrina pueris instillanda. De his ornamentis Doctorum sapientissimus: *Audi, fili, disciplinam patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Prov. 1. & c. 25. *Inauris aurea, & margaritum fulgens arguit sapientem & aurem obedientem. Gratia, corona, torques, aurium ornamenta gemmea,* symbolum sunt sapientiæ, disciplinæ, docilitatis, observantiæ, quibus adolescens apud Deum, hominésque gratiosus, nobilitatem sibi non sanguine, sed virtute & ingenio comparat. Et quia de Institutione puerili nobis sermo est, monet Ecclesiasticus, *Qui docet filium, laudabitur in eo,* c. 30. Plato bonam filiorum educationem ponit bonæ Reip. fundamentum. lib. 7. ait: Eius Reipubl. quæ felix esse volet, magistratus in veri Dei, & veri boni cognitione edocetor statim ab infantia, artésque omnes ad eam primariam scientiam ediscendam necessariæ eidem adhuc adolescenti traduntor. Idem lib. 6. de leg. Adolescentiæ recta institutio est publicorum negotiorum maximè serium. Idem in Alcibiade narrat, filios Persarum, cùm ad decimum quartum ætatis annum perveniſſent, commendatos fuisse curæ regiorum pædagogorum, qui ex omnibus Persis seligebantur, ac quatuor erant: Unus sapientissimus, alter justissimus, tertius temperatissimus, quartus fortissimus. Primus docebat Regis filium, quæ erant cultûs divini: secundus instillabat, ut per omnem vitam esset verax: tertius, ne ulla cupiditate vinci se sineret, sed disceret Rex esse sui, gulæque ac cæteris animi affectibus imperare: quartus intrepidum illum atque impavidum reddebat, ne quando quippiam metuens, servus fieret.

Hæc

Hæc omnia unus Achillem docebat Chiron, cui plus debuit quàm parenti Peleo: ab hoc enim habuit, ut *homo* esset: ab illo, ut *heros*; & quidem talis, quem tota antiquitas inter summos Græciæ viros ac Duces celebravit.

II. (*b*) Cornelius noster in illud Ecclesiastici, c. 25. *Timor DEI super omnia se superposuit.* Id est, super omnia eminet, & hominem, sicut sessor equum, à præcipitio avertit: sicut nauclerus, navim à scopulis vel syrtibus retorquet: sicut speculator significat hostes adesse, atque bellandi tempus instare. Addit id ipsum gentiles repræsentârunt per Chironem hippocentaurum, Achillis institutorem seu pædagogum. Talis est Timor DEI. Chironem enim pinxerunt terrificum, & manu arcum tenentem: quia pueri metu & minis à malo coërcendi sunt. Rursus Chironem dixere, sibi commissos nutrire medullis leonum ac cervorum: inventorem esse herbariæ & medicinæ: item Astrologum, musicum, immortalem, translatum in cælum, in Zodiaco collocatum, dictúmque Sagittarium. Quibus omnibus ostendere voluerunt, per *Timorem Dei* homines evadere audaces & fortes adversùs vitia, leonum instar; non sine tamen pavore, qui per cervos indicatur, ne in peccatum ruant. Esse suimet medicos, & habere antidotum contra pravas inclinationes. Esse astrologos, & cælestium rerum memores: musicos quoque concentu virtutum & modulis conscientiæ pacatæ intùs canentis, denique in cælum transferri propter vitam cum integritate transactam. Ita Cornelius.

III. (*c*) Achilles peritus fuit artis canendi citharâ. An satis rectè una conveniunt in manu sceptrum & plectrum, ensis & Lyra? Non pauci sunt, qui negent, & inter illos Henricus Magnus, Rex Galliæ, qui dicebat, nihil vetare, quò minùs Regum liberi musicorum audirent acroamata: musicam autem discere, aut fidibus canere nolebat; cùm præsertim hæc ars nihil iis, præterquam ad amatorias illecebras, sit profutura. Regum propria in pace instrumenta sceptrum esse, & manum justitiæ; in bello gladium: hæc iisdem regiè tractanda; hæc utroque tempore usurpanda prædicabat. Prudentiæ, Justitiæ, Fortitudinis, cæterarúmque virtutum temperiem, regiam planè cantilenam esse musicis legum numeris illigatam, quam quisque quadripartitò solus canere possit. Caussin. in symb. l. 5. c. 32. Aliter senserunt, fecerúntque longè plurimi, de quibus Tullius 1. Tuscul. Quæst. summam, inquit, eruditionem, & animorum institutionem, longè præclaram, esse in nervorum vocúmque cantibus sitam, à Græcis semper ferè creditum est. Hinc legimus Epaminon-

(*b*) *Timor Dei per Chironem significatur.* (*c*) *An ars canendi dedeceat Principem.*

minondam Græciæ principem fidibus præstanti ſſimè cecinisse. Socrates, quo nullus Philoſophorum gravior existimatus est atque sanctior, senex didicit fidibus ludere. Themistocles, quòd in epulis recusásset lyram sumere, indoctior habitus est. Lycurgus quamvis durissimas leges Lacedæmoniis suis injungeret, musicæ tamen studium est amplexatus. Pythagoras, & qui deinceps studia consectati sunt eadem, mundum ipsum non citra musicas rationes concinnatum, coaptatúmque docuerunt. Plato gentibus contributam putat musicam, ut quod animæ consonantiam turbat & harmoniam, hujusce voluptatis delinimento sedetur, atque ad ordinem redigatur. Musica mores instruit, componítque ac mollit irarum ardores, quod vel Homericus Achilles abundè significat. Hæc Cicero. Nam licet Achilles esset *stomachi*, quod Horatius canit, cedere nescii, tamen, ut Homerus scribit ιλ 1. cùm ob simultatem, quæ ipsi cum Agamemnone propter raptam Briseida intercedebat, relictis castris & belli negotiis solitarius ageret, missi ad illum placandum legati, offenderunt eum in navi citharæ cantu ægritudinem animi levantem. Sic nautæ, sic vinitores, sic viatores, sic denique alicui labori alligati, solamen in cantu invenerunt: Infantes, quoque hanc suavitatem non aspernantur, nutricísque cantu à fletu cessant, atque conticescunt. Mysterio non vacat, quod Homerus epulantibus diis, Apollinem & Musas canere finxit. Quid enim aliud indicavit, dum Musicam ne à Deorum quidem conviviis abesse voluit, quàm voluptatem hanc homine sapiente dignam esse, cùm ne à diis ipsis repudietur? Quid, quod Musica torpentes ad bellum animos suscitat, ad labores & arma capessenda exstimulat: hinc illa à tubis, à fistulis, tympanis, classicis ad pugnam hortamenta, & Martis accendendi præludia. Sentiunt vim musicæ ipsa animantia rationis expertia. Est ergo Musica, teste Tyrio dissert. 21. Optima pacis administra, belli comes, animi custos & magistra, affectuum præses, quos nimiùm se efferentes & exultantes demulcet; remissos & dissolutos exacuit & excitat: hæc luctum levat, iram cohibet, cupiditates temperat, dolores mitigat, amores solatur, adversam fortunam sublevat, æquitatem & justitiam docet. Hinc Spartanorum, Cretensium, Athenienſium leges numeris musicis conditæ, ut faciliùs rudibus hominum animísque imbiberentur, quod Strabo scribit. lib. 10. Adeóque non indecorum est viris Principibus, Achillis tractare citharam, & fidium harmoniâ motus animi contemperare. Facesse hinc Paridis lyra, quam sibi oblatam, Alexander noluit tangere, indignum munus fortissimo viro arbitratus amatorias fides. Plutarch. de fortitud. Alex.

Alex. Eſt enim mollium contemptor generoſus animus, qualis in Achille enituit, qui non promptior pectine ad feriendas chordas, quam haſta ad Hectoras transfigendos. Cuius haſtæ vel ipſa rubigo tanti roboris fuit, ut vulnus Telepho Myſorum Regi ab Achilleo mucrone inflictum perſanaret. Cæterùm novimus etiam noſtra ætate Auguſtiſſimos Cæſares, qui exemplo Caroli M. (ut Davidem glorioſiſſimum Hebræorum Regem taceam) non tantùm ſcitè canere, ſed modulos quoque componere muſicos calluerunt, artibus belli pariter ac pacis clari.

IV. (*d*) Achillem à matre ſtygiis merſum undis, ſolô pedis talô, quo tinctus non fuerat, manſiſſe vulnerabilem, ac denique à Paride Troianorum molliſſimo ac timidiſſimo, in appetitis Polyxenæ ſororis nuptiis, periiſſe: ſignificat, virum in bello contra adverſarios fortem & inſuperabilem, pedes tamen, id eſt, affectus habere proprios, quibus vinci ac ſuperari poſſit. Præſertim in *talis*, Veneri dicatis; quòd venæ ex illis ad renes & femora conſcendant, adeóque ſignificent, Achillem, ſeu virum fortem, libidine decipi ac ſuperari; ſæpiſſiméque accidere, ut fortiſſimi quique ab ignaviſſimis fraude trucidentur. Jac. Maſen. ex Fulgentio lib. 2. ſpec. Imag. c. 7. Deinde mea quidem opinione hîc innuitur, ſatis eſſe ad interitum, minima ſui parte ictui patere; Hoplomachum oportet eſſe animum, & undique ſapientiâ obarmatum, ad quem acceſſus vitio ne ſub virtutis quidem ſpecie detur. Nemo ſecurus vivit periculorum, niſi aditus omnes obſervet, unde venire poſſint. Magnum vulnus etiam in exigua parte, & parvo ab hoſte timendum. Per anguſtam rimam illabuntur guttæ, & mergunt navem: tenuis exhalatio, horrenda tonitrua & fulmina ciet: levis aër terræ viſceribus eluctans, altas cum turribus urbes evertit. Mors non modò corporis, ſed animæ quoque ubique viam invenit, quâ perimat. Achilles cætera impenetrabilis, in pede ſagittam & necem accepit; Achabus Rex Iſraëlis loricatus ſubeunte telo inter ſcapulam & cervicem periit. Et quàm multi ſunt, qui ſibi cum Achille ſtygiis carminibus indurati videntur, plerumque tamen leviſſimis in rixis in tartarum, unde auxilium ſperabant; inopinatò deſcendunt.

V. (*e*) Clypeus Achillis, in quo Vulcani operâ, terra cùm oceano, & cœlum cum ſtellis exhibebatur, monet, honeſtas litterarum artes Principibus & præſidio & ornamento eſſe: earúmque tuendarum curam, ne inter arma quidem deponendam.

(*d*) *Libido etiam fortes viros ſuperat.* (*e*) *Littera Principibus ſunt ornamento.*

VI. (*f*) Clypeus Achillis fortissimo dandus, ac iniquo Græcorum judiciô Ulyssi adjudicatus, tandem post ejus naufragium ad Ajacis tumulum vi fluctuum delatus est; sic volente Neptuno, verus ut possessor jus suum vel post mortem obtineret. Refert historiam Pausanias & Q. Calaber. Quô significatur id, quod à Livio dicitur: Veritatem laborare sæpe, extingui nunquam. Tandem bona causa triumphat. Alciatus emblem. 28.

VII. (*g*) Telephi vulnus, hostili sanatum hasta, indicat, sæpe salutem ex hoste provenire. Jasonem Thessalum, qui volebat interficere telo, vomicam eius aperuit, eáque ruptâ salutem homini contulit. Id ipsum Plinius narrat lib. 7. c. 20. de Phalereo Athenienſium Duce, qui deploratus ab amicis vomicæ morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste. Neque rarò plus ad latentem animi morbum sanandum valuit inimici ira aperta, quàm amici dissimulatio occulta.

VIII. Ad extremum discendum ex Chirone, inter astra reposito, ubi sagittarius seu Arcitenens, appellatur, quibus honoribus afficiendi sint Præceptores sapientes & industrii. Deinde vigilantiam docentur Principes, è sideris hujus imagine, de qua hoc epigramma:

Ortus cœlesti Centaurus origine Chiron
Expetiit votis à Jove, posse mori.
Obtinuit. Sidúsque novum post fata refulsit,
Intentóque arcu tela, manúque vibrat.
Sic Princeps celsa quamvis munitus in arce,
Semper in incertas fert vigil arma minas.

(*f*) *Veritas non potest opprimi.* (*g*) *Salus ex hoste.*

SYM-

SYMBOLVM LXXVI.

Ajax insaniens.

Sophocles in Ajace flagellifero.

Ethicè.

1. Reverentia templorum. 2. Iracundiæ cæcus furor. 3. Iræ diversi stimuli. 4. Suîmet carnifices. 5. Qua parte corporis pateat locus vulneri in animum.

Aiaces duos fuisse legimus: alter erat filius *Oilei* Locrensium Regis, velox pedibus, peritus hastæ vibrandæ; captâ Troiâ *Cassandram* Priami filiam, virginem & vatem, in templo Palladis violavit. Quam ob causam domum repetens, fulmine à Pallade occisus est. Virgil. Æneid. lib. 1.

Illa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem,
Disjecítque rates, evertítque æquora ventis;
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopulóque infixit acuto.

Alter erat *Telamone* creatus ex *Hesione*, filia Laomedontis, fortissimus in exercitu Græcorum post Achillem. Multis rebus præclarè gestis, cum *Hectore* congressus est, & nisi nox duellum diremisset, Ajax palmam reportâsset. Discedens igitur, Hectori baltheum suum dono dedit, accepto ab eo gladiô. Achille mortuo, cùm Ajax sibi donata ab eo arma tanquam legitimus hæres repeteret, adipisci tamen ea (Ulysses enim eloquentiâ suâ à judicibus impetrârat) non potuit. Itaque dolori simul ac iræ succumbens, in insaniam incidit, & multa pecora, imprimis arietem corpore præstantem occidit, credens se Atridas (Agamemnonem & Menelaum supremos Græcorum Duces) & Ulyssem interemisse, verùm ad mentis sanitatem rediens, cùm se falsum comperisset, acri dolore compulsus, gladio, quem Hector donaverat, in loco deserto se transfodit: cujus cruor in hyacinthum florem, vel ut aliis placet, in florem sui nominis permutatus est. Chiliastes paulò aliter refert Ajacis insaniam; ait enim, illum adeò graviter tulisse, Ulyssem sibi prælatum in capessanda successione armorum Achillis, ut præ dolore in amen-

amentiam versus sit: itáque gladio districto in gregem pecorum insiliit, existimans sese Græcorum copias cædere. Tum duos quosdam maximos sues à trabe suspensos flagris cecidit, arbitrans, hos esse Agamemnonem atque Ulyssem; quorum alteri ut judici, alteri ut victori potissimùm erat iratus. His igitur suibus plurimo cum risu insultavit, addens convitia, quæcunque suggerebat splendida bilis. Deinde postquam resipuisset, partim pudore, partim metu, sibi mortem conscivit. Unde adagium: *Ajacis risus*, quod non importunè torquebitur in eos, quibus risus oboritur nulla de causa, quem vulgò dicunt insaniæ, atque stultitiæ argumentum. Item in homines mortiferis voluptatibus gaudentes, brevi perituros: aut qui malefactis gaudent, mox pœnas daturi: aut qui cum Ajace videntur sibi ex ultione inimicorum gaudium peperisse; cùm suo se configant gladio, dum in horrendam vindictæ Divinæ incurrunt manum.

Ethicè.

I. (*a*) Ajax, Oilei filius, sacrilego stupro templum Palladis violavit, ejúsque flagitii meritas pœnas dedit. *Exspiravit transfixo pectore flammas*, ut intelligas, supplicium respondisse peccato. Transfixus antè cupidinis sagittis, & impuris incensus ignibus, postea luit, flumine trajectus ibi, ubi turpiter arserat, scilicet in pectore, amoris lascivi sede. Si hoc in profanis idolorum delubris tam graviter vindicatum, quid dicemus de reverentia templis vero Numini consecratis debita? De quibus psal. 92. *Domum tuam decet sanctitudo.* Et Joannes Apocal. 22. *Foris canes, & venefici, & impudici.* De his orator aureus Multi, inquit, ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosiùs intuendam in Ecclesiam veniunt. Tum assurgit: non miraris, quomodo undique fulmina non deferuntur: quomodo cuncta funditus non evertuntur? hæc enim non fulminibus solùm, sed gehennæ supplicio digniſſima sunt. Pergit porrò & percontatur: Quid facis homo; mulieris speciem curiosiùs in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis, tanta Dei templum afficiens contumelia? Prostibulum tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia verò Dei, cùm ipse DEUS te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maximè, fornicatione & adulterio uteris, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his

(*a*) *Reverentia templorum.*

his fugias; nec horreſcis, nec ſtupes? Hæc S. P. homil. 24. in Matth. Non minùs acriter Hieronymus in Sabinianum quendam invehens, detonat: Infeliciſſime mortalium! tu ſpeluncam illam, in qua filius Dei natus eſt, & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? Non times, ne de præſepi infans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur. Angeli clamant, Paſtores currunt, ſtella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma conturbatur; & tu in cubiculum Virginis, decepturus virginem irrepis? Paveo miſer, & tam mente, quàm corpore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos *opus tuum*. Et paulò pòſt, inſolito quodam eloquentiæ, non tam flumine redundans, quàm fulmine incandeſcens: prô nefas! inquit, non poſſum ultra progredi: prorumpunt lacrimæ, antequam verba: & indignatione pariter, ac dolore, in ipſo meatu faucium, ſpiritus coarctatur. Ubi mare illud Eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demoſthenes? Nunc profectò muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum eſt facinus, quod nec ſcurra ludere, nec Atellanus poſſit effari. Epiſt. 48. in Sabin. Quis non factum illud Adriani Imp. prorſus ſacrilegum deteſtetur? Qui ut Natalitii Chriſti antri religionem demoliretur, in eo ſtatuam Adonidis erexit? *ut in ſpecu* (loquor cum Hieronymo) *ubi Chriſtus parvulus vagiit, Veneris amaſius* plangeretur. Huc facit, quod narrat Baſilius Seleuciæ quondam Præſul lib. 2. de miraculis S. Theclæ cap. 16. Dies agebatur Divæ Martyri Theclæ ſacer, non majore frequentia populi, quàm religione. Sed uti fieri ſolet, magna in turba multos trahit pietas, multos curioſitas. Ex hac tribu duo Irenopoli advenerant, qui ſacris in templo ſolenniter peractis, cùm feſtam diei celebritatem multis extollerent laudibus, (quod enim pectus tam agreſte eſt, cujus fibræ ſacri apparatûs decore non moventur?) alter eorum Orentius nomine, non minùs ſpurcè loquens, quàm ſentiens, prædicet, inquit, quiſquis voluerit feſtivas haſce pompas, & lætabilem diem; una res perplacuit mihi, quam è templi odêo deſpiciens, præ omnibus aliis ſuſpexi. Feminam ſum intuitus, prô quantum formæ miraculum! nihil mihi muſica; nihil ornatus ſacræ ædis, nihil oratoris eloquentia, prout ſola hæc delicium ſuper omnem ambroſiam, & nectar fuit: nihil erat magis cordi, quàm Divam ut Theclam exorarem, quò efficeret, hac ut mihi forma liceret frui. O pulchras preces, non à cœlo, ſed tartaro audiendas! Et verò mi-

rò minimè ſurdus fuit Orcus. Poſtea enim, quàm plures ejus generis contribules ſatis in caupona genio ſuo litârunt, vinóque graves & ſomno, cubitum conceſſerunt, ſolus Orentius quanquam largo pocænio invitatus, quietem capere non potuit, deſiderio ſcilicet abreptus voti ſui potiendi. Nec diſtulit Orcus conferre, quod petebatur. Objicitur homini ſpecies S. Theclæ, throno aureo inſidentis & munera cultoribus ſuis impertientis. Inter quos cùm non poſtremum ſe crederet Orentius, exſpectabat nempe donum optatis ſuis conveniens. Videbatur audire Theclam dicentem: noſſe ſe, quid adamaret, iret porrò & deſideratum munus, elegantem feminam duceret domum. Hîc ille geſtire gaudio, & ſuam jam Paris novus Helenam ſpe devorare. Vix effluxerat hora, cùm exoptata Venus adeſt, accedit, amplectitur, amores ſuos oſculatur. Quid beatius Orentiô? Dum cupitis inhæret amplexibus, ecce tibi Venus repentè in terribilem Harpyiam mutata, vipereos pro crinibus angues, flammeos pro oſculis oculos, horridos pro complexibus expedit ungues, crudelitérque in amatorem ſuum involans, cutem infelici Marſyæ à capite ad pedes deripit, tantóque fœtore ac vermium ſqualore opplet, ut cæteri, qui in eodem cubiculo quieti ſe commiſerant, horrore & avernali mephite ſemianimes, ubi reddita luce ad ſe redierunt, quódque naribus hauſerant, inſuper oculis inſpexerunt, exemplo tam triſti edocti, caſtiùs deinceps & reverentiùs Cœlitum & templorum honores ſtatuerint habere. Terreant alios quoque, hæc ſpretæ religionis documenta, & Ajaces ac Orentios non pectore tantùm, ſed toto corpore tartareas flammas exſpirantes non imitentur in ſcelere, ſi nolunt ſequi in ſupplicio. Poëta monet:

Caſta placent ſuperis, caſta cum veſte venite.

Neque veſte tantùm, ſed etiam, & potiſſimùm, *mente*.

II. (*b*) Ajax Telamonius ab Ulyſſe in judicio victus, præ ira inſaniens in pecora deſæviit, ratus Ulyſſem cum ſociis ſe interficere. Ita multi iracundia, odióque correpti, ac velut œſtro perciti, beſtias pro hominibus, homines pro beſtiis habent; nec rarò innocentes judicant eſſe nocentes. Sic canis in lapidem ſævit, quem aliena manus projecit. Juxta Poëtam Lyricum: *Ira furor brevis eſt.* Seneca brevem inſaniam vocat. Cato iratum ab inſano, non niſi tempore diſtare affirmat. Nam ut furentium certa ſunt indicia, audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementiùs acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & mi-

(*b*) *Iracundia cæcus furor.*

& micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitúsque, mugitúsque, parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnásque minas agens, fœda & visu horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. Nescias utrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Senec. lib. 1. de ira. c. 1. Et rectè Cicero: Iratos, inquit, propriè dicimus exisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente. Quid quæso insano & furioso similius, quàm quòd teste eodem Romano Philosopho, Caligula Imp. ob turbata pluviis spectacula, Jovem ipsum in duellum provocârit, exclamans: *aut tolle me, aut ego te.* Atque his dictis, sagittarios suos in cœlum tela vibrare jussit, quæ relapsa subjectorum capita graviter sauciabant. Non sanior fuit Hispanus ille aleator, cui cùm lusus infeliciter cessisset, furore amens domum venit, expedire arma cœpit; pectus lorica, caput galeâ, cætera quoque membra ferro & chalybe munire. Mox inscenso equo, properat in forum fulminabundus; & quia in confestum hominum cuneum incidit, rogat, si quisquam præsens foret Numinis assertor, & amator, protinus arma indueret, & eques aperto campo congrederetur, demonstraturum se, nullum in cœlo esse Deum, quem vereri debeat. Momento adfuit vindicta; advolavit vespa, per fenestratæ galeæ foramen penetravit, tantóque cum doloris sensu fronti effronti vulnera inflixit, ut blasphemus provocator capiti detraheret galeam, sese abjiceret humi, faciem telluri opponeret, ad hostilem furorem declinandum. Cùm ne sic à se amoliretur malum, denique insolentissimus thraso, abjecto supercilio, imbelli hosti herbam porrexit, & clara voce gemebundus Deum esse confessus est, justum commissi facinoris ultorem. Paulus Zehentner in verme malæ conscient. lib. 3. c. 1. En, quò dementiæ & furoris hominem ira præcipitat. Iterum audiendus Seneca, qui, ut Lactantius loquitur, morum vitiorúmque publicorum descriptor verissimus, & accusator accerrimus. Hic lib. 2. de ira. c. 35. ait: Magis videndum est, quàm multis ira per se nocuerit: alii nimio fervore rupêre venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit, & luminum suffudit aciem, in oculos vehementiùs humor egressus; & in morbos graviores recidêre. Tum subdit: *Nulla celerior ad insaniam via,* Multi itáque continuaverunt iræ furorem, nec quam expulerant

pulerant mentem, unquam receperunt. Idem c. 26. Quid est dementius, quàm bilem in homines collectam, in res effundere? atque ut his iraſci dementis est, quæ anima carent, ſic & brutis animalibus: quia nulla est injuria, niſi à conſilio profecta. Huc inſaniæ delapſus est Ajax, quam in pecudes, tanquam in homines, flagellis ferociter incuſſis exhibuit.

-------- furor iráque mentem
Præcipitant.

Canit Poëta 1. Æneid. Atque hic furor erumpit in oculos, in genas rubor, in linguam verba, in pugnos; nec pauci Oreſtis inſtar, vi inſaniæ ſibi digitum arrodunt, caput pugnis cædunt, aut parieti allidunt Furijs agitati; aut cum Ajace ſeſe ipſos transfigunt medios. Lycurgus certè Rex Thraciæ in furorem verſus, crura ſibi amputavit. Cleomenes à Lacedæmoniis pulſus, priſtinæ denique dignitati reſtitutus, non multò pòſt in tantam inſaniam incidit, ut obvio cuique ſceptrum impingeret; quare vinctus & cuſtodiæ mandatus, arrepto carcerarii gladio, ab ima corporis parte ad verticem capitis ſe diſſecuit. Ira feris & beſtiis ſimillima, omnes invadit, nullo diſcrimine, Tros, Rutulúſve fuat. Amicum ab hoſte non diſcernit, nec belluam ab homine; in modum Ajacis dum porcos verberat, putat ſe in Græcos ſævire. Hæc Athamantem & Agaven in ipſos filios cæco furore impulit. Hinc.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas.

Virg. 4. Æneid. De ira doctiſſimus Muretus in 4. Ethic. cap. 5. Hæc, inquit, prava animi affectio latiſſimè diffunditur; non omnibus metuimus, nec omnibus invidemus; at omnibus iraſcimur, etiam rebus inanimis, & ratione carentibus, etiam Deo. Ira plurimorum & graviſſimorum malorum cauſa est. Seneca de Ira lib. 1. c. 2. Jam verò ſi effectus eius, damnáque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas ſordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & Principum ſub Civili haſta capita venalia, & ſubjectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. In remedium iræ, juvat conſiderare levitatem cauſarum. Frivolis, inquit Philoſophus ille Romanus, turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad umbras aſpis aſſurgit, urſos, leonésque mappa proritat. Omnia quæ naturâ fera ac rabida ſunt, conſternuntur ad minima. Idem inquietis, ac ſtolidis ingeniis

ingeniis evenit, rerum suspicione feriuntur, minimis sordidisque rebus exacerbantur. Parùm agilis est puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut mensa negligentiùs posita: ad ista concitari insania est. Constantinus Imp. Hortensium in amicis summũ occidit, quòd calamũ minùs commodum obtulisset. Vedus Pollio pincernam murænis objecit, quòd vasculum crystallinũ fregisset: Commodus Imp. balneatorẽ in fornacem ardentem conjecit, quòd balneum intraturus, tepidiusculum reperisset. Idem in pocillatorem ardens, paralysi causam dedit, qua brevi absumptus est. Wenceslaus Bohemiæ Rex, coquum ob capum minùs bene assum, veru affixum ad ignem torreri jussit. Franc. Remond. lib. 4. c. 3. Otho Antonius montis Ferrati comes, atque Urbinatium Princeps puerum cubicularem resinato linteo atque sulphure perfuso involutum vivum, in candelæ morem combussit, quòd horâ, quam ei præfixerat, se non excitâsset. Fulgos. lib. 9. Cyrus Rex fluvium Gyndem, ob unum jugalium equorum submersum, in plures rivulos deductum, exiccavit. Idem Seneca lib. 2. de Ira c. 25. Et lib. 1. c. 3. irascimur non illis, qui læserunt; sed his, qui læsuri sunt: ut scias iram non tantùm ex injuria nasci. Verum est, irasci nos læsuris: sed ipsa cogitatione nos lædunt, & injuriam qui facturus est, jam fecit. Et c. 7. Optimum, inquit, est, primum irritamentum iræ, protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus, & dare operam, ne incidamus in iram. Nam cùm hostis portis se intulit, modum à captivo non accipit. Deinde spatium animo dare. Athenodorus Philosophus Augusto Cæsari monitum dedit: Iratus nihil dicas aut facias, priusquam litteras Alphabeti Græci recitaveris. Hæc ille. Cui consonat vir in Christiana philosophia doctissimus. Ira, inquit, est affectus maximè implacidus & turbulentus, qui si semel invaserit hominem, vix in eo humanæ naturæ vestigia relinquit. Ira brevis insania est, sui impotens: armorum, sanguinis & suppliciorum avida, decoris oblita, necessitudinum immemor, in ipsa irruens tela, ut alter noceat; ruinis simillima, quæ super id, quod oppresserunt, franguntur. Reliqua vitia certis quibusdam finibus coërcentur, iræ nihil est intactum, nihil inaccessum: cælum ipsum petimus iracundiâ. Hinc blasphemiæ, hinc querimoniæ adversùs Deum, hinc de eius providentia motæ ab impiis controversiæ. Nec his duntaxat irascimur, à quibus nos læsos existimamus; sed futuræ etiam injuriæ cogitatione offendimur, & qui facturus injuriam, falsa plerumque imaginatione creditur, jam fecisse. Ira suum impetum in eum ipsum, qui irascitur, non rarò frangit. Id quod in Ajace videmus: de quo Seneca: Ajacem in mortem egit furor,

in furorem ira. Et quæ causa est Offensionis ? Opinio. Tolle opinionem, & nihil nocebit tibi. Nihil te lædet, nisi te ipsum læseris. Plato, iratus in servum, manum, quam percussurus sustulerat, suspendit dicens: *caderem, nisi irascerer.* Prius voluit iracundiam flagellare, quàm servum.

III. (c) Quæ causa tantæ iracundiæ ? impatientia repulsæ, ambitionis stimulus, invidiæ venenum, injuriæ dolor, imaginaria contemptûs, & ignominiæ impressio, odium denique & vindicta in eos, à quibus se læsum putabat Ajax. Prælatio Ulyssis œstro perculit superbum pectus, & in violentas animi perturbationes illisit. Verissimè laudatus à nobis Philosophus lib. 1. c. 18. Immodica ira gignit insaniam : nec interest, ex quàm magna causa nascatur, sed in qualem perveniat animum. Sic ignis, non refert, quàm magnus, sed quò incidat: nam etiam maximum, solida non receperunt; rursus arida & corripi facilia, scintillam quoque fovent usque in incendium. Mirum de Ajace, quem celebrat Ovidius.

Hectora qui solus, ferrúmque, ignémque, Jovémque
Sustinuit toties, unam non sustinet iram;
Invictúmque virum vicit dolor.

Quid indignius ? tot palmarum victor, iræ, vitio maximè femineo succubuit. Certè non magnus est animus, quem perturbat injuria. Proprium est magnitudinis veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratus canum lentè respicit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat. Senec. l. c. c. 25. In exemplum adducit Catonem, qui per contumeliam à quodam percussus, postulanti deinde veniam percussori, non memini, inquit, me percussum. Melius putavit non agnoscere, quàm vindicare. Idem lib. 3. c. 5. Ut ulcerata, & ægra corpora ad ictus levissimos gemunt, ita muliebre maximè & puerile vitium est ira. Accinit Juvenalis Sat. 13.

---------- quippe minuti,
Semper & infirmi est animi exiguíque voluptas,
Ultio; continuò sic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet, quàm femina.

Et Aristoteles lib. 4. Ethic. c. 3. Sicut debilis est stomachi, non posse duriorem cibum concoquere; ita hominis pusillanimis est, verbum duriusculum non posse sustinere. Accedit Magister Seneca lib. 1. de ira. c. ult. Ne illud quidem judicandum est, aliquid iram, aut vindictam ad magnitudinem animi conferre, non est enim illa magnitudo, *Tumor* est; nec corporibus copiâ vitiosi humoris intensis incrementum est, sed pestilens

(c) *Ira stimuli.*

lens humor. Addo S. Ambrof. lib. 1. offic. c. 36. Vindicare ſe, non eſt actus fortitudinis, ſed abjectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.

IV. (*d*) Ajax dum ultionis impetu abreptus in hoſtes ſævire ſe credit, in ſeipſum ſæviit, ſuummet in gladium victima non miſeranda incubuit: nimirum à puncto honoris jam ante vulnus accepit. Ita Saul Hebræorum Rex primus ob epinicium Davidi à puellis cantatum, ex unica ſcintilla in tantum invidiæ & vindictæ incendium exarſit, ut ſceptrum, diadema, Regnum, victoriam, corpus, animam, famam, omnia perdiderit, ſuimet deteſtabilis carnifex. Sic Achitophel ob ſpretum conſilium à ſe datum, gulam laqueo ſibi fregit. Sic Aman purpuratorum Regis Aſſueri præcipuus, injuriam & deſpicatum ſummum interpretatus, quòd Regiam intranti Mardochæus genua non inflexerit, non priùs quievit, quàm altiùs, quàm vellet elatus, infame pondus è patibulo penderet. Adeò tumeſcit ſuperbia, ut merito globo incendiario comparetur. Cuius epigraphe. *Rumpor ut rumpam.* Imò ſæpius rumpitur, & non rumpit. Expertus eſt Ajax. Puſillus ſanè & imbecillus eſt animus, quem doloris cujuscunque impatientia in voluntariam mortem adigit. Sic imbellis & abjectus pugil Cato fuit, illud olim fortitudinis falſæ miraculum, qui cauſam aliquem aut cauſam putârit dignam ultrò illata nece. Si vir, ſi fortis, ſi ſapiens fuiſſet, C. Jul. Cæſaris gladium exſpectâſſet. Non ſuo, ſed alieno moriendum erat ſcelere. Ἀυτόχειροι veteribus laudati, ſonitum ſuper arma, ſed brevem dedere; in ictu ad regna Plutonia deſcenderunt. Sic dolore & dedecore victi Xenocrates, C. Carbo, P. Craſſus, L. Syllanus, Brutus, Caſſius, Silius Italicus, Cornelius Gallus ſibi manus intulerunt. Sic Hannibal hauſto, quod incluſum annulo geſtabat, veneno, ſe ipſum confecit. Sic Nero, ſic Otho imperator, ſic innumeri alii infelicem ſpiritum ſua manu expulerunt. In qua inſania mulieres habuerunt æmulas: pauculas ex ingenti turba memorabo. Monyma Mithridatis uxor in deſperatione rerum profligatarum, ignominiæ impatiens, detractum è capite diadema collo circumligavit, ſéque ipſam ſuſpendit. Cùm autem corporis pondere laqueus ille diſruptus eſſet, dixit: Execrandum diadema, neque in tam triſti miniſterio mihi profuiſti. Móxque, cùm ſuper illud humi abjectum inſputâſſet, Eunucho regio ſeſe obtulit jugulandam. Plut. in Lucullo. Cleopatra Ægypti regina, ne in triumphum ab Auguſto Cæſare duceretur, unica punctiuncula, vel aſpidis corpori admotæ, vel acûs capillaris, quam intra

(*d*) *Suimet carnifices.*

tra comam abstruserat, veneno illitæ, necem sibi conscivit. Femina quædam, de qua Lipsius meminit in monitis Pol. lib. 5. c. 93. ne Romanis se dedere cogeretur, filiolos duos injectis collo laqueis, ad pedes suos alligavit, & se à trabe suspendens tres impetu uno stragulavit. Ajax profectò minimè merebatur armis Achillis potiri, cujus animo longè impar fuit. Quidquid præclarè gesserat, indomito mentis impetu, & ignominioso fine corrupit. Tantùm distat vincere alios, & vincere seipsum. Iterum Seneca: Imbecillus, ait, & ignavus est, qui propter dolorem moritur. Vir fortis non fugere debet è vita, sed exire. Et Martialis: Hic rogo non furor est, ne moriare, mori!

Nolo virum, facili redimit qui sanguine vitam.
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Qui sustinendo vincit potiùs fortunam, quàm moriendo declinat. Et Seneca Poëta in Thebaide: Non est virtus

Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere ac retro dare.

Quod ipsum prædictus Epigrammatarius cecinit:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

V. (*e*) Habent fabulæ, Herculem aliquando Salaminem venisse ad Telamonem, ibique cùm Ajacem adhuc infantem conspexisset, circumdedisse illi τὴν λεοντὴν, pellem leoninam suam, precatúmque, ut quâ puer tegeretur illâ, invulnerabilis foret. Quod ita factum; fuisséque Ajacem toto corpore invulnerabilem, præterquam latere, id enim contectum non fuerat. Hinc Ovidius lib. 13. Metam. de Ajace:

Dixit, & in pectus tum demum vulnera passum
Quà patuit ferro, lethalem condidit ensem.

Per latus scilicet in pectus mucro penetravit. Quò docemur, parum esse, heroum exuviis tegi, ferarum spoliis muniri, si latus domestico præbeas hosti. Poterat Ajax vir fortis, & planè Herculeus videri, si quemadmodum pectus ac tergum pelle leonina obarmatum fuit, ita partem quoque corporis illam, in quam iræ & gladio aditus patebat, obmuniisset. Inevitabile vulnus est, quod ex intestino aggressu infertur; nam dulce videtur perire telo, à quo plaga in suummet autorem venit. Per suum se latus provocavit, petiit, & interiit Ajax.

SYM-

(*e*) *Qua parte corporis pateat locus vulneri in animum.*

SYMBOLVM LXXVII.

Fax Belli Trojani, Paris & Helena.

Homerus in Iliade. Virgil. lib. 2. Æneid.

Ethicè.

1. Prognostica pueritiæ. 2. Helena, funesta fax libidinis. 3. Pulchra forma in impudico corpore. 4. Feminæ bellorum causæ. 5. Mollities juvenum. 6. Stoliditas juvenum in delectu bonorum & malorum. Arrogantia feminarum.

BIs capta & diruta est Troia; priùs ab Hercule ad persequendum injuriam à Laomedonte acceptam, quo tempore urbi nomen fuit *Ilium*, de quo in Laomedonte. Postea à Priamo restituta, & adversùs hostium minas validis propugnaculis communita, à Græcis est eversa. Cujus eversionis hæc origo & series est. Hecuba Priami conjux, cùm aliquando uterum ferret, jámque partui vicina esset, secundùm quietem, faculam sibi parere visa est, adeò luculentis flammis, ut iis tota urbs conflagraret. Rex consultis ariolis, cùm diri ominis, & portentosum somnium esse didicisset, puerum deinde natum exponi, & necari præcipit. Miserati scitissimum infantem ministri, & quòd ab Hecuba regina id in mandatis habebant, parcunt interimere: exsectam canis lingnam pro indicio pueri jugulati ad regem afferunt. Fortè fortuna pastor quidam in ripa fluminis jacentem infantem conspicatus, eum tollit, & cum liberis suis educare pergit. Qui cùm ætate jam procederet, séque pastore illo genitum constanter crederet, cum sodalibus ad *Idam* montem pecus alacriter pascebat, & ab iis propter corporis egregiam speciem, & minimè vulgarem, aut pastoritiam indolem, litium causarúmque judex, & arbiter deligebatur; cujus sententiis sine ulla recusatione parebant. Post longum intervallum cognitus, ac receptus à patre Priamo *Paris*, (alio nomine Alexander) honorificè, ut decuit, est habitus. Affecit eum Græciæ visendæ, & varios hominum diversorum mores cognoscendi mira cupiditas. Ergo viginti navium classem à patre obtinet, Spartámque navigat. Erat Priamo cum *Menelao* Spartanorum rege vetus hospitium, qui proinde Paridem amanter ac regiè tra-

ctavit. Sed cùm in *Cretam* insulam ad cernendam hereditatem sibi necessariò discedendum esset, Helenæ uxori Troianum hospitem commendavit. Ille mulieris venustate captus, precum blanditiis mollem alioqui, & flexibilem animum ad suam voluntatem traduxit, Ilium avexit: uxoris loco adulter adulteram habuit, & hanc gratiam bene merenti hospiti Menelao retulit. Passus est hoc, & connivit ad turpitudinem Priamus. Cuius indignitate facinoris stimulatus Menelaus, mittit, qui Helenam reposcant. Ubi vidit se actum agere, cum fratre Agamemnone, Myncenarum rege, de bello Trojanis inferenda consultat. Brevi tempore universæ Græciæ Principes cum eo conspirant: copiæ undique ingentes contrahuntur: magno navium numero ad Ilium contenditur: in Aulide Bœotiæ portu, fœdus percutitur, non soluturos obsidionem quoad civitatem funditus deletam conspiciant. Quod etiam re præstiterunt. Itaque tantarum cladium, quæ postea utrinque sunt acceptæ, una mulier causa, & caput extitit, totisque annis decem pro adultera concursum & dimicatum est.

Aliam eversæ Trojæ causam referunt Poëtæ in Junonis indignationem ob spretam eius à Paride formam. Virgil. lib. 1.

Nec dum etiam causæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ.

Rei narrationem hanc accipe. Eo tempore, quo Paris etiamnum adolescens inter pastores agebat, Dii omnes, Deæque convocatæ, ad nuptias *Thetidis* & Pelei accesserant, præter *Discordiam*, unam ex infima Furiarum gente, quàm nemo invitârat. Id illa graviter ferens, pomum elegantissimum, ex auro confectum, per ostium injecit, cum inscriptione: ἡ καλὴ λαβέτω: *pulchra accipiat;* seu *Pulchriori detur.* Mox exorta lis inter deas de pulchritudine certantes, præsertim *Junonem* inter & *Palladem*, & *Venerem*, quibus reliquæ Divæ de præstantia formæ facilè concesserant. Nemine sustinente pronuntiare sententiam, eius rei judicium Jupiter ad Paridem, in monte Ida tunc greges pascentem, deferri jubet. Pro se quæque trium dearum magnis juvenem promissionibus sollicitabat; *Juno* Asiæ, Europæque imperium, *Pallas* Sapientiam totâ Græciâ maximam, *Venus* feminarum speciosissimam pollicetur, si sibi venustatis victoriam adjudicet. Hærebat aliquamdiu anceps juvenis in dicenda sententia: nam hinc ambitio, & regius dominatus stimulabat; inde laudis cupido ad famam Sapientiæ conciliandam invitabat; ex alia parte voluptas

ptas & libido animum permulcebat. Victus denique Veneris blanditiis, pomum ei porrigit aureum, & pro ipsa litem pronuntiat; pessimô suo malô, familiæ regiæ, totiúsque patriæ. Nam cùm id ætatis, Helena, Menelai regis Spartanorum conjux, omnes feminas pulchritudine præstaret, Venus in ejus amores Paridem accendit; quare contractis aliquot navibus in Græciam, ut diximus, se contulit; violato hospitii jure, Helenam rapuit, & in patriam abduxit. Injuriam tam insignem ulturi Græcorum Principes, mille navium classe in Asiam navigarunt, omniáque ferro, flammáque vastârunt, ipsâ etiam Troiâ, Phrygiæ regionis capite, in cineres redactâ. Quòd autem injuria privata totam Græciam in communem conjurationem traxerit, hæc causa traditur. Cùm Græcorum fortissimus & præstantissimus quisque Helenam sibi uxorem expeteret, tum propter generis splendorem, tum propter eximiam formam, cujus ipsa miraculum erat: pater *Tyndarus*, Rex *Oebaliæ*, maritus Ledæ, veritus, ne uno delecto, & cæteris antepositо, alios sibi inimicos atque infensos redderet, eos omnes ad jusjurandum adegit, ei, cui filiam suam in matrimonium collocaret, ceteros opitulaturos, siqua in illum propter Helenam à quoquam inferretur injuria. Quo jurejurando ab hominibus dato & accepto, Helenam Menelao despondit; ita non multò pòst tempore raptâ Helenâ, Principes Græcorum in societatem belli venerunt, jurisjurandi religione obstricti. Cæterùm Paris, à Pyrrho, Achillis filio, cognomento *Neoptolemo*, interfectus, parenti inferias missus est. Helena quoque parem sceleratæ vitæ exitum invenit. Nam occiso *Deiphobo*, qui eam post Paridem occisum duxerat, Menelao legitimo viro est restituta, cùm annos esset nata triginta quatuor: & innumeris interea complexibus adulterinis fœdatum corpus, diversa per cubilia circumtulisset. Post octennii maritimos errores, vix tandem Lacedæmona reversa, Menelaô maritô fatis ereptô, primum in exilium est ejecta, *Nicostrati* cujusdam, atque *Megapentis* Spartanorum factione. Deinde Rhodum in insulam trajiciens, cùm hospitium petîsset *Tlepolemi*, ibi regnantis: propter easdem illas blanditias, quibus hucusque maritos in transversum egerat, invisa, suspectáve Polyxoni, Tlepolemi conjugi, suaéque propinguæ; per fraudem invitatur in balneas, horto domestico consertas. Ibi dum lavatur, ancillæ cum Furiarum, Orgia celebrantium, habitu in eam immissæ sunt à domina: quæ comprehensam, & arbori infelici suspensam, laqueo demum necarunt. Is Helenæ finis fuit: ut videlicet ad restim illi res veniret, cujus adulteriorum

malèpretiosa furta, Trojanorum sexcentorum, septuaginta sex millium; Græcorum autem octingentorum octoginta sex millium, interitu steterunt.

Ethica.

I. (*a*) Qualis futurus esset Paris, præsagiò *Fax* ostendit, quam sibi videbatur parere Hecuba. Eventus docuit, somnium non fuisse, nam *Facis* instar in turpes libidines exarsit juvenis: & ex hac flamma incendium sparsit, quod immensas Phrygum opes consumpsit, potens illud *Ilium* funditus evertit. Jam tum cùm natus est hic Veneris *Pullus*, fatalis Asiæ cometes in puerperæ cubiculo illuxit. Multùm equidem interest, quibus signis, ominibus, portentis primordia vitæ vel illustrentur, vel infamentur. Georgii Castrioti, vulgò *Scanderbegi*, herois fortissimi secutura facinora, matri serpens per quietem objectus, indicavit; qui totum Epirum operire, & caput in Turciam protendere visus est: quòd Epirum, Græciæ finitimam regionem, principatum hæreditarium, Turcis erepturus, & longè latéque terrorem ac damna circumlaturus esset. Acinacis præterea brachio impressam effigiem ab utero tulit materno, futuri bellatoris ostentum. Barletius in ejus vita lib. 1. c. 82. In Paridis pueri brachium si quis peritior conjector oculum intendisset, sanè mollis citharæ vestigium deprehendisset. Neque progressu ætatis melior evasit hic Cypridis columbulus: ætas enim prima, post tincturam voluptatis, ægrè alium colorem bibit. Et Constantinus ille Copronymus post sacros fontes ventris onere in baptismo fœdatos, ita porrò vixit, ut nihil præter amorem sordium & immensa scelera in eo observaretur. Baron. ann. 775. Haud melior Julianus, Christianæ fidei desertor impius, de quo Gregorius Nazianzenus ejus contubernalis ita scripsit, orat. 1. in Julian. Cùm Athenis cum eo versarer non malum hujus viri conjectorem me fuisse memini. Me morum ipsius inconstantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat: Si quidem vates ille optimus est, qui rectè conjicere novit. Neque enim mihi quidquam boni ominari videbatur, cervix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus, furioséque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, vultûs lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes & effrænati, nutus & renutus temerarii, sermo hærens spiritúque

(*a*) *Præsagia pueritiæ.*

túque conciſus, interrogationes ſtultæ & præcipites, reſponſiones his nihilo meliores &c. Quid ſingula deſcribere neceſsè eſt? Talem ante opera conſpicatus ſum, qualem in operibus poſtea cognovi. Quòd ſi quidam ex eis, qui tum ſimul erant, quídque dixerim, audierunt, nunc mihi præſtò eſſent, haud ægrè teſtarentur. Quibus, ut hæc conſpexi, ſtatim prolocutus ſum: *Quale malum Romanorum terra nutrit!* præfatus licet, ac mihi, ut falſus vates eſſem, imprecatus. In aliena perſona deſcripſit S. P. Paridem, hominem ad patriæ calamitates natum; Portentum & exitium Phrygiæ. Non vanus de hoc monſtro augur eſt Nereus apud Horatium, lib. 1. Od. 15.

Paſtor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hoſpitam.
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata: malâ ducis ave domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor? quanta moves funera Dardanæ
Genti? jam galeam Pallas & ægida
Currúſque & rabiem parat.
Nequicquam Veneris præſidio ferox
Pectes cæſariem: gratáque feminis
Imbelli cithara carmina divides:
Nequicquam thalamo graves
Haſtas, & calami ſpicula Cnoſſii
Vitabis: ſtrepitúmque, & celerem ſequi
Ajacem, tamen heu! ſerus adulteros
Crines pulvere collines.
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Viſum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu
Non hoc pollicitus *Tuæ*.
Iracunda diem, proferet Ilio
Matronísque Phrygum claſſis Achillei:
Poſt certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Imbellem & effeminatam Paridis naturam etiam alii Poëtæ perstringunt: in quibus Ovidius epist. Helenæ

Bella gerant alii; tu Pari semper ama.

Huc facit illud Æliani lib. 9. Var. hist. c. 37. Cùm Alexander M. venisset Ilium, & quidam illi ostenderet *Alexandri* Priami filii, lyram; ille respondit, *malle se lyram Achillis videre, quà ille fortium virorum laudes cecinisset*, nam τῦ πάριδος τί ἄρα ἦσεν ἡ λύρα, ἐ μὴ μίλη μοιχικὰ καὶ οἷα ἀρεῖν γυναῖκα θέλγειν; *Paridis lyra quid cecinit aliud, quàm adulteriis accommodata carmina, & feminis captandis, demulcendisque magis convenientia?* Strenuus imitator Paridis fuit Nero illud ex crudelitate & luxu conflatum monstrum, qui ardente, quam incendit, Roma, scenico habitu, bellus citharœdus prodiit, & ἄλωσιν, hoc est, Troiæ conflagrantis expugnationem cecinit. Uterque leno turpissimus, citharâ incendiariâ miserandam patriam in summum luctum & calamitatem dedit.

II. (*b*) Helena quoque non pilô fuit melior amasiô suô; quin etiam deterior: Rapta primum est à Theseo; deinde nupsit Menelao: hunc reliquit, secuta adulterum Paridem: neque huic fida, etiam cum Achille, aliisque turpiter consuevit. Denique Deiphobo, Paridis germano nupta, maritum perfidè prodidit, & Menelao trucidandum objecit, ut adulterii offensionem apud eum tolleret. Atque his scelerum gradibus eò demum evasit, ut Troiam ipsam (quod infrà memorabimus) in manus hostium tradiderit, unde patriæ *communis Erynnis* à Marone vocatur, Græcis pariter ac Trojanis odiosa. Solo ferebatur aspectu viros emasculare, & in amorem sui pellicere. Paridem certè in hospitali mensa, lascivo cepit ocello. Et Æneas ipse, cùm furibundo similis, stricto gladio in hostes sæviret, aspicerétque Helenam pavitantem, & sese in sacello *Vestæ* abscondentem, continuit tamen manum, sub specie quidem, quia.

----- Nullum memorabile nomen

Feminea in pœna est, neque habet victoria laudem: re tamen vera mulieri, quæ erat pestis, clades, & extrema Phrygiæ calamitas, pepercit; nec voluit extinguere nefas, aut animum explere

Ultricem flammæ, & cineres satiâsse suorum: justissima cæde parentando tot millium sanguini, quia scilicet

----- se clara videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit

Alma

(*b*) *Helena quàm funesta fax virorum.*

Alma parens, confessa Deam : dextráque prehensum
Continuit.

Nempe plus potuit Venus , quàm Mavors , qui quantùm in vindictam, in vulnera, in strages concitavit Æneam , tantùm eum remorata est mater amorum ; quæ jam antè Paridi Helenam, nunc etiam Æneæ conciliabat, ut sineret mœcham vivere, nec communem patriam ulciscerétur. 2. Æneid. Quid quòd Menelaus ipse , tot injuriis lacessitus , adulterii ultione inflammatus , temperârit iræ , nec meritas de prostibulo pœnas sumpserit. Libet apponere , quod scribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Menelaus Trojâ captâ , cùm incitaretur vehementer ad Helenam occidendam , victus eius pulchritudine , gladium abjecit , osculum petivit. Unde verum esse intelligas illud Anacreonticum

Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον
Καὶ πῦρ καλή τις ὄψις.
Venusta vincit ignem,
Ferrúmque forma vincit.

Id expertus Salomon, in Proverbiis monet cap. 6. *Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Oculorum *radii* totidem sunt sagittæ , & amoris jactus ; qui vulnerant ; *nutus* & palpebrarum *ictus* , totidem sunt fulgetra , quæ perstringunt , & attonant intuentem. Sunt retia quæ implicant : sunt faces , quæ incendunt. Et Siracides cap. 9. *averte faciem tuam à muliere compta ;* qualis fuit Helena : *& ne circumspicias faciem alienam.* (circumspexit Paris) *propter speciem mulieris multi perierunt ;* tam Græcorum quàm Trojanorum. Ex hoc aspectu concupiscentia , quasi ignis exardescit. Hinc illud incendium.

Fuere Troës, Ilium ;
Tros Ilium fuere.
Fuit, fuit Domus inclyta,
Noménque Dardanorum.
Impressit altis mœnibus
Hostile Mars aratrum.
Ubi steterunt Pergama,
Nunc fluctuant aristæ. *Iac. Balde de van. Mundi.*

Scintilla una ex oculis evibrata , paulatim serpit per animum ; donec exardescat , & in flammam libidinis erumpat , latéque incendium per urbes , & provincias spargat.

Ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens

O qua-

O quales, & quantas clades ac ſtrages dedit!

Uſurpes hic illud Jacobi. 3. *Ecce quantus ignis, quàm magnam ſilvam incendit.*

------- Paridis propter narratur amorem
Græcia barbariæ lento colliſa duello. Horat. lib. 1. epiſt. 3.

Anno Mundi 2871. (cum ſuſpirio memorat recentior hiſtoricus) Troja poſt decennalem obſidionem, & octingenta Græcorum millia à ſuis cœſa (ſanè utrinque decies contena millia dicuntur cecidiſſe) immiſſo per proditionem equô ligneô, nocte à Græcis invaditur, vaſtatur, incenditur: ſævitum in captos, & præter nocentiſſimam omnium Helenam, parcitum nulli. Prô belli dedecus! ob mulieris libidinem tam multos cœſos! nec victoriæ minor infamia; quâ belli cauſa, pœnæ expers fuit. Helena Europam & Aſiam ut gladiatorum par committens, ſpectavit è podio pereuntem orbem; digna omnium prima ruinis eius ſubſterni. Hoc potuit illecebroſa forma, de cuius tyrannide quidam ita ſcribit. Amorum potiùs bella gerit, quàm armorum jure: illecebris graſſatur non inſidiis: vulnerat roſis, non ſpinis. Eius oſcula ſunt ſpicula, tormenta ſunt delitiæ, terrores gratia, cruor nectar, lenocinia laquei, clades voluptas, machinæ lepôres, vulnera Veneres. Triumphat oculis, tacendo tonat, aſpectu fulgurat, & non uno, non dicam impetu, ſed intuitu, pectus invadit, cor obſidet, expugnat animum, ſibique tributarium facit. Quid? quod ſine voce loquitur; ſine vi vim affert, ſine catenis allicit, ſine præſtigiis immutat mentem; & vidiſſe viciſſe eſt; & viſam eſſe, triumphâſſe. Teſtis Helena, quæ jam palo alligata, atque obruenda lapidibus, oculorum fulgure, de lictôrum manibus lapides excuſſit. Pomey in Cand. Rhet. ex Euripidis Scholiaſte.

III. (c) Et hæc ipſa pulchritudo in contaminato libidinibus animo quid aliud erat, *quam circulus aureus in naribus ſuis? Prov.* 10. Talis ſus erat Helena, vecors, laſciva, impudica, adultera, quæ ſeſe ultrò offerebat procis, aureo circulo, hoc eſt ſplendidâ formâ raptis, trahendam, & inſtar porcæ per lutum & cœnum impuræ voluptatis volutandam. Quod ſues roſtro faciunt terram effodiendo; hoc facit libido, inquinatum corpus per fœdas concupiſcentias circumagendo. Splendet vultus, ſplendet cultus, merum dixeris aurum. Sed quid hic fulgor in nare porcina? quid venuſta facies in libidinoſo animo? margarita in luto, aurum in cœno, gemma in ſterquilinio? Meritò S. Cyprianus: Nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quocum pudor vilis eſt. Et verò

(c) *Forma in impudico corpore.*

verò flagitiosæ libidinis tanta est contagio, ut ex animo in corpus, ex corpore in vestem se transfundat. Diodorus scribit lib. 16. Phocensium Principis cuiusdam uxorem, quod torquem Helenæ Delphis suspensum inde abripuisset, gestassétque & ipsam quasi contactu ornatûs meretricii pollutam, incidisse in meretriciæ prostitutionis turpitudinem. Adeò pestilens venenum est, quod Veneris è spuma nascitur.

IV. (*d*) Quis recenseat, quot bella, quot duella propter feminas sint suscepta, de quibus cani possit illud Statianum 1. Achilleid.

Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis
Fert Bellona nurum.

Helena fax quanti belli! Et cui cladi aut voluptas causam non dedit, aut femina tædam non admovit? sub Paride lusco staret adhuc Ilion. Unus lenonis oculus, Asiæ oculum extinxit. Raptæ facies adulteræ, flammam sparsit, totam Phrygiam incendit. Nulla aut rara mulier in cladem sterilis est: Bellare si nequit, parit bellatores. *Iocastæ* (Oedipi mater fuit, & ex filio gravida, parens Eteoclis & Polinicis, de quibus Symb. 53.) uterus quantum nefas, quæ monstra militum tulit? Jac. Bald. in Batrachyomachia. In ferrum & vulnera non viritim tantùm, sed totis exercitibus itur. Eiusmodi bella quædam recenset Ovidius 1. amor. eleg. 12.

Nec belli est nova causa mei: nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret.
Femina silvestres Lapithas, populúmque biformem
Turpiter appositio vertit in arma mero.
Femina Trojanos iterum nova bella movere
Impulit in regno, juste Latine, tuo.
Femina Romanis etiam nunc urbe recenti
Immisit soceros, armáque sæva dedit.

Alexander, quantus heros, instinctu Thaidis meretriculæ Persepolim urbem combussit. Curt. lib. 5. Taceo vetera, unum exemplum prodam, quô Libido unius hominis rem Christianam gravissima calamitate in Oriente afflixit, circa annum Domini 1144. memorante Sigonio in Hist. de regno Italiæ. Erat urbs in Mesopotamia trans Euphratem, nomine Edessa, à diebus Constantini M. Christianorum cultui dedita, & beatissimi Thomæ Apostoli allatis ex India reliquiis inclyta. Hæc, cùm Saraceni quondam Alexandriam, Antiochiam, Hierosolymam, Damascum, Ægyptum, Syriam, aliásque Orientis provincias occupassent, atque

(*d*) *Femina multorum bellorum & cladium causa.*

in his omnibus nomen Christi, quamquam splendidissimum extinxissent, sola inter medios hostes, usque ad tempus superioris Hierosolymitanæ expeditionis mansit incolumis. Tunc verò à Saracenis vexata, cùm auxilium à Latinorum exercitu petiisset, Balduinum, Godifredi Regis fratrem accepere Principem; Balduino verò, post Godifredum ad Regnum Hierosolymorum evecto, principatus demum ad *Ioscelinum* juniorem pervenit. Illo dominante, *Sanguinus* Saracenorum, sive Turcorum Princeps, urbi obsidionem admovit. Eo tempore Armenius quidam civis Edessæ, jure hæreditario turrim quandam mœnibus urbis continentem incoluit. Hujus filiam eximia specie virginem, cùm insano deperire Princeps amore cæpisset, nec blanditiis ac promissis ullis ad sui pellicere obsequium potuisset, injustè admodum fecit, ut vim adhibuerit. Armenius illatam injuriam magno dolore ferens, ut Principem ulcisceretur, clàm urbem prodidit Saracenis. Quippe nocte Nativitatis Dominicæ, cùm sacræ in templis vigiliæ agerentur, invitatos multis conditionibus hostes per turrim suam accepit. Saraceni in urbem intromissi, Christianorum sanguinem sitientes, templa subitò, infesto impetu invaserunt, atque Archiepiscopum sacris operantem miserè unà cum Clero mactaverunt, ac reliquam virorum ac mulierum turbam stupore, metúque ad omnem sui defensionem obtorpescentem crudelissimè trucidârunt. Ac demum tota Mesopotamia in potestatem redacta, ipsum Hierosolymorum Regnum, maximum in terrorem ac periculum adduxerunt. Quæ causa fuit, ut postea, concionante S. Bernardo, Conradus Imp. expeditionem cruce signatorum susceperit, & Ludovicus Rex Galliæ magnas copias contraxerit, sed infelici eventu. Hæc Sigonius. Ex quibus apparet, infamem Trojæ captæ causam, & miserabilem, improvisámque de nocte stragem, Edessæ renovatam fuisse. Has sanguinis thermas parat ille Puer, Cyprio metuendus arcu, & nefandæ animator flammæ. Quàm verè Beda: *Venus est illecebrosa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso.* Luxuria & libidine, ut quidam dixit, nihil est fœcundius, nihil damnosius: his virtus, inquit Valer. Max. lib. 9. c. 1. atteritur, sopita gloria in infamiam convertitur, animi pariter & corporis vires expugnantur. Adeò ut nescias, ab hostibúsne, an ab illis capi, pernicioſius *habendum* sit. Romæ quondam Veneris ac Libitinæ templa conjuncta fuere: quia à Venere ad mortem brevis est transitus, & frequens. Cùm verò oculi, quod diximus, sint in amore duces, Zaleucus Locrensium Rex ibi pœnam statuit, ubi culpam agnovit: adulteris oculos erui sanxit. He-

lenæ

lenæ germana soror videri potuit Cleopatra, Ptolomæi Auletæ, Ægyptiorum Regis filia, quæ amoribus suis, præter alios multos, C. Julium Cæsarem, quantum virum! & M. Antonium, bello quondam inclytum, turpissimè irretivit: parúmque abfuit, quin Octavianum Cæsarem ipsum, orbis victoriam, suis lenociniis cepisset. De ea nobilis scriptor: Vita tota Cleopatræ, theatrum quoddam libidinum, & propter has, latrociniorum quoque domesticorum, crudelitatis, bellorum, ac tumultuum fuit. Joan Bissel. Decad. 4. Part. 3. ubi pluribus graphicè depingit feminæ tam pulchræ, quàm sceleratæ nequitias.

V. (*e*) Paridis mollities me admonet, ut hoc genus juvenculos, delicatos, effeminatos, semiviros paulò vivaciore colore exprimam. Horum igitur officium, & totum est negotium, crispare calamistro crines, ventilare cinnos, aut cincinnos factitios humeris infundere, caput odorato pulvere conspergere, succussu humerorum annuere & abnuere, pedibus solo allisis obsequium deferre, arcuatis brachiis & cavis manuum volis, sed inanibus, salutationes peragere, moschum redolere, emissitios oculos in facies formosiores vibrare, vernilibus jocis honestas aures vulnerare, ligulis ornare pileum, calceos rosis sutilibus, gladiolum cum serico capulo appendere lateri, follicante carbaso manicas inflare, noctu fidibus personare plateas, cantare ad limina, clandestina tentare colloquia, puellarum pudicitiæ insidiari, furtiva rapere oscula, ad modulos musicos agitare pedes, indulgere genio, evacuare pocula, lusitare aleâ, tempus otio transmittere, in multam lucem stertere, speculum de forma sæpe consulere, velle conspici, & alteri placere sexui, etiam citharœdum agere, & Fescennina canere, mulieribus assidere, fabellis & flabellis earum blanditias captare, fila ducentibus, acus lini de sinu excutere, & id unum laborare, ut iis se amabiles similitudine morum faciant, seducántque, ac seducantur.

VI. (*f*) Sed ad Paridem. Hæc tot, tantarúmque calamitatum inundatio unde profluxit, nisi ex stolido judicio, quô juvenis inconsultus & lascivus *Sapientiæ*, quam Pallas obtulerat, pravas Veneris illecebras antepositit? Quid hoc judice dementius? Si Palladi, uti par erat, primas addixisset; incomparabile donum, sapientiam, hoc est, rerum divinarum & humanarum scientiam, cognitionémque adeptus fuisset. Quid autem majus hoc munere? Sapientissimus mortalium testatur. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Prov. 8. Forma brevi defloresit: Honores fluctuant ad arbitrium popularis

(*e*) *Mollities juvenum.* (*f*) *Stolsditas juvenum in delectu bonorum ac malorum.*

populáris auræ ; Divitiæ vi, furtóve rapiuntur : Sola sapientia eripi non potest, quavis fortuna superior. *Gloriam sapientes possidebunt.* Prov. 3. Vice versa stulti infamiam, qualem Paris subiit, qui velut noctua de die cæcutiit, hoc est, ad sapientiæ, veri luminis objectum oculos non aperuit ; noctu verò, id est, in vanitate contemplanda acutissimus fuit. Aliter Alphonsus Rex Aragonum, qui rogatus, quomodo in tantis divitiis pauper effici posset ? respondit : Si sapientia venditaretur. Paris non admisit neque dono oblatam. Longè aliter elegit Salomon, qui, optione à Deo data petendi, quidquid vellet, omnibus votis antehabuit sapientiam ; & ecce, quod ipsemet asserit Sap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Opes scilicet, Potentia, Gloria, quâ reges omnium ætatum superavit. Paridi verò cum vecordi suo delectu venerunt omnia mala pariter. Verè Seneca : Voluptas fragilis est, & brevis : fastidit objecta : quò avidiùs hausta est, citius in contrarium recidens : cuius subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat. Res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. lib. 7. de benef. c. 2. Et quia tot mala ex unico malo, tam cruenta bella tam diræ cædes, clades, strages provenerunt, meritò *Discordia* hoc conflâsse pomum, atque ad rixam concitandam projecisse fingitur. Hîc oculos in pomum protoplastorum, & consequentes inde clades reflecte.

VII. In Judicio porrò hoc quænam partes litigantes fuêre ? Tres Deæ ambitione inflatæ, de præstantia formæ decertabant. O superbum animal mulier ! Tanquam pro aris & focis pugnandum sit, sic feminæ pro venustatis prærogativa dimicant. Hinc illis formæ.

Est in consilio matrona, admotáque lanis
Emerita quæ cessat acu. Sententia prima
Hujus erit : post hanc ætate atque arte minores
Cènsebunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ : tanta est quærendi cura decoris,
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Juven. lib. 2. sat. 6.

Hinc annulis radiant digiti, aures unionibus, frons gemmis, collum monilibus, brachia armillis ; genarum purpurissum, ut inter se contraria magis eluceścant, nigræ distinguunt maculæ, *muscas* vocant ; rectiùs

(g) *Arrogantia & superbia feminarum.*

rectiùs *emplastra* dicas, quæ sibi illinit superbia; nec curatur tamen. Meritò Plautus in Pœnulo:

Negotii sibi qui volet vim parare, navem & mulierem,
Hæc duo sibi comparato. Nam nullæ magis res duæ
Plus negotii habent: eas fortè si exornare occœperis,
Neque unquam hæ duæ res satis ornantur, neque eis ulla satis
Ornandi satietas est.

Equidem mundus muliebris similis est apparatui nautico: tantæ enim molis, & moliminis est, unam adornare feminam. Verè dixit Terentius in Heautom.

Nosti mores mulierum, dum poliuntur, dum comuntur, Annus est.: Nunquam satis lavantur, fricantur, terguntur, pinguntur, finguntur, expoliuntur, exornantur. Hinc continua illis statio & excubiæ ad speculum. lib. 3. reg. 10. memoratur classis Salomonis deferens ex Tharsis aurum & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pavos. Quæ quidam applicat, pictis, fucatis, plumarum diversitate variegatis puellis, de quarum una Tertullianus: Multicolor & discolor & versicolor: nunquam ipsa, semper alia, toties mutanda, quoties movenda lib. de Pallio. c. 3. Quod si aliqua sit, quæ simul & *Iunonem* divitiis, & *Palladem* scientiâ, & *Venerem* æquare pulchritudine videatur, tum, superi boni! quomodo sese circumspiciet, quale pennarum syrma explicabit, quæ imperia dabit, qua servitute premet subjectos; quibus oculis aspiciet æmulas, quo supercilio spernet inferiores, quibus fastidiis despiciet obsequia, ambitioni non commensa; qua fronte requiret officia superbè sperata: quibus auribus sitiet præconia; qua aviditate, & arrogantia hauriet adulatorios plausus: qua nare ringetur, quo stomacho torquebitur, si parci sint Numinis hujus cultores? si desint qui Palladi supplicent, Veneri litent, Junonem adorent? Et hoc genus deæ in pupparum modum adornatæ quoties suos decipiunt Parides, dum cuticula sub dealbatâ, tegunt ulcera pure fluentia: sub amabili vultu, blandis oculis, ridentibus labellis alunt tigrides & pantheras, tum primùm erupturas è stabulo, quando domum ductæ sunt hæ Nymphæ, & infelicia vincula, nullo possunt cuneo dissolvi.

populáris auræ ; Divitiæ vi, furtóve rapiuntur : Sola sapientia eripi non potest, quavis fortuna superior. *Gloriam sapientes possidebunt.* Prov. 3. Vice versa stulti infamiam, qualem Paris subiit, qui velut noctua de die cæcutiit, hoc est, ad sapientiæ, veri luminis objectum oculos non aperuit ; noctu verò, id est, in vanitate contemplanda acutissimus fuit. Aliter Alphonsus Rex Aragonum, qui rogatus, quomodo in tantis divitiis pauper effici posset ? respondit : Si sapientia venditaretur. Paris non admisit neque dono oblatam. Longè aliter elegit Salomon, qui, optione à Deo data petendi, quidquid vellet, omnibus votis antehabuit sapientiam ; & ecce, quod ipsemet asserit Sap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Opes scilicet, Potentia, Gloria, quâ reges omnium ætatum superavit. Paridi verò cum vecordi suo delectu venerunt omnia mala pariter. Verè Seneca : Voluptas fragilis est, & brevis : fastidit objecta : quò avidiùs hausta est, citius in contrarium recidens : cuius subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat. Res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. lib. 7. de benef. c. 2. Et quia tot mala ex unico malo, tam cruenta bella tam diræ cædes, clades, strages provenerunt, meritò *Discordia* hoc conflâsse pomum, atque ad rixam concitandam projecisse fingitur. Hîc oculos in pomum protoplastorum, & consequentes inde clades reflecte.

VII. In Judicio porrò hoc quænam partes litigantes fuêre ? Tres Deæ ambitione inflatæ, de præstantia formæ decertabant. O superbum animal mulier ! Tanquam pro aris & focis pugnandum sit, sic feminæ pro venustatis prærogativa dimicant. Hinc illis formæ.

Est in consilio matrona, admotáque lanis
Emerita quæ cessat acu. Sententia prima
Hujus erit : post hanc ætate atque arte minores
Cènsebunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ : tanta est quærendi cura decoris,
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Juven. lib. 2. sat. 6.

Hinc annulis radiant digiti, aures unionibus, frons gemmis, collum monilibus, brachia armillis ; genarum purpurissum, ut inter se contraria magis eluceścant, nigræ distinguunt maculæ, *muscas* vocant ; rectiùs

(g) *Arrogantia & superbia feminarum.*

SYMBOLVM LXXVIII.

Sinon & Helena, urbis Trojanæ proditores.

2. & 6. Æneid.

Ethicè.

1. Nimia credendi facilitas. 2. Prætextus religionis falsus. 3. Temeraria securitas.

CUm decimum jam annum obsiderent Ilium Græcorum Duces, virésque suas impensè labefactatas cernerent, desperatione capti, quod aperto Marte conficere diffidebant, ad dolos sibi confugiendum censuerunt. Equum igitur ligneum vastissimæ molis architectantur: ejus cava selectissimis è toto exercitu militibus, ac nonnullis etiam de numero Ducum infarciunt: rumorem disseminant, Palladi Numini Tutelari ad prosperandum in Græciam reditum (discessum enim simulabant) machinam istam esse compactam. Credita res à Trojanis: nam calamitosis facilè imponit spes meliorum, & à suspicione periculi abducit religionis persuasio. Latebant interea Græci in insula Tenedo, non longo intervallo à Troia distante. Subinde pastores Ilienses hominem ignotum, revinctis postè manibus, ad Priamum regem pertrahunt, *Sinon* vocabatur, *Sisyphi* filius, nepos *Autolyci*, furis nominatissimi, Mercurio geniti, de quo Ovidius. 11. Metam.

Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne:
Qui facere assuêrat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Avo & atavo per omnia similis Sinon, maximè omnium idoneus visus est Achivis, cui negotium adornandæ fraudis imponeretur. Noverat Sycophanta ad fallendum exercitatissimus, verbis mira simulatione compositis artes omnes commiserationis movendæ: narrat Ulyssem, scilicet infensissimum sibi, nihil aliud agere, quàm ut inveteratum in se odium crudelitate necis exoneret. Jámque se per speciem sacrificii fuisse ad aras trahendum victimam, nisi ruptis vinculis clàm profugisset, ultróque se in hostium manus dedisset, à quibus majorem humanitatem, quàm à suismet civibus speraret; sin' pereundum esset, solatio sibi futurum, hostili

filii potiùs, quàm Ulyſſis aut Menelai manu cadere. Quibus auditis, Priamus Rex Trojanorum, ad miſericordiam flexus, jubet captivo adimi vincula, promittit vitam, civitatem, gratiam; ſcitatur cauſam erectæ molis ligneæ. Pergit recenſere perfidioſus homo, concitatas Palladis iras per *Diomedem* & *Ulyſſem*, qui per ſummum ſacrilegium ipſius ſignum de nocte ex arce Trojana abſtulerint, atque in caſtra Græcorum aſportârint: exinde deam indignationis ſuæ manifeſtiſſima prodidiſſe indicia, eſséque reſponſum ab augure *Calchante* editum, primo quoque tempore renavigandum domum, auſpicia repetenda, Numen, cujus effigiem ſurripuerant, placandum: Inde placuiſſe conſilium, ingentis equi ſimulacrum efficiendi, próque piaculo ante mœnia Troiæ relinquendi. Cauſam inuſitatæ magnitudinis eſſe, ne per portas quiret in urbem introduci, atque ita populum Trojanum, ut Minervæ clientem, incolumen tueri. Si verò hoc *ſacrum* Trojani violâſſent, id præſenti exitio futurum; ſin' integer induceretur in civitatem, bellum inde in Græciam translatum iri. Fidem fecit ſubleſta nebulonis lingua. Cives uno ore equum in urbem recipiendum, Palladem propitiandam clamitant. Quid multa? pernicialis machina ſubjectis rotis, injectísque collo funibus, publico omnium plauſu in urbem per dirutam muri partem invehitur, fruſtra obnitente *Laocoonte* ſacerdote, & dolos ſubeſſe clamante. Recepta inſidioſa mole intra mœnia, omnia lætitiâ perſonabant. Ridebantur per compita & circulos Græci, & convitiis lacerabantur, qui re infecta poſt tot annos domum abire cum dedecore coacti fuiſſent. Indictæ feriæ, templa inumbrata ſertis ac floribus, viæ conſtratæ gramine, inſtituta convivia & ſympoſia. Cantabatur, ſaltabatur, edebatur, ludebatur, vomebatur, donec & plurima nox, & multa bacchationum laſſitudo ſomnum ſuaſit, an imperavit. Jacent ſecuri malorum omnium, vino ſomnóque demerſi altiſſimo. Cùm interea Græci temporis opportunitatem nacti, mediæ ſeu concubiæ noctis ſilentium, à Tenedo ſolventes, Lunâ ſubluſtri, Trojam versùs reducunt claſſem, ſublatis è prætoria navi facibus: ad quod indicium, *Sinon* clandeſtinò clauſtra equi reſerat: incluſi per funem deſcendunt, & confeſtim in vigiles irruunt, portas recludunt, ſociorum complura millia intromittunt, inſtructíſque agminibus, cives ad reſiſtendum longè imparatiſſimos adoriuntur, & contrucidant. Volant ubique ad tecta faces, crebreſcunt incendia, confuſi oppidanorum clamores, domorum procumbentium fragores exaudiuntur. Ferro & ignibus miſcentur cuncta; nec ſexui, nec ætati,

nec

nec templis ipsis parcitur. In tam miserabili strage partes suas luculenter egit Helena, à qua proditus Deiphobus maritus, naso, auribus, manibus fœdè detruncatis, dirissimè interfectus est ab Ulysse & Menelao. Ipsa nocentior etiam quàm Sinon, eâ nocte, qua equus erat inductus in urbem, religionem simulat, Orgia Bacchi celebrat, Trojanarum mulierum chorum circa machinam ducit: inter saltationes & cantus vibrantur in orbem lampades ardentes, mutuóque per manus traduntur: quô luminum indicio Græci ex arce, quam jam tenuerant, evocati, subitò irrupere, omniáque confusa cæde implevere. Adeò parùm erat teterrimæ mœchæ, suis ignibus ingentem belli flammam excitasse, nisi summa cum perfidia, ac nefario religionis prætextu, pereunti Troiæ, præfica facem præferret, tristissimúmque rogum accenderet. De ea loquentem apud inferos Deiphobum Maro inducit 6. Æneid.

Cùm fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa chorum simulans, evantes orgia circùm
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.

Ethica.

I. (*a*) Suis in versibus repetit sæpiùs Homerus ἢ θέλῳ, ἠὲ βίηφι seu *dolo*, seu *vi*. Quibus verbis strategemata seu vaframenta militaria commendat. Quippe non rarò caudâ vulpinâ est impetrandum, quod vis leonis præstare nequivit. Nec fortitudini tantùm virtutíque bellicæ ac virium robori, sed solerti etiam Ducum fallaciæ atque machinis locus relinquitur, quibus aut gravissima vitetur offensio: aut sine damno paretur victoria. Veteri dicto non *Jura* tantùm, sed etiam *bella* & *victoriæ* sunt vigilantibus. Prudentissimè ab Iphicrate, præclaro Atheniensium duce, pronuntiatum: gravissimam esse notam imperitiæ ac tarditatis militaris, dicere: *non putavi*. Et Val. Max. *Turpe est in re militari dicere: non putabam*. Cadit hoc in Trojanos, de quibus proverbium: *Serò sapiunt Phryges*, postquam scilicet in urbem inductus est equus ille fatalis. Si mica in illis providentiæ, *Laocoontem*, & *Cassandram* vatem audissent monentem: *Equo ne credite Teucri*: in lignea alvo clandestinæ latent insidiæ. Et verò subeuntem cum exitiali machina cladem potuissent, si mens non læva fuisset, in ipso portarum limine advertere & excludere. Poëta canit. ---- qua-

(*a*) *Incauta credulitas.*

..... quater ipso in limine portæ.

Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.

Nam quid illa restitatio, nisi omen venturi mali? quid armorum strepitus, nisi præsagium calamitatis? Qui ab Ulysse toties delusi, quid nisi fraudes debuissent suspicari? Et fictas Sinonis lacrimas quis non deprehendisset, si cogitâsset hominem & Græcum, & Græcâ fide præditum ultro capiendum se obtulisse, insidiosis & ex arte compositis verbis misericordiam captâsse? Et cùm ex uno sæpe discantur omnes, quid ni ex omnibus discerent unum, perfidum, perjurium, fraudulentum, fallacem, aliud simulantem, aliud agentem: nebulonem ad utrumque paratum, sive fallendum, sive moriendum? Nihil est enim formidolosius hoc hominum genere, si aperta virtute agendum sit; nihil contrà audacius, cùm sperant per fraudes sibi aliquid ex sententia successurum. Sed prævaluit prudentiæ stulta credulitas. Nam quod avidè speratur, citò creditur, & longis suspiriis expiatur. Si latebras equi scrutati fuissent:

Trojáque nunc stares, Priamíque arx alta maneres.

Maxima culpa penes vulgus fuit, quod rarò sentit cum sapientibus, in quo, juxta Ciceronem pro Plancio, non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia. Bellua multorum capitum, sed nullius cerebri

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Hoc consultore, quid nisi stolida, temeraria, damnosa consilia proveniant? si sapuissent, timere debuissent *Danaos & dona ferentes*. Hinc in adagio, *Danaûm munera*, accipienti perniciosa.

II. (*b*) Sinon ut nequiùs deciperet, sceleri religionem prætexuit: mentitus est, Equum illum divinâ Palladis arte ædificatum, Palladi consecratum, votô à Græcis nuncupatô. Quid fraudulentius? Fecit idem Helena, dum in honorem Bacchi simulatas, revera in exitium Troiæ ferales choreas duxit. Successum uterque dolus sacrilegus, apud animos superstitione imbutos habuit. Hinc omnes.

Ducendum ad sedes simulacrum, orandáque Divæ
Numina conclamavit.

Verissimè Curt. lib. 4. Nulla res efficaciùs multitudinem regit, quàm superstitio: alioquin impotens, sæva, mutabilis, ubi vana religione capta est, meliùs vatibus, quàm ducibus suis paret. Et Liv. lib. 39. Nihil in speciem fallacius, quàm prava religio, ubi Deorum Numen prætenditur

(*b*) *Pretextus religionis.*

tenditur sceleribus. Et Mariana lib. 9. hist. Hispan. c. 18. Nihil tenaciùs inhæret, quàm quod religionis specie defenditur. Et Lucret. lib. 1.

Tantum relligio potuit suadere malorum.

Dissidebant priùs Trojani; sed ubi fraudibus Sinonis religio Minervæ, & superstitio vana accessit, omnes conclamant, equum ad arcem ducendum. Nec mora; dividuntur muri panduntur mœnia,

Accingunt omnes operi, pedibúsque rotarum
Subjiciunt lapsus, & stupea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros
Fœta armis: circûm pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funémque manu contingere gaudent;
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.

Tantùm potuit superstitio dolosa, & inde temerè concepta lætitia. Eam fraudem etiam *Artemisia*, Cariæ regina, intendit, cùm Latmum urbem occupatura, armatas copias occultavit. Ipsa námque cum eunuchis, mulieribus, tibicinibus, ac tympanistis in lucum matris deorum, qui septem stadiis ab urbe distabat, sacra peractum accessit. Latmiis id advertentibus, & pietatem ejus contemplantibus, admirantibúsque, ii, qui latebant, consurgentes, urbem invaserunt, armis haud obtinendam Polyæn. lib. 7. Nôrunt hanc fallaciam etiam nostræ ætatis Sinones pseudopolitici, quibus nihil est consuetius, quàm sub religionis specie, religionem evertere, templa profanare, naso ductare Principes, pessundare regna, fas omne & nefas confundere. Lipsii pronunciatum est: Ambitio & Avaritia sæpè velatur religionis mantelo; addo ego, Perfidia & Proditio.

III. (*c*) Excidii Trojani præterea causa fuit, temeraria securitas, & hinc in comessationes, & ludos prolapsi. Nocet contemptus hostis; & nemo celeriùs opprimitur, quàm qui nihil timet; frequentissimum initium calamitatis securitas. Pulchrum in Annibale elogium: Omnia ei hostium haud secus, quàm sua, nota erant. Secus omnia apud Trojanos. Hinc Græci.

Invadunt urbem vino, somnóque sepultam.

Fessis nimirum vino, multóque somno oppressis Phrygibus, repentè supervenere Græci, & impunè stragem dedere. Primi omnium cæduntur vigiles, tanquam pecudes, non resistentes; quod ipsi quoque in communi lætitia suas partes egissent, séque vino approbè irrigassent, & som-

(*c*) *Temeraria securitas.*

somno pleni, quid agerent aut ubi essent, nescirent. Sic Babylon à Cyro occupata est, urbs potentissima atque amplissima, ita ut cùm capti essent, qui extremas urbis partes incolebant, ii, qui mediam urbem inhabitabant, id ignorarent: nam, (quòd fortè dies festus eis esset) exercendis choreis, atque oblectationibus operam dabant; donec malo suo didicerunt, quid sit, lætitiam sociare luctui. Herodot. lib. 1. Aliter Epaminondas, qui, cùm Thebana civitas diem festum ageret, civésque crapulæ indulgerent, noctu obibat muros cogitabundus, ac sobrius. Percunctatus est eum quidam è familiaribus, quid esset, cur solus ipse communis gaudii expers, & ita tristis obambularet. Ut vobis, inquit, tantò securiùs ebriis ac stertentibus esse liceat. Plut. in apophtheg. Princip. Servata fuisset Troja, si *Sobrietas* & *Vigilantia* portas servâssent. Multarum urbium ac magnorum exercituum fatum est, *Luxus*, ejúsque comites *Negligentia* & *Socordia*. Sic Athenienses Oxobius Romanorum Dux, illunem noctem observans, dormientes ebriósque aggressus est, & perculit. Athenæus lib. 5. Sic Germani apud Tacitum lib. 4. in bello Vitelliano largis epulis vinóque sopiti, & clausis foribus igne injecto cremati sunt. Sic Gracchus Campanos media nocte imparatos oppressit. Liv. lib. 23. Sic Maharbal Dux Carthaginensis contra Afros rebellantes missus, cùm sciret gentem esse vini avidam, nocte sarcinulis intra castra, cum vino ex mandragora medicato, relictis, fugam mentitus est. Barbari castris occupatis in gaudium simul & merum effusi, instar mortuorum sopitis sensibus strati partim capti, partim jugulati sunt. Sic Cyrus rex Persarum Scythis improvisus supervenit, ipsósque potantes epulantésque cum reginæ Tomyridis filio adolescente, rerum militarium malè gnaro interfecit. Herod. lib. 1. Et quid aliud

Hannibalem, Martem illum Punicum fregit & stravit, quàm
Campana luxuria, quæ invictum armis, illecebris
suis complexa, vincendum Romano
militi dedit? Valer.
lib. 9. c. 1.

SYMBOLVM LXXIX.

Æneas ſpeculum Pietatis in ſuperos, Patriam, parentes.

2. Æneid.

Ethicè.

1. Pietas in parentes. 2. Pietas in ſuperos. 3. Imitatores Æneæ in pietate. 4. Quid parentibus debeamus. 5. Amor conjugalis.

CUm Troja à Græcis capta & direpta undique flammis arderet, Æneas monitu Veneris, ſcilicet parentis, jubetur extremo ſe cum ſuis diſcrimini ſubducere. Durum imperium viro, glorioſam inter occumbentis patriæ ruinas, mortem, non imbellem fugam ſpectanti. Vicit tamen pietas; Æneas *Anchiſæ* genitoris ſenio confecti, ſalutem magis in conſilio habuit, quàm ſuam. Hunc ſolum exportare, erat omnia exportâſſe. Initio præfractè recuſare ſenex; denique partim prodigiis, flammæ comam ſine noxa in puero Aſcanio lambentis, partim importunis filii precibus victus, ſuſtinuit in humeros Æneæ tolli, & comitante *Aſcanio* nepote, filiique uxore *Creuſa*, in locum tutiorem deferri. Mirum ſanè ſpectaculum! in illa urbis miſerandæ conflagratione: inter confuſos oppidanorum ac hoſtium clamores, tubarum armorúmque ſonitus, domorum procumbentium fragores: in promiſcua virorum, feminarum, puerorum cæde, Æneas, cùm ampliùs virtuti locus in armis non eſſet, exemplum tamen virtutis edidit, ſæculis omnibus memorandum. Effert è patria, ferro flammáque vaſtata, quod unicum eripi non potuit, animum pietate pleniſſimum. Geſtat humeris parentem filius, parens in manibus Penates patrios; & ſic per ignes, per enſes incolumis uterque cum parvulo Aſcanio evadit. Ponè ſequebatur Creuſa: quam dum, neſcio, quo ſtrepitu armatorum contrà venientium, territus Æneas de via deflectit, amiſit; neque enim ſinebat animum reflectere ſollicitudo oneris & parvi comitis. Ubi verò extra periculum conſtitutus, advertit deſiderari conjugem, dolore penè inſaniens, remetitur viam, & inter noctis ac hoſtium horrorem, quaquaverſum circumfert aures ac oculos, ſi qua veſtigia uxoris deprehendat. Denique quærenti, & ne quicquam Creuſam ſuam ingeminanti, offert ſe illius imago,

go, humanâ major, jubétque curas ponere, nec sibi invidere felicitatem, jam cum Cybele, Deorum matre, in cœlestium locis versanti: non sine numine Divûm hæc fieri, quippe qui longum ejus exilium & navigationem essent rebus secundis excepturi, eique pro amissa Conjuge, *Laviniam*, sponsam regiam, & cum ea Italiam, terram beatam, daturi. Quibus dictis evanuit, & Æneæ brachia in amplexus parantis, elusit.

Ethica.

I. (*a*) Hæc est illa pietas Æneæ, nunquam satis celebrata veteribus, qua ille patrem humeris suis ex incendio eripuit. Intuere spectaculum hoc. Æneas Princeps civitatis, fugit incensâ Trojâ; cum eo tota domus, ac famuli; atqui nemini vult paternum pondus commendare, ipse caput inclinat suscipiendo oneri. Aspice heroëm leonis spolio indutum, cui in humeris pater sedet, cui parvus filius hæret in manu, quem à tergo conjux sequitur: inter hæc cerne, *Sacra* & Penates deos in manu senis; omnia unus servat, *Sacra* manu Patris: *Patrem* humeris: *natum* dextrâ: *conjugem* vestigiis. Quæ plura unus potuit? Addiderunt superi novo spectaculo complementum. Nam ecce, subitò flammæ pietatem novam in Deos, atque in Patrem, natum, conjugem admiratæ, recedere cœperunt, ac veritæ, sunt ne virum pium contingerent, aut læderent. Ipse de se Æneas:

---- ducente Deo, flammam inter & hostes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.

Tanta vis est pietatis, tanta potentia virtutis. Quot laudatores habuit præclarissimum hoc facinus? Stat. 3. Silvar.

Felix, cui magna patrem cervice vehenti
Sacra, Myceneæ patuit reverentia flammæ.

Ovid. lib. 4. Fast.

An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cùm dedit ignis iter.

Propert. lib. 4. eleg. 1.

Cùm pater in nati tremulus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.

Horat. in carm. sæc.

Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Æneas patriæ superstes
Liberum munivit iter.

Graviter

(*a*) *Pietas in parentes.*

Graviter Seneca. Lib. 3. de benefic. c. 37. Vicit Æneas patrem, ipse eius in infantia leve, tutúmque gestamen, gravem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se urbis minas ferens, cùm complexus Sacra, ac Penates deos religiosus senex, non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes. Et quid non pietas potest? pertulit, colendúmque inter conditores Romani imperii posuit. Hoc facinus etiam Græci carminibus nobilitârunt. Inter alia extat epigramma ita Latinè versum:

Cùm ferret medios proles Cytherea per hostes
Impositi collo languida membra patris:
Parcite, ait, Danai: levis est sene gloria rapto;
At non erepto gloria patre levis.

Celebrat hoc factum Sanazarius lib. 1. in gemmam suam, in qua insculptus Æneas, patrem vehens. Celebrârunt Augusti suis gemmis. Inveniuntur enim nummi Antonini Pii, cum signo Æneæ patrem humeris gestantis, quem ille cudi jussit, ut in socerum pietatem suam ostentaret, quem languidum, humeris sublatum, in senatum, vel quò opus fuisset, pii Æneæ instar, ferebat. Æneas parenti succollans Symbolum est pietatis, quæ parentibus debetur: adscribe lemma ex Marone:

Nec me labor iste gravabit.

II. (*b*) Dubium reliquit Æneas, spectabiliórne esset eius in parentem pietas, an in deos. Nam quæ pompa unquam fuit nobilior, quis glorioſior triumphus, quàm spectare virum fortissimum per medios hostes & ignes, patriæque ruinas, incedentem, oblitum sui, memorem oneris, officii, pietatis, Penatum, seu Divorum Tutelarium, quibus primas curas debebat; deinde genitoris, cui secundas: postea Ascanii filii, cui tertias: denique uxoris, quam chariorem omnibus cimeliis habebat. Sic oneratus, sic stipatus spectaculum præbuit seculis omnibus non magis admirandum quàm imitandum.

III. (*c*) Et verò non defuêre posteris ætatibus æmulæ pietatis exempla. Amphinomus & Anapius fratres siculi, Catanâ oriundi, cum Ætnæ montis incendio urbs, & omnis prope Sicilia deflagraret, parentes humeris superimpositos periculo subduxerunt, medios ipsi inter ignium vomitus illæsi, recedentibus, aut subsidentibus flammis, quà ibant. Val. Lib. 5. Solinus, alii. De quibus Claudianus

Aspice sudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos semper honore coli.

Justa

(*b*) *Pietas in Superos.* (*c*) *Imitatores Æneæ.*

Justa quibus rapidæ cessit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces. &c.

De iisdem Seneca post historiam Æneæ, loco adducto: Desediſſe creditum est ignes, utrinque flamma accedente limitem ad apertum, per quem transcurrerent juvenes, dignissimi, qui magna tutò auderent. Solinus addit, locum, ubi illi conditi, dictum *Campum Piorum*: angusto namque tumulo tanta non poterat condi virtus. Non minor fuit in hoc argumento feminarum gloria. Ex Valerio lib. 5. c. 4. & Plinio l. 7. c. 36. constat matrem inediâ in carcere consumendam, à filiæ lactantis ubere conservatam, locúmque *Pietati* consecratum, templô ibi exstructô. Alia patrem consimili fortuna, custodiæ traditum, jam ultima senectute, velut infantem pectori suo admotum aluit, referente Valerio, & pictam eius facti imaginem spectantibus admirationi ac stupori fuisse memorante. Recentius est, quod Jovianus Pontænus lib. 2. de obedient. narrat, Puellam in Gallia fuisse, quæ parentem ab Hugonotis latè grassantibus, perfidiosè interemptum quæsitura, sola in arcem ascenderit, pérque hostium cuneos animo imperterrito penetrans, cadaverum acervos scrutata sit; tandémque inventum, & multis vulneribus concisum, sed palpitantem adhuc, & extremum propè spiritum ducentem, in humeros sustulerit, mirantibúsque summopere hostibus, quanquam rabie efferatissimis, domum deportârit, diligentissimáque, & amantissima cura ac curatione, vitæ, salutíque restituerit.

IV. (*d*) Quæ parentibus sint rependenda, Socrates apud Platonem 4. de legibus exponit: Ita enim singuli apud se statuere debent, omnia quæ penes se habent, eorum planè esse, à quibus & geniti sint ipsi, & in hanc lucem educti, & à quibus educati; ac proinde arctissimo debito teneri, ut ad omnia obsequia illis pro viribus exhibenda, ut pro antiquis illis parentum suorum curis, & doloribus, quos ipsi juvenibus mutuò impenderint, iisdem parentibus suis in senectute reddant, atque restituant, tum videlicet, cùm illis maximè indigent. D. Ambrosius filium quendam matri inofficiosum ita alloquitur. Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit: non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi quem noluit

(*d*) *Quid parentibus debeamus.*

noluit, cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit. In cap. 18. Luceæ ad illud : Honora patrem tuum & matrem. Pietatis in parentes præclarum Symbolum est ciconia ; nam reliqua animantia tantisper amant, agnoscúntque parentes , dum egent illorum ad nutricationem operâ; ciconia parentes senectâ defectos vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat ac defendit. Unde ἀντιπελαργεῖν apud Græcos , est mutuam officii vicem rependere , maximè nutricandi, fovendíque eos, à quibus aliquando fueris enutritus, aut institutus. A ciconiæ natura sumptum, quæ Græcè πέλαργος dicitur. Laborant infamia impietatis viperæ , quæ perfracta matris alvo nascuntur : item scorpiones & aranei qui post incubatûs officium , à suis fœtibus interimuntur. Quæ feritas utinam etiam ad homines ne transiret. De Nerone parricida acutè Ausonius:

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem : sustulit ille patrem.

Amœnum est, quod de pietate filiali Diodorus Siculus narrat lib. 20. Tres fuere cuidam Cimmeriorum Regum, filii : regnum paternum quisque affectabat. Ariopharnes Thracum Rex eligitur judex. Hic erutum patris eorum cadaver è sepulchro, arbori alligat, arcui sortem committit. Regni successor destinatur , qui cor patris sagittâ tetigisset. Primogenitus guttur, alter medium pectus corde illæsô, transfixit. Superarat minimo spes regni ; vicit pietas ; & se regno cedere malle , dum in patris cadaver pietate superior esset , professus, jaculari detrectavit. Huic ergo regnum est adjudicatum, quòd se pariter & verè filium, & virtute superiorem demonstrâsset. De ciconiarum pietate in parentes vide Alciati Emblema XXX.

V. (e) Virgilius etiam in Ænea prædicat amorem , affectúmque conjugalem. Æneas de se:

Ipse urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes, omnémque reverti
Per Trojam, & rursus caput objectare periclis.

Imò uxorem non tam quærebat, quàm studiô inveniendi furebat, ita ut in summo discrimine non dubitaret eius nomen inclamare.

Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias : mœstúsque Creusam
Nequicquam ingeminans , iterúmque iterúmque vocavi.
Quærenti & tectis urbis sine fine furenti
Infelix simulachrum ; atque ipsius umbra Creusa
Visa mihi ante oculos &c. Me-

(e) *Amor Conjugalis.*

Memorabile est, quod paulò supra adductus Jovianus Pontanus testatur, sua ætate accidisse. Agricola Lentiscolensis, in regno Neapolitano, agrum colebat, juxta mare; à quo uxorem aliquantùm loci spatio disjunctam, Tunetani piratæ, seu mauri, in littus prædatum egressi, ceperant. Maritus ubi vidit uxorem non apparere, neque longè piraticam triremem in anchoris stare conspexit; arbitratus id, quod erat, in ea uxorem esse; illicò in mare desiliit, atque ad triremem adnatavit. Receptus, gubernatori dixit; causam sibi per fluctus veniendi fuisse, quòd sequi uxorem, & cum ea servitutem potiùs pati, quàm domi regnare constituisset. Qua re à Mauris non sine ingenti admiratione auditâ, cùm, quod factum erat postea Tunetensi regi narrâssent, is tanta hominis fide, atque charitate motus, & virum & uxorem liberos esse jussit, atque inter regiæ custodiæ milites hominem adoptavit. Fulgos. lib. 4. c. 6.

Hos labores & discrimina meretur uxor virtute præstans. Monet Siracides: *noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini.* Eccsiast. c. 7. Contra aurum ac gemmas æstimanda est conjux prudentiæ, probitatis, pietatis laude commendabilis. Idem c. 40. *Amicus & Sodalis in tempore convenientes* (subaudi grati sunt & mutuò se delectant) *& super utrosque mulier cum viro.* Cujus ipsa dimidium est, & una quasi anima, pro qua conservanda nullis sumptibus parcendum, nulla pericula reformidanda. Sed ò quàm pauci sunt Æneæ, pro uxoribus suis, per tela, per ignes sese inferentes; quàm multi potiùs per ferrum & flammas fugere cupiant, ne in amissam *Creusam* suam incidant; imò, quam ne videant, ultimam Thulen expulsam velint, tunc præsertim, cùm locum habet illud Satyrici:

Si verum excutias, facies, non uxor amatur;
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores;
Collige sarcinulas, dicet libertus & exi,
Jam gravis es nobis. Juven. Sat. 6.

SYMBOLVM LXXX.

Æneæ descensus ad inferos.

6. Æneid.

Ethicè.

1. Rami aurei ab Ænea decerpti moralis significatio. 2. Columba symbolum mentis integræ. 3. Facilis descensus averni. 4. Mala Gaudia. 5. Conscientiæ tormenta. 6. Inferorum horror. 7. Judices inferorum & Furiæ scelerum vindices.

POstquam ex Phrygia profugiens Æneas, classe delatus est *Cumas*, urbem Campaniæ mari Tyrrheno adsitam, nihil duxit antiquius, quàm ut *Sibyllam*, illic locorum in antro horrendo habitantem, accederet, cujus ductu ad inferorum sedes penetraret. Ingredienti Dianæ lucum, ultro occurrit vates, promittítque se vias ad infernas plagas, atque adeò ad Patrem Anchisen visendum, demonstraturam; si tamen priùs ramum aureum in opaca quadam nemoris arbore latentem decerpserit, eúmque Proserpinæ munus tulerit: esse verò hanc illius ramusculi naturam, ut avulsô unô, statim subnascatur alter, similique metallo frondescat: cæterùm caveret ferrum ad eum convellendum adhibere, cùm manum carpentis sit facillimè secuturus. His instructus monitis Æneas, dum Sibylla ducente, Dianæ lucum diligenter perlustrat, sollicitéque Deos precatur:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto!

Ecce tibi geminæ sese columbæ sub aspectum offerunt, quæ volatu antecedentes, ut primùm ad lacum *Avernum* pervenere, consederunt in arbore votis omnibus exoptata, ob aureum in ea ramum refulgentem. Hîc inferorum victimis immolatis, manibúsque placatis, adfuit mox sacris advocata dea Proserpina seu Hecate, multis stipata canibus, horrendùm ululantibus. Æneas hortatu comitis fortiter stringit gladium adversùs monstra, séque præeunte vatidica duce, imperterritus immittit in antrum, per quod descensus ad inferos patebat. In ipso aditu apparent terribiles formæ, *Luctus*, *Curæ*, *Morbi*, *Senectus*, *Metus*, *Fames*,

mes, *Egestas*, *Lethum*, *Labor*, *Bellum*, *Furiæ*. Præterea *Centauri*, *Hydra*, *Gorgones*, *Chimæra*, *Harpyiæ*, aliáque portenta tremenda. Hinc ad Acherontem atque Cocytum, infernales fluvios (quos plurimæ hominum umbræ sepulturâ carentium circumvolabant) defertur. *Charon* tam cultu, quàm aspectu horridus senex, id loci Portitor est, & animarum eò confluentium Transvector. Qui ubi conspexit Æneam armatum adventantem, imperiosis facessere jussit à regnis Plutoniis. Crudum nautam jubet Sibylla metum ponere de hospite minimè malo, & cum dicto ostendit ramum aureum. Quô viso, statim placatior Charon, advertit cymbam ripæ, & Æneam, Sibyllámque transmittit. In littus expositos allatrat triceps Cerberus: quem tamen objecta offa medicata mox in somnum dedit adeò profundum, ut in humum prostratus, toto extenderetur antro.

Custode sopito, Æneas occupat aditum Tartari, & ad interiora progressus, mira videt, audítque. In limine percipiebatur vagitus infantum, quos acerba mors in ipsis cunis rapuit innocentes, & criminis omnis expertes. Juxta hos visebantur, qui falsô accusati, damnatíque fuere. Hîc Minos capitalium rerum Quæsitor tribunal habebat, qui diligenter ac severè examinat, quæ quisque inter mortales gesserit, *vitásque & crimina discit*. Proxima tenebant loca, qui sibi ipsi violentas manus intulerunt, vel tædio vitæ adacti, vel mortem præferentes turpi servituti. Nec procul inde mœsta inter myrteta, lachrymis indulgebant feminæ, quæ amore partim honesto, partim turpi victæ, necem sibi consciverunt. Inter quas, longo luctu tabescebat infelix *Dido*, quæ amoris erga Æneam impatientiâ, gladiô per pectus transactô, se transfixit. Porrò pergentibus, virorum bellicosorum, & militarium ducum, fortiter in acie cadentium, manes se offerebant. His ita conspectis, Sibylla cum comite suo pervenit ad mœnia *Tartari*, triplici muro adamantino clausa, & Phlegethonte, ardente fluvio, ambita. In foribus excubabat *Tisiphone* Furiarum dirissima, diu noctúque pervigil, flagellis terribilis, & serpentibus armata. Hîc exaudiri gemitus damnatorum, sonare sæva Eumenidum verbera, stridórque ferri, tractæque catenæ: hîc Rhadamanthus durissima exercet judicia: cogítque invitos sua fateri commissa, & quæ olim in occulto patrata, nunc palàm proferre. In hos, Carnifices sunt constitutæ *Furiæ*, miseris acerbissimè insultantes, torvósque in faciem angues intentantes; & post flagellorum sectiones, ad diriora supplicia remittentes. Hinc ad interiora delati, prô superi! qualia monstra cernebant?

Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet ſedem.

Hîc ſpectare fuit *Titanum* gentem nefariam, montes montibus imponere, & bellum movere ſuperis auſam. Hîc *Salmoneus*, rex quondam Elidis, crudeles dabat pœnas, qui tonitrua & fulmina Jovis impiè ac temerariè imitaturus, cœleſti igne conflagravit. Hîc *Tityus*, truculentus *Terræ* filius, in novem jugera porrectus, ſcelerum ſuorum dat ſupplicia, dum jecur ipſius ſemper renaſcens ſæviſſimus vultur adunco roſtro depaſcit & diſcerpit. Hîc *Ixion* ob libidinis flagitium, volucri innexus rotæ, circumagitur, & dilaceratur. Hîc *Siſyphus* Latrociniis olim infamis cogitur perdius pernox ſaxum in montis verticem provolvere; quod cùm ingenti labore ad ſummum propè extulerit, repentè deorſum relabitur, & inanes conatus fruſtratur. Hîc *Tantalo* lapis jamjam lapſurus, nunquam labens, ſupra caput imminet, eúmque perpetuo timore exanimat. Et quanquam videatur aureo thoro regales inter epulas recumbere, juxtà tamen accubat horrifica Megæra:

------ & manibus prohibet contingere menſas;
Exurgítque facem attollens, atque intonat ore:

Dum canina fame ſtimulatum, & appoſitas dapes devorare cupientem, elata face, & terribili voce abſterret. Hîc *Belides*, quinquaginta Danai filiæ, ob viros ſuos de nocte jugulatos, coguntur urnis perforatis aquam haurire, æternùm non implendis. Hîc pœnas luunt qui fraterno diſſidebant odiô, quíque ſuos parentes pulsârunt manu: qui fraudulenter circumvenerunt clientes: qui ſuis omnia metientes commodis, incubuêre divitiis, nullâ ſuorum curâ habitâ: qui cæſi propter alienum thorum violatum: qui bella tractarunt civilia: qui patriam vendiderunt aurô: qui fidem dominis datam fefellerunt: qui leges pretio fixerunt, atque refixerunt: qui nuptias infandas & inceſtas inierunt. Hi omnes cruciatibus tam immanibus excarnificantur, ut nullo nec calamo, nec lingua explicari poſſit. In quibus *Phlegyas*, pater Ixionis, homo ſceleratiſſimus, magna voce teſtatur per umbras:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Inter hæc greſſum promovent ad ipſam *Plutonis* regiam, Cyclopum opere magnificè exſtructam. In cuius porta ubi ramum aureum Æneas ſuſpendit, ſéque luſtravit aqua, longiùs procedendo, ad Elyſios deveniunt Hortos, amœniſſimas *Beatorum* Sedes, quibus ſua lucent ſidera, ſuúsque Sol, à noſtro multùm orbe diverſus. Ibi Orpheus ſuaviſſima modulatione

modulatione pulsabat citharam, cui felices accinebant incolæ, & ad numerum choreas ducebant, Præcipuè veniebant sub oculos longa serie Reges Trojani, magnanimíque heroës, qui positis armis, lætum pœana in separato laurorum nemore canebant. His proximi, qui pro patria spiritum extremum effuderunt: qui singularem in vita castimoniam coluere, qui veritatis peramantes fuere: quíque artes, hominum societati utiles, invenerunt: quíque liberales atque officiosi, alios sui memores *fecere merendo.* Hi omnes ut Æneam summa voluptate perfuderunt, ita maximam peperit lætitiam aspectus & alloquium parentis Anchisæ, in cuius amplexus ruiturum Æneam, frustravit imago, nulli obnoxia contactui. Cæterùm nemus illud alluebat fluvius *Lethe.* Circa quem innumeræ volitabant animæ, quibus fato debebantur altera corpora, & ad vitam reditus: eæ avidè potabant fluminis undam, & cum ea rerum omnium oblivionem. Nam quis vellet ad corpus reverti, qui vel memor deliciarum, quibus fruebatur in Campis Elysiis, vel reminiscens molestiarum, quas pertulerat in vita, nisi amne Lethæo memoria exantlatorum laborum demersa fuisset? Denique dulcissimo cum parente colloquio ubi datum est satis, Æneas ducitur ad locum, ubi poterat videre, & agnoscere futuram sobolem, Romanámque ex ordine gentem. Edoctus igitur dilucidè de propagatione generis sui, rebúsque post longa sæcula futuris, valedixit Anchisæ, cúmque Sibylla in oras fluminis remeavit.

Ethica.

1. (a) *Ramus aureus, Æneæ 6.* Æneid.

Hic Æneæ, Trojani Principis, ad inferos, & campos Elysios descensus, magnam nobis optimarum instructionum segetem suppeditat. Nam imprimis *Aureus* ille *Ramus*, quid est aliud, nisi *Prudentia*, qua duce vir fortis omnia discrimina pervadit?

----- primô avulsô, non deficit alter.

Nam per exercitationem virtus non minuitur, sed augetur. Ex *ilice*, arbore infrugifera, decus illud aureum defringitur: *virtus* enim sibi sufficit ipsa; éstque sui gratiâ, non præmii, expetenda. Vnde olim corona quercina, maximum honoris ornamentum. Hanc frondem seu virgam, miratur Charon *longo post tempore visam:* quia pauci boni, paucíque sapientes hac virgula divina instructi sunt; contra verò malorum stultorúmque plena omnia. Intelligas etiam per *Ramum aureum* prosa-

(a) *Ramus aureus significat prudentiam, virtutem, nobilitatem, fortitudinem.*

piam nobilem, sanguine & virtute ad posteros propagatam; ex avita stirpe, & multis trophæis ornata, *uno avulso non deficit alter.* Majorum decora per æmulos traducuntur ad posteros. Strenuitatis argumentum ab antiquis Germanis habitum est, ex auro, argentóve obtenta folia. Henricus Thuringiæ Landgravius Northusiæ decursionem militarem, seu hastiludium instituit: Bravium erat, arbos ex aureis & argenteis foliis erecta. Singulis concurrentibus & frangentibus hastas, sed in sessione permanentibus, argenteum cessit folium, si quis autem adversarium ex equo dejecisset, aureum ei dabatur. Ita Chronic. Misnense.

II. (b) *Columbæ Æneæ duces.*

Æneam ad arborem felicem geminæ duxere columbæ prævolantes. Sunt enim innocentiæ, mentisque excelsæ symbolum: nam aves hæ amant tecta candida, & summa domorum petunt. Læta auspicia per columbas duci, ex divinis quoque litteris discimus. ps. 67. Laudantur columbarum *pennæ deargentatæ, & posteriora dorsi aurea.* Ab argento nimirum, seu puritate vitæ, ac mentis integritate transitus est ad felicitatem auream, olim in Elysiis hortis, hoc est, in cœlo obtinendam.

III (c) *Facilis descensus averni,* Sed revocare gradum,
hoc opus, hic labor est.

Inter Sibyllæ effata, etiam hoc fuit:

------- Facilis descensus Averni;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superásque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Quibus versibus innuitur, facilem & proclivem esse lapsum in vitia, sed difficilem reditum ad virtutem. *Socrates* cùm aliquando in colloquium cum Theodota, meretrice famosissima, venisset, quæ Callisthenem, Socratis discipulum, blandis ad se verbis trahebat, Philosopho dixisse fertur: *Ego quidem, ô Socrates, multò te superior sum. Nam cùm tu neminem ex meis à me possis abalienare; ego cùm libitum est, tuos omnes à te avoco.* Cui is respondit: *Non mirum quidem hoc. Tu si quidem ad declivem tramitem omnes rapis; ego verò ad virtutem duco, ad quam arduus plerisque & insolitus est ascensus.* Nimirum corrupta hominum natura facilè deflectit ad vitia, quorum lata est via; abhorret à virtutibus, ad quarum fastigium arduus & spinosus est callis. Ælian. lib. 13. hist. Seneca teste, vitia & flagitia sine magistro discuntur, & ea nos ad inferos mittunt. Neque laborioſum est, descendere ad illud scele-

(b) *Columbæ symbolum mentis integræ.* (c) *Facilis descensus Averni.*

scelerum & suppliciorum barathrum; sed revocare gradum, & referre pedem, séque à lapsu per salutarem pœnitudinem recipere, *hoc opus, hic labor est.* Degustatis enim malè jucundis voluptatibus, vix ab illis divelli mortales possunt. Deinde inexorabiles sunt Tartari fores; serò pulsantur gemitu. Propert. lib 4. eleg. 12.

Cùm semel infernas intrârunt funera leges
Non exorato stant adamante viæ.

Inexplicabilis, immensa, incomprehensibilis est pœnarum æternitas,

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non Torquate genus, non te facundia, nec te
Restituet pietas. Horat. lib. 4. ad 7.

IV. *Mala Gaudia.* 6. Æneid.

In Orci vestibulo qualia monstra, quàm terribilia sese objecerunt Æneæ! Audi Poëtam.

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci
Luctus, & ultrices posuere cubilia *Curæ.*
Pallentésque habitant Morbi, tristisque *Senectus*
Et *Metus*, & malè suada *Fames*, & turpis *Egestas*,
(Terribiles visu Formæ) Lethúmque, Labórque,
Tum consanguineus Lethi *Sopor*, & mala mentis
Gaudia: mortiferúmque adverso in limine *Bellum*,
Ferreique *Eumenidum* thalami, & *Discordia* demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis,
Multáque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, *Scyllæq;* biformes,
Et centum-geminus *Briarêus*, ac bellua *Lernæ*
Horrendum stridens, flammis armata *Chimera*,
Gorgones, *Harpyiæq;*, & forma tricorporis *Vmbræ*

(*d*) Ubi nota, *Mala mentis Gaudia*; De quibus sacræ litteræ: *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. Sic in Apulia morsi à tarantulis, continuò saltant, & tripudiant, & saltitando ac tripudiando emoriuntur. Sic cicadæ canendo & strependo vitam relinquunt, quibus S. Ambros. lib. 1. epist. 6. homines comparat voluptarios, qui sub ardore ferventium cupiditatum se mulcent cantu, sibi noxio, statúmque occidunt. Sic scortator sua gaudia jactat:

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte,
Immortalis ero, si altera talis erit. Itáne

(*d*) *Pernicios a gaudia.*

Itáne homo impuriſſime ac perditiſſime, tu iſta ratione immortalitatem quæris? Quid ille avarus apud Horatium? quàm gaudet argento ſuo?

---- populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Quid Ergaſilus paraſitus in Captivis plauti? quàm ſuo ventri gratulatur, dum vadit Hegioni nuntiare adventum filii, quem in publica celoce, in portu primus conſpexerat?

Jupiter ſupreme ſervas me, meásque auges opes,
Maximas opimitates, opiparásque offers mihi
Laudem, lucrum, ludum, jocum, feſtivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium &c.

Verè Seneca Epiſt. 60. *Gaudium niſi ſapienti contingere non poteſt.* Gaudio enim junctum eſt, non deſinere, nec in contrarium verti. Omnes tendunt ad gaudium; ſed unde ſtabile & magnum conſequantur, ignorant. Ille ex conviviis & luxuria, ille ex ambitione & circumfuſa clientum turba, ille ex amica, alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione, & nihil ſonantibus literis. Omnes iſtos oblectamenta fallacia & brevia decipiunt, ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam, longi temporis tœdio penſat. Malæ mentis gaudia ſi quisquam alius expertus eſt, Salomon fuit, qui de ſe ipſo Eccleſiaſt. 2. *Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaveram.* Quid ſequitur? *Cúmque me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fecerant manus meæ &c. vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Et loc. eodem. *Dixi ergo in corde meo: vadam & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi, quòd hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputavi errorem: & gaudio dixi. Quid fruſtra deciperis?* Perſentiſcunt hoc, & fruſtra dolent inferi, ſe deceptos fuiſſe; quorum vox lamentabilis: *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis? tranſierunt omnia illa (ſcilicet gaudia) tanquam umbra & tanquam nuntius percurrens.* Sap. 5. Si vis ſincerè gaudere, ſectare virtutem, caſtitatem amplectere, temperantiam cole, juſtitiam obſerva, Deum time. Audi iterum Romanum Philoſophum epiſt. 20. & 23. Verum bonum ſpecta, & de tuo gaude, ex te naſcentibus bonis, non extra te quæſitis. Et Poëta Venuſinus: navibus atque quadrigis petimus benè vivere, jucundè & hilariter legere.

--------- quod petis, hîc eſt;
Intus habes, animus ſi te non deficit æquus;

Ultrice

Vltrices curæ, luctus, morbi, senectus, timores, pauperies, mors, pestiferi sunt fructus arboris illius, cuius pomum à protoplastis sceleratè decerptum, sceleratiùs fuit comestum. Quæ tamen omnia non penetrant illum animum, cui gaudium surgit ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore unam prementis viam. Ita Stoicus doctè & fortiter.

V. *Monstra in limine Tartari.* 6. Æneid.

(*e*) Quid autem sunt illa monstra, *Gorgones, Hydra, Chimera, Harpyiæ Centauri &c.* quibus Æneas strictam aciem venientibus offert? Respondeo, esse scelerum portenta, & inde orta conscientiæ tormenta, quæ torquent reos in ipso Tartari vestibulo, hoc est, in illa infelicis æternitatis vicinia, in extremo scilicet vitæ articulo, veluti quædam illarum pœnarum præludia, quæ mole sese immensa inferorum cruciatibus sempiternis infundent. Per *Centauros* intellige libidinosos, ex homine & bestia compositos, lasciviæ adhinnientes: per *Scyllam* & *Harpyias*, avaros ac rapaces: per flammis armatam *Chimæram*, feroces & iracundos: per belluam *Hydræ*, pigros & ignavos, velut in Lernæa palude natos & enutritos: per *Gorgones* anguineas, & uno tantùm oculo præditas, invidos & livoris veneno infectos: per tricorporem *Geryonem*, gulosos & in pastum abjectos, abdominis manicipia; per centimanum *Briareum*, superbos & ambitiosos, longè latéque cupiditates suas extendentes. Omnes hi versantur in Orci limine; & vitiorum monstrositate, turpitudinem vitæ præsenti, & pœnas futuræ accersunt æternas. Contra hæc monstra strenuè dimicandum, & Æneæ gladio utendum:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

Ense recidendum malum est, id est, non timidè, non molliter, sed generoso mentis robore resistendum depravatæ naturæ insultibus, & adversùs vitiorum impetus obfirmandus animus. Neque frustra dicuntur hæc Portenta, in orci vestibulo stabulari, illisque objici, qui cum Ænea per multas difficultates ad campos Elysios tendunt: significatur enim, ad virtutem, & felicitatem inde nascentem, perveniri non posse, nisi in ipso *limine*, hoc est, primis malarum commotionum initiis, & aggressionibus, strenuè repugnetur.

VI. *Fluvij infernales.* 6. Æneid.

(*f*) Jam terribili squalore *Charon*, Erebi & Noctis filius, cum cymba sua sutili, & infernalibus fluviis nobis est inspiciendus. *Charon* nomen habet à lætitia, scilicet per antiphrasin, ut *Parcæ parcunt*, *Luci lucent*, fingitur

(*e*) *Conscientiæ tormenta.* (*f*) *Inferorum horror.*

truci & nautico cultu, flammeis oculis, sordido amictu, cruda senectute animas corpore solutas lembo suo per tria flumina *Acherontem*, *Stygem*, *Cocytum* in Tartarum devehere, arroganti in omnes supercilio ac voce. Hinc Æneam procul venientem conspicatus, minaciter alloquitur, & increpat:

Quisquis es, armatus qui nostra ad limina tendis,
Fare age, quid venias: jam isthinc & comprime gressum.

Talis oratio, qualis persona, nempe nautica & inhumana. Nam apud inferos quid aliud est, quàm superbia, crudelitas, horriditas? Hic nullus respectus ad nobilitatem, opes, facundiam, Horatio canente lib. 2. Od 3.

Divésne, prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper & infima
De gente, sub dio moreris
Victima nil miserantis orci.
Omnes eódem cogimur, omnium
Versatur Urna, seriùs, ocyùs
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura Cymbæ.

Et Od. 14. Est tristis unda scilicet omnibus,
Quicunque terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive reges,
Sive inopes erimus coloni.

Et Od. 18. ------ nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet: hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus, atque non vocatus, audit.

Porrò vestibula, quà aditus ad Plutonis regiam ducit, ferreis sunt clausstris atque repagulis obfirmata. Ingredientes fluvius *Acheron* excipit: post quem *Cocytus* fervet; huius æstus stygiam paludem efficit. Quibus trajectis ad *Minoëm*, *Æacum*, *Rhadamanthum* accedere necesse est. *Acheron* idem quod absque gaudio: nam qui gaudio caret, is tristitiâ afficitur, quod per *stygem* designatur, ἀπὸ τῦ συγεῖν, tristis, horribilis. Et quia tristitia luctui proxima, *Cocytus* additur, ἀπὸ τῦ κωκύειν, id est, lugere

re

re, plorare, lamentari. Quid autem aliud invenitur in inferorum carcere, quàm illætabilis horror, perpetuus luctus, continuus fletus & stridor dentium? In hanc denique Musicam desinunt impuræ cantiunculæ, lascivi moduli, saltatoria carmina spurca choreumata. *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis & lugebitis;* minatur servator orbis. Luc. 6. Flendi & plorandi materies erit, jactura temporis: horæ, hebdomades, menses, anni turpissimè consumpti: dilata pœnitentia, spes præcisa veniæ, janua clausa misericordiæ, sine fine crucians æternitas.

VII. *Judices inferorum, & Furiæ scelerum vindices.* Æneid. 6.

Procedendo cum Ænea, visamus formidabile tribunal trium Orci Judicum, *Minois, Æaci, Rhadamanthi.* Excogitârunt hos Poëtæ, quoniam imperitum vulgus non facilè intelligebat, omnes animi nostri recessus, omnésque cogitationes Deo esse conspicuas; quando vel præmia, vel supplicia singulis pro merito tribuuntur. Hinc Quæsitores ac Tortores animarum post mortem apud inferos constituerunt, qui vel singulos confiteri sua scelera cogerent, vel confessis præmia, aut pœnas, pro judicii severitate ac sententia irrogarent. Hi verò tres nominantur. De Minoë (qui fuit Cretensium Rex justissimus) Maro 6. Æneid,

Quæsitor Minos urnam movet, ille silentûm
Conciliúmque vocat, vitásque & crimina discit.

Est namque Prætor rerum capitalium, cui Poëta dat sortitionem, cùm *Vrnam* nominat: dat ei *electionem* Judicum, cùm dicit: *Conciliúmq; vocat*: *cognitionem* facinorum, dum ait: *vitásque & crimina discit.* Alter Judex *Rhadamanthus*, Rex Lyciæ quondam, severus justitiæ Exactor, de quo Virgilius.

Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigátque, auditque dolos, subigítque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Priùs audit, postea castigat & plectit nocentes, qui flagitii quamvis occulti, comperti pertrahuntur ad tribunal, & dare coguntur pœnas criminum, quæ per omnem vitam continuârunt. His à Poëtis adjungitur *Æacus*, Rex olim Æginæ insulæ in mari Ægeo, qui propter incorruptam justitiæ laudem, à Plutone delectus est inferorum judex, ad peccata sontium discutienda, & pro meritis pœnas inferendas. Meminit eius Seneca in Hercule Furente:

Non unus alta sede Quæsitor sedens,
Judicia trepidis sera sortitur reis,
Auditur illo Gnosius Minos foro,
Rhadamantus illo, Thetidis hôc audit socer.

Meminit & Ovidius in Ægina:

---------- tuásque
Æacus in pœnas ingeniosus erit.

Diximus post regiam Plutoniam, & fluvios infernales superatos, ad eum deveniri locum, in quo Prætores isti tribunal exercent, qui *Campus Veritatis* appellatur, ubi nullus tergiversationi, exceptioni vel mendacio relictus est locus. Priùs audiunt crimina: deinde illa castigant per Furias seu Eumenidas, quæ nocentes conscindunt flagellis, & angues minaciter in faciem intentant, malè sibi conscias mentes perpetuò exagitando, & tormentorum continua formidine excruciando. Post verbera ad graviora supplicia mittunt, more judiciorum humanorum, in quibus à quæstione ad tormenta descenditur. Hîc nota, *Rhadamantheum* judicium dici pœnam *Talionis*, de qua Hesiodus:

Lex recta est, cùm quis patitur, quod fecerit ipse.

(g) Item accipitur pro judicio incorrupto, quod nec muneribus nec gratia inflecti potest. Atque hoc est officium Judicis, ut nec amore, nec odio, nec cupiditate, nec timore, aut ulla mentis perturbatione à recto dimoveatur. Hinc teste Plutarcho in lib. de Iside, Judicum imagines visebantur absque manibus; eò quòd Justitia nullis donis capiatur & clausis oculis, ne hominum vultu flectatur: nam Tullio pronuntiante, exuit personam Judicis, quisquis amicum induit. Apud Alciatum symbolum integri Judicis est aqualis & malluvium cum mantili, quibus manus abluuntur, ut significetur innocentia & abstinentia à muneribus. Emblem. XXXI. Apud Ægyptios gestabant Judices in collo imaginem *veritatis* ex Saphyro. Areopagitæ Athenis noctu atque in tenebris causas cognoscebant; ut non dicentes, sed duntaxat, quæ dicerentur, spectarent. Sed ad Rhadamanthum ejúsque assessores; videamus per quos lictores & tortores plectant crimina. Virgilius:

Continuò sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvósque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.

Alecto, *Megæra*, *Tisiphone* Furiarum principes (quibus nomen à furore est) atrociter sontes ob conscientiam scelerum exagitant. *Erinnyes*

(g) *Severum judicium & incorruptum.*

νες vocantur, ab ἐρυννύειν indignari. *Eumenides* dicuntur καὶ ἀντιφράσιν, quasi minimè benevolæ, idcirco sic nominatæ, quòd graviſſimæ haberentur ſcelerum vindices, ideóque illarum nomina nemo ſine metu auderet proferre. Earum juxta Poëtam ferrei ſunt thalami, quia animum malè ſibi conſcium, ne molliſſimis quidem in plumis quieſcere ſinunt; ſed veluti in ferrea crate verſant, & reverſant, & nullam partem reſpirationis indulgent. Et quia omnia flagitia vel per invidiam, vel odium, vel ſpem alicujus commodi committuntur, hinc τίσις, *ultio* φόνος *cædes*, per iram & odium naſcitur, idque ulciſcitur *Tiſiphone*. μεγαίρω verò invidere vel contendere ſignificat, ideóque ſcelera per invidiam commiſſa punit. At ἄληκτος *nunquam ceſſantem* denotat, vel quia nunquam ceſſat furere, vel quia titillatio voluptatum identidem vellicat animum, & ad improbitatem allicit; in quos peccantes Alecto animadvertit.

Dicuntur *Noctis* filiæ propter inſcitiam mortalium, & ignorationem rerum futurarum. Quis enim eſt, qui non turpe putet, ſi rem diligentiùs perpenderit, ſe illa propter breviſſimas voluptates committere, quæ mox æterna ſupplicia conſequentur? aut quis non intelligat, indecorum eſſe homini, tanquam belluam huc illuc impuris libidinibus agitari? igitur ex ignoratione ſui, naſcuntur hi affectus, qui ubi in aliqua ſcelera homines impulerint, diſcruciatur animus, quorum recordatio ſit inſtar crudeliſſimorum & infeſtiſſimorum tortorum. Furijs nihil aliud ſignificari, ait Cicero pro Roſc. Amer. quàm eos, qui aliquid impiè, ſceleratéque commiſerint, agitari & perterreri, non furiarum verberibus, ac tædis ardentibus; ſed angore conſcientiæ & fraudis cruciatu: ſua enim quemque fraus, inquit, & ſuus terror maximè vexat: ſuum quemque ſcelus exagitat, amentiáque afficit; ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque Furiæ, quæ dies noctéſque pœnas à ſceleratis repetunt. Nimirum ex peccato carnifice, ſequitur animi peccantis carnificina. Nullum majus & ſupplicium ſcelerato, ipſo ſcelere, vix culpa eſt admiſſa, mox quies omnis eſt amiſſa. Poëticæ illæ Furiæ adſunt domi, comitantur foris, non deſinunt in lecto, ſæviores in tenebrarum horrore. Nullam dignitatem aut conditionem hominum reverentur. Ubique ſe ingerunt, & oculis objiciunt; inter epulas, ludos, hilaritates interveniunt, & quidquid lætum erat, illætabile reddunt. Lucanus exclamat:

Heu quantum miſero pœnæ mens conſcia donat!

Domi habes tribunal, inquit D. Bernardus, accusatores, testes, judices, tortores. Accusat te conscientia, testis est memoria, ratio judex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum, tormentum. Cicero hoc vidit, qui pro Milone magna, inquit, est vis conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccârunt. Et Poëta.

-------- Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Exempla sunt in C. Caligula, qui ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvoluere: ad verò majora proripere se è strato, sub lectúmque condere solebat. *Sueton.* Non minùs pavidi fuere Domitianus, Nero, Decius, Diocletianus, Maximianus: ipse quoque Augustinus Cæsar semper, & ubique pellem vituli marini circumferebat, ne fulmine percuteretur. Et C. Julius Cæsar perpetuò lauream coronam gestabat, quòd crederet, lauro cœlestem ignem averti. Job. c. 21. tyrannum describens: *Sonitus*, inquit, *terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur: non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans ubique gladium.* Et Salom. Prov. 10. *Pavor his, qui operantur malum.*

SYMBOLVM LXXXI.

Quorundam apud inferos supplicia.

6. Æneid.

I.

Salmoneus fulminatus.

Ethicè.

Arrogantia plus quàm humana.

PErgamus ad eos, qui in imo Tartari scelerum suorum supplicia solvunt. In iis est *Salmoneus* Æoli filius, non regis illius ventorum, ait Servius, sed cujusdam Elidis reguli. Hic regia non contentus sorte, majestatem & honores divinos affectavit; útque Deus videri posset, pontem æneum construxit, super quem currvum rotas æreis canthis obmunitas,

obmunitas, agitavit ad imitanda Jovis tonitrua; quin ignitas etiam faces è sublimi, fulminum instar in populum jaculatus est. Ob quam superbiam Jupiter iratus eum vero fulmine ad inferos deturbavit. Virg. 6. Æneid.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas
Dum flammas Jovis, & sonitus imitatur Olympi
Quatuor hic invectus equis, & lampada quassans,
Per Graîum populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divúmque sibi poscebat honorem;
Demens qui nembos, & non imitabile fulmen,
Ære, & cornipedum cursu simulabat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitémque immani turbine adegit.

Ethica.

(a) Superborum hic Principum typus est, qui humanæ conditionis obliti, affectant ea, quæ supra fortunam suam sunt posita. Ejusmodi Salmoneus fuit *Antiochus Epiphanes*, qui ad Jerosolymam diripiendam delendámque flammis, & unà veri Numinis religionem extirpandam novus ipse Deus properans, altiore vi de curru dejectus, & gravissimos inter tam animi quàm corporis dolores extinctus est. De eo historia Machabæor. lib. 2. c. 9. *Is, qui videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbiâ repletus & montium altitudines in statera appendere, tunc humiliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita ut de corpore impij vermes scaturirent ac viventis in doloribus, carnes ejus effluerent, odore etiam illius ac fœtore exercitus gravaretur, & qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga. Et cùm nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: JUSTUM EST, SUBDITUM ESSE DEO, ET MORTALEM NON PARIA SENTIRE DEO. Non mitiores arrogantiæ suæ pœnas dedit *Herodes* Agrippa, Judæorum rex, qui cùm Cæsareæ in ludorum pompa pro concione verba faceret ad populum, & in argentea veste radians DEUS à multitudine succlamante salutaretur, supra

(a) *Arrogantia plus quàm humana.*

supra humanum fastigium elatus, manifestâ irâ divini Numinis, putrescente in vermes corpore, fœda tabe consumptus, quinto die efflavit animam; breviſſimo illo inter Deum, ut audiebat, & fœtentiſſimum cadaver spatio. Anno Ch. 42. Actor. Apost. c. 12. ubi hæc verba: *Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem acclamabat: DEI voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus, exspiravit.* Paris stultitiæ pœnas dedit *Nero* tyrannus, qui velut sol minoribus astris epulum daturus, domum construxit auream, gemmis & unionum conchis distinctam. In ea præter alios luxus, cænationes laqueatas ædificavit, tabulis eburneis versatilibus, ut flores & unguenta desuper spargerentur. Præcipua cænationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus, vice mundi sideribus stellati, cum convivis circumageretur. Is idem æstimari volebat Apollinem Cantu, solem aurigando, Herculem robore æquiparare. Mensem quoque Aprilem Neronem appellavit, destinarátque Romam Neropolin nuncupare. Sed hic DEUS omnium flagitiorum genere inquinatus, odium terræ, cælique, quem finem habuit? Fugiens vindices equites, in spelunca delituit, séque ad necem peti videns, ferrum jugulo adegit, juvante manum Epaphrodito exoleto, scelerum adjutore, & supplicii socio. *Sueton. in Nerone.* Non mitiùs insaniit, periitque *Chosroës* Persarum Rex, qui machinam finxit, in qua Cœli effigies, astrorúmque conversiones, cum sceptrigeris angelis adstantibus admirabili spectaculo cernebantur: tum imbres fluere, præmicare fulgura, tonitrua mugire: ipse eminens in medio, quasi DEUS humanus spectabat omnia. *Cedrenus* ad annum Heraclii. 13. sed ecce divinitatis hujus exitum. Seleuciæ cùm esset, difficili correptus morbo, Mardesæ filii coronandi consilium init: id cùm major natu filius Syroës persensisset, inito cum Heraclio Imp. fœdere, patrem capit; captum omni cruciatuum ac contumeliarum genere afficit: acubus demum confossum necat, scelestum regem ita Numine ulciscente. Baron. ad ann. 627. Recentius amentis arrogantiæ documentum est Nobunanga potentissimus Japoniæ imperator, cujus ingenium præferox, supra humanum modum arrogans perpetua fortunæ blandientis indulgentiâ, spei quantumvis improbæ capax, insanire cœpit contemplatione felicitatis suæ. Nam ex dynasta & homine penè privato, in ampliſſimam septem & triginta regnorum, clariſſimis victoriis nulla unquam belli offensione reportatis, Monarchiam

profecerat,

profecerat. Ante omnia novi Nabuchodonoſoris inflabat animos ſua Babylon *Anzuquiana*, nova civitas, ſedes regia, frequentiâ, divitiis, ſplendore ac elegantiâ ædificiorum, longè ſupra alias urbes eminens. Nihil tamen jactantiùs oſtentabat, quàm arcem ſuam, cui vix quidquam in Europa ſimile fatebantur, qui noſtrum orbem viderant. In ea templum ſibi condidit nomine novi idoli *Xantai*; Thronus excelſior ſplendidiſſimis ornatibus radiabat, in quo præcipuum venerationi *Saxum* exponebatur, inſignibus Nobunangæ ſculptum, Nobunangam ipſum Japonico uſu repræſentans: nomen idolo novo novum impoſitum *Xantai*. Edictis quoquo-verſum miſſis omnes invitabantur, ut ad celebrandum Nobunangæ Natalem, & adorandum novum Numen *Xantai*, undecunque univerſi concurrerent. Addebantur promiſſiones obtemperantibus amplæ: fore ut qui *Xantai* adorarent è pauperibus divites, è locupletibus opulentiores repentè fierent. Qui liberis carerent, fœcunditatem, qui morbis laborarent, valetudinem proſperam, & ad octogenariam ſenectutem durabilem impetraturos. Adfuit condicta die innumerabilis ex univerſa Japonia multitudo. Paucis poſt diebus lancea ignea ſereno excuſſa cœlo, in arcem anzuquianenſem intorta eſt, cunctis prodigia horrentibus, uno confidentiſſimo Nobunanga, quem monſtra petebant, giganteam temeritatem oſtentante, ac contemnente minas, quas tragico mox ſanciturus erat exitu. Meaci, in urbe regia, cùm eſſet, trepidus nuntius adfertur, obſeſſam armatis regiam eſſe. Nam Tyranni ulciſcendi, Duces regium militem in hoſtes exteros iturum, ſubitò de nocte in regem ipſum converterant. Hic glande plumbea è majori tubo trajectus (fulmen Jovis agnoſceres) uſitato in Japonia deſperatorum ritu, ventrem ſibi diſſecuit gladio. Flamma undique à conjuratis ſubjecta, abſumpſit regiam, & una Nobunangæ primo-genitum. Inde copiæ, Anzuquiano caſtro admoventur: arx, deſpondentibus animum præſidiariis, nullo negotio capitur: theſauri, quos victrix quindecim annorum licentia corraſerat, in rapinam cedunt. Arx, urbs, & ſpecioſa illa palatia cum templo novæ urbis, ſubditis undique flammis, horrendo incendio deletur, in eo manifeſta vi ultionis divinæ eluceſcente. Petrus Poſſinus part. 5. Hiſt. Soc. ad ann. Ch. 1582. Verè Seneca:

Sequitur ſuperbos ultor à tergo DEUS.

Et juxta Siracidem cap. 10. *Odibilis coram Deo eſt, & hominibus ſuperbia.* Exemplo ſit Salmoneus, & qui Salmonea in ſcelere, pœnáque ſunt ſecuti, hodiéque ſequuntur. Qualis etiam erat C. Caligula, qui di-

vinam Majestatem affectans, Jovis statuæ caput suum imposuit, pœnásque dedit triginta vulneribus confossus. Atque ut minora majoribus immisceamus, vidimus, inquit Author Ruinarum illust. dec. 3. vindictam divinam in homine sortis plebeiæ, sed animi fastuosi, quem Sextilis mensis ardentissimo tonante cœlo, fama fuerat exonerato sclopo, cum nubium voluisse fragoribus atque flammis, artis humanæ bombis, & ignium imitamento contendere. Sed inter ipsa pænè cœpta, petulantis in caput elisum ex alto fulmen, docuit; quantò veriùs, certiúsque flamma supera, quàm humo producta, ferire posset. Nunc ad Tityum, portentosam Telluris prolem, oculos pedésque cum Ænea transferamus.

II.

Tityi, gigantis impii, vultur.

Ethicè.

Conscientia rea.

DE hoc Virgilius lib. cit.

Nec non & Tityon Terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: rostróque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundáque pœnis
Viscera, rimatúrque epulis, habitátque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Quemadmodum Prometheus, ob ignem è Solis rota subtractum & terris illatum, Caucaso monti alligatus, ejúsque cor aquilæ perpetuo exedendum, fuisse subjectum traditur; sic de Tityo gigante habent fabulæ, eum, cùm insaniâ amoris captus, Latonam de stupro interpellâsset, ab Apolline Latonæ filio, sagittis confixum, atque ad inferos damnatum fuisse, hâc pœna, ut viscera ejus assiduo morsu *Vultur* carperet, renascente quotidie ad pabulum jecore, ita neutri quies concessa est, vulturi à laceratione, Tityro à doloribus.

Ethica.

(a) Explicat hanc fabulam Macrobius apud Ciceronem l. 1. de somnio Scipionis, cap. 10. vulturem, inquit, jecur immortale tundentem,

(a) *Conscientia rea.*

tem, nihil aliud intelligi voluerunt, quàm tormenta malæ conscientiæ obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, indefessâ admissi sceleris admonitione laniantis, sempérque curas (si requiescere fortè tentaverint) excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis; lege hac, quâ se judice nemo nocens absolvitur, nec de se potest suam vitare sententiam. Itáque quisquis in furto Prometheum, in adulterio Tityum, in aliis sceleribus alios scelestos sequitur, opus est, vulturem, aquilam, suam scilicet *conscientiam* patiatur, carnificem nunquam moriturum. Nec immeritò Poëta *viscera* vocat *fœcunda pœnis*; Quia *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Isa. 66. Nunquam non fodiet hæc aquila, nunquam non lacerabit hic vultur. Et observant Docti phrasin Maronis: *Immortale jecur tundens*: cur jecur? quia in eo sedes amoris & libidinis. Scilicet in quo quis peccavit, in eo punietur. Horat. lib. 4. Od 3.

Incontinentis nec Tityi jecur
Reliquit ales, nequitiæ additus
Custos.

Ubi per nequitiam *Intemperantia* & *Libido* significatur, cui suus apud inferos tortor additus, hoc est, affixus atque semper infestus est; nempe recordatio impuritatum commissarum. Graviter Doctor mellifluus in lib. de anima. c. 3. Extorres Cælo in carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant; & sic vivent, ut semper moriantur.

III.

Ixionis rota. Ex Virg. & Ovid.

Ethicè.

Umbra voluptatis multos decipit.

SIbyllæ & Æneæ per inferorum loca euntibus incurrebat etiam in aspectum *Ixion*, Rex olim Thessaliæ, qui quòd Junoni flagitium intentâsset, objectam pro illa nubem complexus est, & Centauros semiferos genuit. Quo crimine etiam exultans, detrusus est in Tartarum, & rotæ,

serpentibus circumfusæ, implexus perpetuo circumactu giratus, inter anguium morsus ac laniatus, flagitium luit.

Ethica.

(*b*) Illorum Symbolum hominum est Ixion (ut Plutarchus in Ægide meminit) qui gloriam inanem pro virtutis imagine, veluti nubem evanidam amplectuntur, monstráque rerum animo efformant; sed delusi suis deinde cupiditatibus, per varias animi perturbationes miserè circumaguntur. Rectè etiam applices vel ad turpem voluptatem, vel ad ambitiosam honorum, aut avaram divitiarum cupiditatem. Nam Juno *Honorum & Opum* dea dicitur, cujus amplexum plurimi desiderant, sed nihil aliud, nisi fluidam auram captant. *Viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis.* psal. 75. Quàm multos enim reperias, qui dies noctésque id unum agant, ut elegantiore forma libidinem suam expleant; aut fasces & magistratus obtineant; aut pecunias malis artibus corradant: qui tamen post multiplices & catenatas curas sua spe longissimè falluntur, vanóque hiatu deluduntur. Innumera sunt eorum exempla, qui improbis frustrati votis, quod malè desiderârant, nunquam tamen impetrârunt, perversæque voluntatis rei, cruciabili æternitatis orbe, apud inferos circumvolvuntur. Nempe stolidè, amantes sibi fingunt somnia, & in somniis nescio quàm comptas, ornatas, aureas, gemmeas, sceptróque superbas Junones; quarum amore insaniunt. Sed ô vecordes! nubes sunt, spectra sunt aëria, quæ deperitis: Cum cane Æsopico umbram in aquis captatis. Quot ego novi Juvenes (exclamat vir religiosus) quot viros sic deceptos, ut dum putarent Junonem se habere, ipsum cacodæmonem ambabus ulnis amplecterentur! Stengel. de Matrim. Huc facit, quod idem auctor in Paræneſi de Ruina Luciferi c. 12. §. 9. fusè recenset ex Franciſco Roſſeto, & Zeilero, hiſtoriar. tragic. p. 1. n. 1. Nos hiſtoriam in hæc verba contrahimus. Tribunus militaris, officium circitoris nocturni obibat in urbe Lugdunenſi; fortè incidit in matronam, ore habitúque venuſtam, cui ephebulus lucernam præferebat. Aſpectus in libidinem accendit hominem; & præeuntem feminam, cum duobus ſcelerum adjutoribus ut ſequeretur, rapuit. Acheruntica erat larva, Junonem puta Ixioni objectam. Commiſsô cum orcina mima flagitiô, eóque tergemino, Venus ſtygia repentè ſe talem, qualis erat, amaſiis ſuis oſtendens, ſublata veſte, cadaver monſtravit, cujus illi horrore ſpectaculi,

(*b*) *Umbra voluptatis multos decipit.*

culi, utique poſt quam & domus, & omnis ejus apparatus, & domina ſubitò evanuit, exſternati & fœtore avernali percuſſi, conciderunt, & porcorum ritu extenti jacuerunt. Omnes tres cœno conſpurcati, & pænè etiam cooperti, quiſque domum ſuam reportantur. Unus illorum mox vivere deſiit, imò æternùm mori incepit; duo cæteri provixerunt, an ſuam in ſalutem, an longiores in pœnas, incertum eſt. Tu cave, ne quoſvis in amplexus ruas. Quid enim fallacius & fugacius eſt nubibus? quæ & quanta ex illis oculorum ludibria? dum putamus ſpectare arces arcibus, montes montibus impoſitos, gigantum cælo pugnantium portenta apparere, acies armatas inter ſe hoſtiliter concurrentes bellari, repentè & momento citiùs in auram grandia hæc nubium ſpectacula evaneſcunt. Non aliter ſe habent ſpes, timores, amores, gaudia mortalium: videmur amplexu illa ſtringere; & ſubitò è ſinu evolant, noſtróſque hiatus deludunt. Ælius Lampridius in Heliogabalo memorat, paraſitos ab eo ad rotam aquariam ligatos, & cum vertigine ſub aquas miſſos, rursúsque in ſummum revolutos, eóſque *Ixionios amicos* vocatos fuiſſe. Præclarus in hac rota typus inconſtantis fortunæ, præſertim aulicæ, quæ alios in altum ſubitò evehit, alios ex nubibus ad inferos repentè deprimit. Idcirco rotatiles hi Ixiones cum calculis arithmeticorum comparantur, qui nunc decem millia, nunc unum ſignificant, prout ſuper abacum ſurſum, deorsúmque volvuntur. De Centauris ſemiviris & ſemibrutis ex Ixionia libidine procreatis hoc unum hîc ſuffecerit monuiſſe: fœdiſſima tunc monſtra & flagitia naſci, rotis inferorum digna, quando *Heris* & *Onani* filiorum Judæ, Geneſ. 38. turpitudines repetuntur.

IV.

Siſyphi Saxum. Ex Virg. 6. Æn. & 4. Metam.

Ethicè.

Inutiles hominum labores ac cupiditates.

OVidius 4. Metam. poſt Tityum, Tantalum (de quo ſuperiùs egimus) Ixionem, etiam Siſyphi, & Danaidum Beli filiarum in Tartaro pœnas dantium meminit, dum ita canit:

Viſcera præbebat Tityus lanianda, novémque
Jugeribus diſtractus erat. Tibi, Tantale, nullæ

Deprenduntur aquæ: quæque imminet, effugit arbor.
Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.
Volvitur Ixion, & se sequitúrque, fugítque:
Moliríque suis lethum patruelibus ausæ
Assiduè repetunt, quas perdant, Belides undas.

Ethica.

(o) *Sisyphus* igitur cum Atticam Latrociniis infestaret, à Theseo occisus est. Hunc Poëtæ fabulantur eo supplicii genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis cuiusdam verticem cogatur provolvere, quod iterum iterúmque relapsum, identidem revolvere cogitur, inani conatu. Variam explicationem patitur hæc fabula. Communior est, per Sisyphi saxum designari vana mortalium studia: montem, in quem revolvitur, huiúsce vitæ cursum esse, cui quietem & tranquillitatem nullam variæ cupiditates concedant: dum alii in cumulandis opibus, alii in honoribus & magistratibus, alii in gloria & celebritate rerum gestarum, alii in scientiarum cognitione, alii in eximia corporis forma, aut sanitate, aut nobilitate, aut in rebus huiusmodi, felicitatem suam esse sitam arbitrantur: qui cùm re optata potiti sunt, rursus in imum relabuntur: & qui antè in divitiis comparandis erat anxius, nunc est in acquirendis honoribus, nunc in recuperanda valetudine sollicitus: atque ita semper in aliquam relabitur perturbationem, neque apicem summum, in quo beatitudine ac quiete sperata fruatur, obtinet unquam. Præterea Sisyphi saxum dicuntur volvere homines, in exhausto atque inutili labore fatigati. Non nemo Sisyphi saxum ad pœnam talionis applicat, juxta illud Prov. 26. *Qui voluit lapidem, revertetur ad eum*; id est, qui perniciem in alios fraudulenter molitur, illâ ipsâ caput suum involvit. Accipias etiam per Ixionis Rotam, & Sisyphi saxum, Circulum illum infelicis inferorum æternitatis, qui semper volvitur, & revolvitur: redit in se ipsum, semperque se sequitur, atque fugit. Quò etiam referri potest pertusum Danaidum Dolium, semper implendum, nunquam explendum.

V. Da-

(o) *Inutiles hominum labores & cupiditates.*

culi, utique poſt quam & domus, & omnis ejus apparatus, & domina ſubitò evanuit, exſternati & fœtore avernali percuſſi, conciderunt, & porcorum ritu extenti jacuerunt. Omnes tres cœno conſpurcati, & pænè etiam cooperti, quiſque domum ſuam reportantur. Unus illorum mox vivere deſiit, imò æternùm mori incepit; duo cæteri provixerunt, an ſuam in ſalutem, an longiores in pœnas, incertum eſt. Tu cave, ne quoſvis in amplexus ruas. Quid enim fallacius & fugacius eſt nubibus? quæ & quanta ex illis oculorum ludibria? dum putamus ſpectare arces arcibus, montes montibus impoſitos, gigantum cælo pugnantium portenta apparere, acies armatas inter ſe hoſtiliter concurrentes bellari, repentè & momento citiùs in auram grandia hæc nubium ſpectacula evaneſcunt. Non aliter ſe habent ſpes, timores, amores, gaudia mortalium: videmur amplexu illa ſtringere; & ſubitò è ſinu evolant, noſtróſque hiatus deludunt. Ælius Lampridius in Heliogabalo memorat, paraſitos ab eo ad rotam aquariam ligatos, & cum vertigine ſub aquas miſſos, rursúsque in ſummum revolutos, eóſque *Ixionios amicos* vocatos fuiſſe. Præclarus in hac rota typus inconſtantis fortunæ, præſertim aulicæ, quæ alios in altum ſubitò evehit, alios ex nubibus ad inferos repentè deprimit. Idcirco rotatiles hi Ixiones cum calculis arithmeticorum comparantur, qui nunc decem millia, nunc unum ſignificant, prout ſuper abacum ſurſum, deorsúmque volvuntur. De Centauris ſemiviris & ſemibrutis ex Ixionia libidine procreatis hoc unum hîc ſuffecerit monuiſſe: fœdiſſima tunc monſtra & flagitia naſci, rotis inferorum digna, quando *Heris* & *Onani* filiorum Judæ, Geneſ. 38. turpitudines repetuntur.

IV.

Siſyphi Saxum. Ex Virg. 6. Æn. & 4. Metam.

Ethicè.

Inutiles hominum labores ac cupiditates.

OVidius 4. Metam. poſt Tityum, Tantalum (de quo ſuperiùs egimus) Ixionem, etiam Siſyphi, & Danaidum Beli filiarum in Tartaro pœnas dantium meminit, dum ita canit:

Viſcera præbebat Tityus lanianda, novémque
Jugeribus diſtractus erat. Tibi, Tantale, nullæ

Deprenduntur aquæ: quæque imminet, effugit arbor.
Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.
Volvitur Ixion, & se sequitúrque, fugítque:
Moliríque suis lethum patruelibus ausæ
Assiduè repetunt, quas perdant, Belides undas.

Ethica.

(o) *Sisyphus* igitur cum Atticam Latrociniis infestaret, à Theseo occisus est. Hunc Poëtæ fabulantur eo supplicii genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis cuiusdam verticem cogatur provolvere, quod iterum iterúmque relapsum, identidem revolvere cogitur, inani conatu. Variam explicationem patitur hæc fabula. Communior est, per Sisyphi saxum designari vana mortalium studia: montem, in quem revolvitur, huiúsce vitæ cursum esse, cui quietem & tranquillitatem nullam variæ cupiditates concedant: dum alii in cumulandis opibus, alii in honoribus & magistratibus, alii in gloria & celebritate rerum gestarum, alii in scientiarum cognitione, alii in eximia corporis forma, aut sanitate, aut nobilitate, aut in rebus huiusmodi, felicitatem suam esse sitam arbitrantur: qui cùm re optata potiti sunt, rursus in imum relabuntur: & qui antè in divitiis comparandis erat anxius, nunc est in acquirendis honoribus, nunc in recuperanda valetudine sollicitus: atque ita semper in aliquam relabitur perturbationem, neque apicem summum, in quo beatitudine ac quiete sperata fruatur, obtinet unquam. Præterea Sisyphi saxum dicuntur volvere homines, in exhausto atque inutili labore fatigati. Non nemo Sisyphi saxum ad pœnam talionis applicat, juxta illud Prov. 26. *Qui voluit lapidem, revertetur ad eum*; id est, qui perniciem in alios fraudulenter molitur, illâ ipsâ caput suum involvit. Accipias etiam per Ixionis Rotam, & Sisyphi saxum, Circulum illum infelicis inferorum æternitatis, qui semper volvitur, & revolvitur: redit in se ipsum, semperque se sequitur, atque fugit. Quò etiam referri potest pertusum Danaidum Dolium, semper implendum, nunquam explendum.

V. Da-

(o) *Inutiles hominum labores & cupiditates.*

V.

Danaidum Dolium. Ex Virgil. & Ovid.

Ethicè.

1. Beneficia ingratis collata. 2. Iniqua jussa. 3. Avaritia inexplebilis. 4. Mulier scorpioni similis, quæ.

Danaus erat Rex Argivorum, *Beli* filius hic genuit filias quinquaginta, quæ ab avi nomine *Belides*, à patris autem, *Danaides* dictæ sunt. Horum igitur parens Danaus cùm simultatem, quæ ipsi cum fratre *Ægypto* intercedebat, cuperet componere, satis aptam eius negotii conficiendi opportunitatem fore existimavit, si filias suas omnes daret in matrimonium totidem fratris sui filiis. Facilè convenitur: celebrantur nuptiæ, sed infaustæ, Nam Danaus, vel quia memor acceptæ olim à fratre injuriæ (in Græciam ab eo pulsus profugerat) vel quia ex oraculo didicerat, ab uno generorum sibi mortem imminere, clàm singulis filiarum dedit pugionem, monuitque, ut prima nuptiarum nocte, dormientes sponsos adortæ, jugularent. Dictum, factum. Quadraginta novem juvenes interficiuntur singuli à singulis uxoribus, solâ *Hypermnestâ*, filiarum maximâ, marito, cui nomen *Lynceus*, parcente; is qui deinde Danao expulso apud Argos regnavit. Ob scelus tam impium, tam immane, apud inferos eo supplicii genere perpetuò damnatæ sunt, ut aquam vase perforato haurire cogantur è puteo, vel, quod idem est, implere dolium rimosum, è quo tantundem semper effluat, quantum infunditur.

Ethica.

Multiplex hinc doctrina. Primò Dolium Danaidum perfluens indicat, beneficia in ingratos non conferenda. Effluit è memoria, è grata mentis recordatione, & agnitione gratiæ, quidquid infundas. 2. Parentes in iis, quæ adversùs Deum sunt, non esse audiendos. Impietas hîc est, pium esse. Belides magis attendere debebant, quid pacta, quid jura conjugalia & fides data, ac natura ipsa postularet, quàm quid odia genitoris, tantò constantia, exigerent. 3. Avaris aut prodigis nihil esse satis. Inexplebilis est auri sitis; si Pactolum, Tagum, Hebrum auriflua bibat flumina, nunquam dicet: *sufficit!* Et qui semel sua per luxum profundere

(d) *Beneficia ingratis collata.*

fundere cœpit, quidquid hauserit, exhauriet. 4. Garrulis accommodatur, qui ut est apud Comicum: *pleni rimarum, hac, illácque diffluunt.* 5. Denotatur perfidia muliebris. Verè Menander

Πολλῶν κατὰ γὴν, καὶ θάλατταν θηρίων
Ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίων γυνή.
Tot cùm mari, terráque sint passim feræ,
Fera omnium ipsa maxima extat femina.

Ecclesiasticus monet. c. 26. *Qui tenet mulierem nequam, quasi qui apprehendit scorpionem.* Primò, quia solus inter insecta scorpius longo spiculo armatur, & brachia quinque bisulcis dentata forcipibus habet, ait Aristoteles lib. 4. de historia animal. c. 7. Ita mulier nequam, virulentæ linguæ spiculo armatur, brachiáque habet dentata, quibus maritum apprehendat, lacessat, vexet. 2. Scorpius pestilentissimus est & exitialis. Mulier nequam assiduè virum cruciat, & lenta morte conficit. 3. Scorpius ictu ferit obliquo & inflexo: Mulier dum blanditur, venenat. Josephus lib. 5. Antiq. c. 17. scribit, Samsonem, cùm suum ænigma de leone & ape Philistæis à Dalila proditum cognovisset, exclamâsse: *Nihil est dolosius feminâ.* Et Poëta:

Sidera non tot habet cælum, non flumina pisces,
Quot scelerata gerit femina mente dolos.

Et alius:

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!

Franciscus Petrarcha dial. 65. conqueritur: Nempe etiam illustrium multi, dolo conjugum periere. Sileo Danai truces & cruentas nuptias & infamem noctem, miserámque tot juvenum stragem. Confirmant hoc exempla, ex plurimis pauca adferam. Redeuntem ab expeditione Trojana Agamemnonem Clytemnestra uxor interfecit. Ninum Semiramis comprehendi, & interimi jussit. Alexandrum Pheræum Thessaliæ Regem, Thebe uxor dormientem jugulavit. Antiochum Syriæ Regem Laodice veneno sustulit. Antoninum Verum Imp. Lucilla eodem mortis genere peremit. Idem Agrippina fecit, Tiberium Claudium, Principem è medio tollendo. In ipsis castris Alexandri Spitamenem quendam barbarorum ducem, somno & vino sepultum conjux è vita exturbavit. Propiùs ad Danaidas accedit, quod Volaterranus refert, Albinam quandam Syriæ Regis filiam duas & triginta habuisse sorores, quæ totidem maritos interfecerunt: expulsásque propterea à patre, venisse in Britanniam, & nomine Albinæ insulam vocâsse Albionem. I nunc, & securitatem tibi à feminis, vel de nocte promitte.

SYM-

SYMBOLVM LXXXII.

Campi Elysii.

6. Æneid.

Ethicè.

Quanta felicitas in sedibus Beatorum.

EST nunc animus à Tragicis his spectaculis avocandus, & ad Elysia Beatorum viridaria advertendus. De his Poëta loc. cit.

Devenere locos lætos, & amæna vireta
Fortunatorum nemorum, sedésque beatas.
Largior hîc campos æther, & lumine vestit
Purpureo, Solémque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
Jámque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Ethica.

(a) Usque adeò homines, variarum etiam superstitionum tenebris involuti, ipso naturæ lumine perspexerunt, esse Dominum aliquem supremum, *Mentémque* cælestem, quæ debitis pœnis in sceleratos animadvertat: probos autem & virtute præstantes præmiis remuneretur. Hinc *Tartarus*, dirissimus impiorum carcer: hinc *Campi Elysii*, Beatorum sedes, omni voluptatum genere affluentes. Quid, quod subterraneum etiam quondam locum lustrandis & expiandis Manibus agnoscebant, in quo ubi essent animæ ab omni humana colluvie, & contagione corporis expurgatæ, tunc in Elysios transmittebantur Hortos; si modò fuissent eius generis peccata, quæ possent aliqua ratione lustrari & expiari. Idcirco Virgilius ex antiquorum sententia. 6. Æneid.

Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes

(a) *Sedes Beatorum.*

Suſpenſæ ad ventos : aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus , aut exuritur igni ;
Quisque ſuos patimur Manes. Exinde per amplum
Mittimur Elyſium.

Facundi ſunt Poëtæ in deſcribendis illis ſive Campis , ſive Inſulis Fortunatis. Eſt enim ibi cælum nullo terræ anhelitu grave, craſſúmque ; ſed ſalubre , ac verna quadam temperatione pacatum. Non iners illic ac torpidum gelu , non horridus rigor , non amnes & torrentes frigoribus conglaciantes , nivibúsque & pruina concreſcentes ; non torridi ſolis æſtus, & calores urentes. Abſunt tenebræ , caligines , nebulæ , nubes , venti, procellæ , turbines , fulmina , imbres , grandines : Continua ibi , & pura ſemper lucis claritas cum cæli facie ſereniſſima , & aſtrorum electioribus effectis. Viridaria illic perennium rivulorum curſibus , recurſibus, ac mæandris , irrigua ; quorum aquulæ vitro pellucidiores ad lapillos molliter alliſæ , dulciſſimè ſtrepitant : nihil ibi noxium , nihil non ad uſum aliquem gignitur : oculos paſcit viridantium arborum voluptas : auditum mirabiliter recreant aviculæ dulciſſimis cantibus concertantes , lenibúsque auris perſtrictæ arborum comæ placidùm murmurantes. Nares odoribus ambroſiis , quos efflant aromata , flores , herbæ , perfunduntur : Guſtatui ſua item è ſaporibus gratiſſimis oblectatio carpitur : ſenſum tactionis nulla lædit aſperitas : omnia mollia , omnia temperata. Juvat ibidem ad ſuaviſſimos modulos agitare choros , implere calathos liliis , fragrantes legere violas , & variis ſeſe floribus coronare. Modò libet in florido gramine , modò ſub umbroſa jacere platano , & amiciſſimos ſermones conferre. Quid quod etiam felicium illorum nemorum incolæ iisdem exercentur ſtudiis (ſed longè jucundiore modo) quibus tenebantur in vita. Summa inter eos pax & concordia ; ideóque Æneas

Arma procul , currúsque virûm miratur inanes ,
Stant terrâ defixæ haſtæ : paſſimque ſoluti
Per campos paſcuntur equi : quæ gratia currûm ,
Armorúmque fuit vivis , quæ cura nitentes
Paſcere equos , eadem ſequitur tellure repoſtos.

Verbo nihil loco , nihil habitatoribus ad omnem amœnitatem & voluptatem deeſt. Et hæc de ſenſuum deliciis. De intelligentia quid dicam ? veteres certè Philoſophi , teſte Cicer. lib. 5. de fini. fingebant , in Beatorum inſulis , maximum oblectamentum ex eo exiſtere , quòd omni cura liberati , nullum neceſſarium vitæ cultum , aut paratum requirentes ,

nihil

nihil aliud agant, nisi ut omne tempus inquirendo ac discendo, in naturæ investigatione consumant. Atque hîc prætereundum non est, quod Poëta Elysiis dignam viridariis canit, quintuplicem hominum sortem. Scilicet:

--- qui ob patriam pugnando vulnera passi:
Quique Sacerdotes casti, dum vita manebat:
Quique pii vates, & Phœbo digna locuti:
Inventas aut qui vitam excoluere per artes:
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.

Felices igitur térque, quatérque, qui charitate patriæ, castimoniâ vitæ, veracitate linguæ, industriâ ingenii, officiorum promptitudine sedes sibi tam amœnas, tam jucundas, beatas, fortunatas comparant & inhabitant. Apagite vos Athei, qui cælum & inferos tollitis; qui ne quidem in fabulis audire sustinetis

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & stygio ranas in gurgite nigras:
Atque unâ transire vadum tot millia cymbâ. *Iuvenal. Sat.* 2.

Sunt enimverò, sunt improbis supplicia, probis autem constituta præmia: alterutrum citiùs, seriúsve sentiet, quisquis vitam vel ad virtutis leges exigit; vel pudoris & honestatis repagula refringit. Quod Poëtæ fabularum velo involuerunt, hoc explicat Christiana Religio, Deum esse, malorum vindicem, bonorum Remuneratorem, & *unumquemque recepturum propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. Cor. 5. Ideóque claudamus cum Poëta nostro:

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

SYMBOLVM LXXXIII.

Parcæ fatorum præsides

Ex Variis.

Ethicè.

1. Diversa Parcarum stamina. 2. Fatum Stoicum. 3. Fatum in sano sensu. 4. Fatum Mathematicum. 5. Fatum Calvinisticum. 6. Fatum Lutheranum. 7. Fatum Catholicum. 8. Parcarum Spelunca.

PArcæ, deæ fatales, Jovis & Themidis, vel ut alii volunt, Noctis & Erebi filiæ sunt. Quidam eas à Matre *Necessitate* editas dicunt. Nomen ipsarum, ut Grammatici ajunt, καὶ ἀντίφρασιν, à non *parcendo* ducitur: rectiùs, quòd sint præparcæ, avaræ, & parùm liberales in vitæ terminis concedendis. Nam ubi hora destinata fluxerit, statim fila secant, & vitæ stamen abrumpunt. Varro nominatas putat à pariendo, quòd statim à partu vitam infantis suscipiant, eiúsque cursum felicem an infelicem, brevem an longum, determinent. Sunt numero tres, eò quòd tria vitæ respiciant tempora. *Præteritum*, *Præsens*, *Futurum*. Præterito præsidet *Atropos*, latinè *immutabilis*, quia quod factum, verti non potest. A τέρπω verto, & particula privante α. *Clotho*, præsens indicat tempus, quod volvitur, seu netur; Nam κλώθω voluo. *Futurum* ad *Lachesin* pertinet, quæ dicitur à λαγχάνω, sortior, pœnam scilicet aut præmium, secundùm fata Divorum. Per stamen quod trahunt; *continuatio* & fragilitas vitæ humanæ significatur: nam juxta Poëtam

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Harum Clotho fertur gestare colum: Lachesis stamina rhombo circumvolvere: Atrops filum incidere. Trito versiculo:

Clotho rotat fusum, Lachesis net, & Atropos occat. Id est scindit.

Ethica.

Has deas Apuleius ita describit: Tres Parcæ, tria Fata sunt numero, cum ratione temporis facientia; si potestatem earum ad eiusdem similitudinem

tudinem temporis referas. Nam quod in fuso perfectum est, *præteriti* temporis habet speciem. Et quod torquetur in digitis, momenti *præsentis* indicat spatia. Et quod nondum ex colo tractum est, subactúmque curâ digitorum, *futuri*, & consequentis sæculi posteriora videtur ostendere. Veterum superstitiosa opinione, lanificæ sorores istæ omnia mortalium negotia dispensant infallibili quadam necessitate, quam ne Jupiter quidem impedire possit. Tibullus:

Hunc cecinere diem Parcæ, fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolvënda deo.

Et Ovid.

An dominæ fati quidquid cecinere sorores,
Omne sub arbitrio desinit esse Dei?

Et Claudianus:

------ quarum sub jure tenentur
Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt,
Longáque ferratis evolvunt sæcula pensis.

Et Martialis:

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: observant, quem statuere diem.

I. (*a*) Itáque laqueum torquent huic decrassiore filo: alteri, ex auro diadema: alii è byssino purpuram: multis de fuso, nigra devolvunt stamina, hoc est, meras infelicitates & miserias: aliis candida nent fata, fausta, fortunata, prospera. Ejusmodi felicis staminis meminit Epigrammatarius. lib. 6. de filio Domitiani Cæsaris:

Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

Julia neptis erat Domitiani, quæ quasi dea, Parcarum locô, nebit tibi nascenti stamina ex aureo vellere Phryxei arietis. Ab harum igitur dearum colo uniuscujusque hominum non solùm vita, secundùm Poëtas, dependet: sed etiam, quidquid in arcana Jovis diphthera consignatum est, id illæ sciunt & dispensant: unde Jovis & Superûm *scribæ* appellantur, quorum decreta excipiunt: itémque *librariæ*, & *custodes* Archivi Cælestis. Unde de illis Ovid. lib. 15. Metam.

-------- Cernes illic molimine vasto
Ex ære, & solido rerum tabularia ferro.

Per ærea & ferrea tabularia exprimitur fatorum soliditas, quæ nec deleri, nec mutari possunt. Unde à Platone Parcæ etiam filiæ *Necessitatis*

(*a*) *Diversa Parcarum stamina.*

tatis appellantur; de qua Horatius lib. 1. Od. 35. Fortunam invocans:

Te semper anteit sæva Necessitas
Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans ahenâ; nec severus
Uncus abest, liquidúmque plumbum.

II. (*b*) Per Necessitatem Parca seu Fatum intelligitur. Clavi trabales, uncus, & cætera, quæ Necessitati tribuuntur pertinent vel ad fatorum vim ac potentiam: vel ad firmitatem & stabilitatem. Quemadmodum enim hæc omnia vel vim afferunt, & adhibentur ad torquendum & cruciandum; vel valent ad continendum, vinciendum, ac firmandum: sic Necessitas primùm quosvis impellit invitos, neque quisquam eam effugere, neque domare, neque flectere potest; deinde ad perpetuitatem fixa & stabilis est, adeò ut neque labefactari, neque moveri, neque refigi possit.

De fato multa insipienter Veteres sapientes. Seneca in Oedipo:

Fatis agimur, cedite Fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi:
Quidquid patimur, mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Servátque sua decreta colus
Lachesis, dura revoluta manu
Omnia certo tramite vadunt,
Primúsque dies dedit extremum:
Non illa Deo vertisse licet.

Curtius lib. 5. Equidem æterna constitutione crediderim, nexúque causarum latentium, & multò antè destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. Et Vellejus Patercul. lib. 1. Ineluctabilis fatorum vis cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Prævalent fata consiliis, omnémque humanæ mentis aciem perstringunt: ut quod accidit, etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Et Ammian. Marcellin. lib. 14. Manum injectantibus fatis, solent hebetari sensus hominum & obtundi. Imo ex Christianis quoque quidam de fato ambiguè loquuntur, è quibus Paulus Jovius hist. lib. 3. Occulta vis fati sæpè numero prudentes ad insaniam vertit. Et lib. 8. hist. Guicciard. Fatali tempestati nec humanum consilium,

(*b*) *Fatum Stoicum.*

filium, nec constantia repugnare potest. Nec desunt, qui illud Cleanthis, in ore habent. *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Quod si ita est, & homines fatali necessitate aguntur, nulla sunt supplicia constituenda maleficis: omnia enim scelera vel in fatum, vel fortunam rejici poterunt, cui reluctari, etsi velis, non queas. Et si est inevitabile, quidquid in fatis decretum, ergo frustra sunt supplicationes, preces, vota, piamina ad mala imminentia avertenda. Mirè se hîc torquet Stoicus Seneca; audiamus: Fata aliter jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece, non misericordiâ flectuntur, non gratiâ. Servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat: sic ordinem rerum, fati æterna series rotat, cujus hæc prima lex est, stare decretô. Quid enim intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium, actionúmque quam nulla vis rumpat. Hanc si sacrificiis, & capite niveæ agnæ exorari judicas divina non nosti. Sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari; quantò magìs Dei? Quid si admotæ diis preces fuerint, si vota suscepta? Ita hoc non est contra fatum, sed ipsum quoque in fato est. Aut enim futurum est, aut non: si futurum est, etiam si non susceperis vota, fiet. Si non est futurum, etiamsi susceperis vota, non fiet. At futurum hoc est; sed si vota suscepta fuerint. Puta me tibi manus dare, & fateri, hoc quoque fato esse comprehensum, ut utique vota fiant. Sic cum sanitas videatur esse de fato, debetur & medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit. lib. 2. nat. quæst. In circuitu ambulat Romanus hic Philosophus, ejúsque cerebrum cum fato circumagitatur, jam necessitatem inevitabilem agnoscendo, jam eam per exceptionem, ut vocant, *mediam*, per expiationes & procurationes avertendo; jam etiam medicum in consilium & moderationem fatorum admittendo.

III. (*c*) Fatum juxta Catholicos est complexio quædam causarum secundarum, quæ licet ex se incertæ sint ac variabiles, prout tamen subsunt divinæ providentiæ, infallibilem inferunt effectum. Deus verò causas omnes juxta cujusque naturam ordinat, quasdam necessariò, quasdam liberè; ad effectus bonos movendo, atque illuminatione tam intellectûs, quàm sanctis inspirationibus impellendo; effectus verò malos tantummodo permittendo. Unde fati hoc modo sumpti descriptionem sic tradit Boëtius lib. 4. Consol. pros. 6. Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam divina proidentia suis quæque nectit

(*c*) *Fatum in sano sensu.*

ctit ordinibus. Secundùm Conimbric. lib. 2. Physic. c. 7. Fatum appellatur ordo immobilis, quia stabilis est & firmus, non in se absolutè, sed relatus ad divinam providentiam. Nam causarum secundarum aliæ ex libertate, aliæ solo naturæ impetu, aliæ contingenter, aliæ necessariò ex se ac suopte ingenio operantur. Atque hæc in agendo varietas ad pulchritudinem & ornatum universi magnopere conducit: quam qui mundo adimunt similes iis sunt, qui è pictura colorum differentiam, è musica vocum varietatem, è comædia personarum multitudinem tollunt.

IV. (*d*) Quidam quadruplex fatum statuunt. Primum *Mathematicum* est, quod ligat & nectit firmiter actiones omnes, eventúsque ad vim siderum & posituram stellarum. Secundum *Naturale*, id est, ordo causarum naturalium, quæ nisi impediantur, vi & naturâ suâ, certum, eundémque producunt effectum. Tertium violentum, *stoicum* nempe & *Poëticum*, quod Seneca definit necessitatem rerum omnium, actionúmque, quam nulla vis rumpit: Deum ipsum, & actiones omnes internas, & nostræ voluntatis, huic fato subjiciens. Quartum est *Theologicum*, series scilicet ordóque causarum à divino consilio pendens vel inhærens rebus mobilibus, immobile divinæ providentiæ decretum, quod singula suo ordine, loco, tempore firmiter reddit. Vide S. August. lib. 5. de civit. c. 9. Et Lipsi. lib. 1. de constant. c. 17. & 18. Itémque P. Georg. Stengelium tom. 1. de Judiciis divinis. cap. 27. Ubi inter alia hæc disserit: Multi fati legibus ita addicunt, adstringúntque omnia, ut libertatem arbitrij manifestè tollant. Quidam námque opinantur, fatum esse naturalem quandam ac necessariam rerum consequentiam; eámque ex ipsis astris deducunt. Alii, inquiunt, fatum esse indeclinabilem rerum seriem & catenam, per æternæ consequentiæ ordines, semet implicantem. Utrique in Fato fiunt fatui: illi, quia astris, quibus sapiens dominatur, nimiam tribuunt potestatem: isti, quia non satis dispiciunt, quale sit inter facta & facienda discrímen. Nam etsi, quod factum est, infectum fieri nequit; id tamen, quod faciendum est, liberè faciendum; aut etiam omitti potest. Tametsi ergo Fatum, prout Ethnici sumebant, significabat aliquam in eventis necessitatem, imò etiam necessitatem in ipso Deo; prout tamen ab Aristotele, & rectè sentientibus accipitur, non solùm non infert necessitatem in Deo, cùm Deus liberè ordinet fatum; sed etiam in agentibus liberis creatis non ponit necessitatem; cùm causæ proximæ in effectum influentes, influant juxta modum ejus. Quocirca si sint liberæ, influunt cum libertate, seu, libertate

(*d*) *Fatum Mathematicum.*

libertate non eversa. Nulla ergo neque à stellis, neque ab ulla serie causarum est *necessitas antecedens.* Ita est, non lucent in cœlo sidera otiosè: alios in iram, alios in flavidum quendam languorem; alios lætos, subtristes alios gignunt; nullam tamen sanæ mentis homini ingerunt necessitatem, nulli adimunt libertatem. Potest lætus tristari, & tristis naturâ, lætari: neque sanè quisquam in lætissimos cachinnos effusior est, quàm cùm melancholicus in risum atque jocum erumpit. Qui autem ex positura stellarum bella, victorias, incendia, nuptias, magnatum mortes, proditiones, fœdera, pacem, amicitias, inimicitias promittunt, & prædicunt, næ illi sunt malo astro nati, & in suis fastis inter insanos scribendi! Hæc ille sapienter. Et in fine ejusdem cap. nomen *Fati* vitandum est homini Christiano, aut ita intelligendum, ut neque ab astris, neque à causarum ordine vis aut necessitas liberæ hominis voluntati inferri existimetur: DEUS enim etiam, quæ liberè & contingenter futura sunt, necessariò & non contingenter, sed certò ac infallibiliter prævidet; & unicuique, secundùm opera ejus, quæ prævidet, reddere statuit; præmia secundùm misericordiam, sive supplicia secundùm potestatem. Hinc sicut à Quintiliano, *suæ quisque fortunæ faber*, ita etiam sui dici quisque potest *Fati* auctor: prout enim se gerit, ita recipit. Sic DEUS infallibiliter recepturum vidit, sic ab æterno prævisis delictis aut meritis, incommutabiliter statuit: Sic facta, antequam fierent, judicavit. Qua de causa rectè Sophonias dixit c. 2. *Quærite dominum omnes mansueti terræ, qui judicium estis operati:* ita enim estis operati, sicut DEUS ab æterno prævidit, judicavitque vos mercede dignos, quærite ergo Dominum, ut ab eo, quod meruistis, accipiatis. Hæc ille.

V. (*e*) Non possum hîc præterire, plenioris eruditionis causa, Fatum *Calvinisticum.* Calvinus enim lib. 3. Instit. c. 21. §. 2. ita loquitur. *Homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur* & c. 23. §. 8. *non dubitabo simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod ille voluerit.* Fatuè & impiè, nam quid aliud hinc consequitur, quàm desperatio, cujus hoc est dilemma: vel ab æterno sum prædestinatus ad gloriam, vel reprobatus ad supplicium: si prædestinatus, necessariò salvabor, etsi pessimè vixero: si reprobatus, necessariò damnabor, etsi velim benè vivere. Hoc argumento nixus est Ludovicus Landgravius Thuringiæ, ut scribit Cæsarius lib. 1. c. 27. Hic propter deploratam vivendi

(*e*) *Fatum Calvinisticum.*

vivendi licentiam, à viris religiosis correptus & graviter monitus, ut ad bonam rediret frugem, antequam inopina morte præveniretur: pro excusatione hoc adferebat: Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre: si reprobus, nulla bona opera conferre. Sed docuit illum Medicus tam animi, quàm corporis, quantùm à vero aberraret. Nam vocatus ad medendum invaletudini Principis, hoc ariete eum concussit: Domine, frustra me vocâsti: aut enim ex hoc morbo moriturus es, aut provicturus: si priùs, nihil juvabit medicina, conclamatus es; sin' posterius, sine medicamine convalebis. Cùm ille nihilominus urgeret applicationem medicinæ: posse enim fieri, ut ejus efficaciâ sanitati redderetur; subintulit Medicus: rectè verò, si putas vitam corporis conservari posse adhibito pharmaco; cur non itidem credis, salutem animæ te consecuturum, si adhibeas pœnitentiæ sacræ remedia? vicit prudentia Medici, & morbum à corpore, errorem depulit ab animo. Porrò dilemma illud sic explicandum est. Si prædestinatus sum, id est, à Deo ordinatus ad vitam æternam per certa media, quæ in mea potestate sunt, consequendam; certò consequar vitam æternam, si illa media adhibuero. Rursum si sim reprobatus, id est, si à Deo ordinatus sum ad infernum propter peccata mea, quæ liberè commissurus sum; certò damnabor, si illa peccata commisero. Becan. lib. 3. c. 4.

VI. (*f*) Fatum etiam inducit Lutherus, dum contra libertatem arbitrii insurgit his vebis in assert. art. 36. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni; sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus. Quod & Poëta voluit, quando dixit: *Certa stant omnia lege.* Ex quo deducitur, nihil fieri Deo permittente, sed quæcunque fiunt, fieri Deo volente; & hanc Dei voluntatem esse rerum necessitatem. Hæc Lutherus. (*g*) Huic falsitati reclamat veritas per Siracidem cap. 15. *Appositit tibi DEVS ignem & aquam: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Habet nempe se liberum arbitrium instar libræ, cujus libripens est homo: bilances sunt ignis & aqua, bonum & malum, præmium & supplicium, ac in utrumlibet propensio, aut utriuslibet electio. Ex libero arbitrio homo fit. 1. Similis Deo & Angelis. 2. Eminet cæteris creaturis. 3. Est dominus sui ipsius, suarúmque actionum. 4. Capax est virtutis. 5. Capax est meriti. 6. Promeretur vitam & glo-

(*f*) *Fatum Lutheranum.* (*g*) *Fatum Catholicum.*

& gloriam æternam; éſtque libertas volendi & nolendi in anima, quod gemma in auro, velum in navi, ſpiritus in membris. Atque hæc de Fato.

VII. (*h*) Cæterum Parcæ vocantur *Themidis*, id eſt Præſidis juſtitiæ, filiæ: quia id quod unicuique evenit, jure & pro meritis, rerúmque geſtarum dignitate contingit, & altiſſimo Dei conſilio. Dicuntur autem in ſpelunca quadam obſcura habitare ſolitæ, quoniam occulta ſunt Dei judicia, nec ſtatim ad ſceleratorum hominum punitionem erumpentia: verùm ubi opportunum vindictæ tempus acceſſerit, nulla neque arx munitiſſima, neque legio peditum aut cataphractorum equitum præſidia poſſunt ab homine nefario Numinis ultionem depellere, aut retardare. Mythol. lib. 3. c. 6.

(*h*) *Parcarum ſpelunca.*

SYMBOLVM LXXXIV.

Fortuna, dea cæca.

Ex variis.

Ethicè.

1. Fortuna quid? 2. Fortuna & Caſus apud Ariſtotelem. Quid Fortuna ex mente S. Auguſtini? 3. Providentia Dei in temperandis ſortibus. 4. Fortuna varia apud Romanos. 5. Fortunæ inconſtantia. 6. Divina Providentia rerum omnium moderatrix.

Ethica.

FOrtuna, quaſi *Vertuna*, à vertendo dicta, quòd vertat omnia, Græcis *Tyche* nominata, omnium divorum maximè quotidianis in ſermonibus celebratur; penes quam omnes humanæ vitæ mutationes, omne facultatum, honorum, amicitiarum, & commodorum arbitrium non à Poëtis tantùm veteribus, ſed etiam Philoſophis creditur. Hanc ferunt res humanas ſurſum ac deorſum vertere pro ſuo arbitrio: hanc in ſingulos homines jus habere: hanc civitates, regna, amicitias, cùm libuerit evertere, & everſa ac jacentia erigere; iterúmque florentiſſima efficere.

ficere. Quare si quid prosperum, si quid ex voto, si quid felix ex obscuris causis eveniat; aut contrà, si quid turbulentum, molestum, calamitosum contingat: id totum Fortunæ tribuitur; hinc Seneca in Agamemn.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti,
Dubióque nimis excelsa locas!

Et Horat. lib. 1. Od. 35. Fortuna

Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale Corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Et lib. 3. Od. 29.

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Hæc una rerum omnium domina existimata est. Unde quidam eam proposuerunt, capite polum, manu Cornucopiæ gerentem quasi felicitatis omnis *promam condam.* Juvenal. Sat. 7.

Si fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Vita hominum ei ludus est, hos in morem pilæ, nunc ad sidera tollit, nunc tartara ad ima jacit. Fingitur cæca, inconstans, volubilis, globo aut rotæ insistens, manibus capta, odisse bonos, fovere malos: unde multorum passim convitiis vapulat. Dicaces in eam Poëtæ. Ovid. lib. 2. de Pont.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo firma tenáxque loco.

Et in epist. ad Liviam:

Quáque ruit, furibunda ruit: totúmque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Tibull. lib. 1. Eleg.

Versatur celeri Fors levis orbe rotæ.

Senec. in Hyppolyt.

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargítque manu
Munera cæca, pejora fovens.

Et

Et de ea Virg.

Fortuna immeritos auget honoribus:
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Juſtos illa viros paupertate gravat;
Indignos eadem divitiis beat.

Claudianus de cultoribus ejus:

Sunt, qui in fortunæ jam caſibus omnia ponant,
Et nullo credunt mundum rectore moveri.

Cujusmodi fuit Epicurus, Democritus, Empedocles, alii, qui nullos eſſe Deos aſſeruerunt, omnia ſua ſponte exiſtere, & mundum nulla providentia regi. Quæ nefaria opinio etiam hodie inter *Atheos* vigens, omnia jura humana, divináque ſubvertit, ac funditus deſtruit. Sed poſt Poëtas, etiam alios, qui ſibi plus ſapere videbantur, audiamus. Tull. lib. 2. offic. Magnam eſſe vim in Fortuna, in utramque partem, vel ad ſecundas res, vel ad adverſas, quis ignorat? Et pro *Marcello*: dominam rerum appellat. Et ad *Herenn.* Fortunam inſanam & cæcam nominat. Et in Lælio: non ipſa ſolùm fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa eſt; juxta Poëtam:

Fortuna, nimiùm quem fovet, ſtultum facit.

Eodem teſte, Cebes Philoſophus, aliique veteres Fortunam cæcam effinxerunt, furenti ſimilem, volubili ſaxo pendentem. Quo picturæ artificio ſignificare volebant, eam nihil ratione aut judicio, omnia temerè & cæco impetu adminiſtrare; rerum humanarum aleam súsque, déque vertere; iniquam vexatricem eſſe; malis propitiam, bonis adverſam, vagam ac verſatilem, & in ſola levitate conſtantem. Quidam fortunam inter maris undas velificantem finxere; ut innuerent, quantis expoſiti fluctibus & procellis eſſent, qui à libidine Fortunæ penderent. Apelles eam ſedentem pinxiſſe fertur; rogatus cur id feciſſet, reſpondit: *Quia nunquam ſtetit.* Apud ſcythas ſine pedibus exprimebatur, ut manus tantùm & pennas haberet, inſtar avium, quas apodas vocant, quod pedibus careant, eò quòd nullo conſiſtat loco. Alii hanc deam in equo velociſſimo conſtituerunt, eique currenti Fatum arcu intento imminere commenti ſunt, indicaturi, feliciſſimos quosque in perpetuo timore verſari, ne ſubitò de ſua proſperitate dejecti, triſtibus Fatis involvantur. Saluſtius in Catilin. de ea: Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas, ex libidine magis, quàm ex vero celebrat, obſcurátque. Et Curt. lib 3. Deſtinata ſalubriter, omni ratione fortuna potentior

discutit. Plinius lib. 2. Toto mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, omnium vocibus fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum convitiis colitur: volubilis, à plerisque verò cæca etiam existimatur, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa huic omnia feruntur accepta & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit: adeóque obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Dea sit. Hinc quoddam fortunæ mancipium aiebat: *Gutta bonæ sortis sive Fortunæ potior est mihi, bonæ mentis seu Prudentiæ cadô.* Et Cornelius Sylla, Fortunæ se filium dicebat. Haud paulò his sapientior Seneca, nihil ait, neque boni, neque mali dare potest Fortuna: valentior in omni fortuna est animus, qui in utramque partem res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est. Plautus in Trinum.

Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi.

Ethica.

I. (*a*) Quid ergo est Fortuna? Respondet S. Augustinus lib. quæst. XCI. Fortuna intelligenda est pro iis rebus, quæ fortuitu videntur accidere; non quia numen aliquod sit, cùm hæc ipsa, quæ fortuita videntur, causis occultis divinitus dentur. Unde etiam verba, quæ nemo potest auferre, à consuetudine loquendi parata sunt, id est, Fortè, Fortasse, Forsitan, Fortuitu. Et lib. 5. de civit. Dei c. 1. secundùm opinionem hominum ea dicuntur esse fortuita, quæ vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes contingunt. Sapienter, si constanter Cicero de Fortuna: *Ignoratio rerum atque causarum, Fortunæ numen & nomen induxit.*

II. (*b*) Ab Aristotele 2. Phys. c. 5. *Fortuna & Casus* vocantur *Causa per accidens*, ratione hominum scilicet, qui causas illas ignoraverunt, aut non prospexerunt; ut si quis temerè fodiendo inveniat thesaurum: ratione autem Dei viventis & omnia videntis, nihil casu aut fortuitò evenire potest, quia teste, S. August. (*c*) Providentiâ Dei summi, non fortuita temeritate regitur mundus. lib. 9. de civ. c. 13. Tametsi enim non rarò horrendi quidam casus, præter mentem voluntatémque hominum, aut secundæ alicuius causæ ingenium accidunt, non accidunt tamen præter voluntatem Dei, qui est causa prima, liberè, providè, & creaturarum

(*a*) *Fortuna quid?* (*b*) *Fortuna & Casus apud Aristotelem, quid.*
(*c*) *Quid ex mente S. Augustini.*

turarum naturas congruè movens, & inter se connectens causas secundas. Igitur mortalibus aliquid fortuitò contingit, quia ignorant divinæ providentiæ consilia ac scopum, & in cæleſtibus arcanis, consultissimum concursum, vel impedimenta causarum aliarum. Deo, cuius sapientia omnia reguntur, & cuius oculis omnia patent, nihil est fortuitum aut inopinatum. Omnia aut definit aut permittit, atque in bonum finem dirigit; etiamsi mala sint, & contra mentem, votúmque causæ particularis. Scitissimè Hipponensis Antistes. Nihil, inquit, in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensáque republica est, quod non de interiore atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur lib. 3. de Trinit. c. 4. Vulgi igitur plebeja inscitia, stultorúmque error ac superstitio Deam Fortunam credit, quæ negotia humana regat. Qui rectè sapit & censet, non Fortunæ sed Deo sacrificat; neque cæcam Deam, quæ nescit & non videt, cui det vel neget, sed omnia videntem divinam bonitatem, rebus gerendis advocat. Benè Ethnicus Poëta:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed nos
Te facimus, Fortuna, Deam, cælóque locamus. Juven. Sat. 10.

III. (*d*) Minatur Deus Israëlitis, execrandis Fortunæ cultoribus Isa. 65. *Vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis nomen sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam; enumerabo vos in gladio, & omnes in cade corruetis.* En mercedem horum adoratorum. Huc facit illud Salomonis in Prov. 16. *Sortes mittuntur in sinum*, seu urnam, *sed à Domino temperantur.* Sortes videntur sortitò & casu jaci, vel educi & cadere: attamen Deus occulta sua æquitate illas disponit, & temperat, ac cuique suum attribuit. Nihil enim in rebus humanis geritur sine nutu & dispensatione divina; ut ne sortes quidem, quæ cæcæ fortunæ attribui solent ab hominibus, & sine ratione putantur cadere, aliter eveniant, quàm pro moderatione Dei. Unde dicitur psal. 30. *In manibus tuis sortes meæ.* Hoc est, quod ait Boëtius: In regno providentiæ nihil licet casui, nihil temeritati. Ulteriùs significat hîc Salomon, mortalium rerum eventus dubios & ancipites fixo, statóque regi ordine à provida Numinis mente, & pervigili oculo. Id maximè videre est in *contingentibus liberis.* Deus enim actus liberos, sanctósque Justorum, suâ gratiâ peculiari prævenit, & dirigit ad virtutem, ejúsque præmia in cælo reportanda. Actus autem impiorum pravos moderatur, ne exorbitent, & in multorum damna grassentur, sed limitibus definitis constringantur. Dirigit deinde eos vel ad pœnitentiam, vel ad justam vindictam

(*d*) *Providentia Dei in Sortibus.*

vindictam sive in hac vita, sive in gehenna infligendam. Unde S. August. lib. 5. de Civ. c. 9. In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas *adjuvat*, malas *judicat*, omnes *ordinat*.

IV. (*e*) Mira superstitio veterum Romanorum in colenda Fortuna fuit; quibus alia Fortuna *Bona*, alia *Mala*, alia *Equestris*, alia *Bonæ Spei*, alia *Obsequens*, quam Servius Tullius ex Serva natus, Rex Romanorum, ad se in cubiculum per fenestram delabi jactabat: alia *Fortis* alia *Redux* sive respiciens, alia *Viscata &c.* nominabatur. *Virilis* etiam & *mascula* dicebatur, sive quòd viros assignaret puellis, sive quòd virili habitu collocaretur, & masculino nomine honoraretur. Demost. lib. 4. c. 4. De hac Lactantius lib. 3. diu. instit. c. 29. Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus: verùm Philosophi ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes, qui Fortunæ sexum mutant, eámque non Deam, sicut vulgus, sed Deum esse dicunt. Fortunæ aureæ domestica effigies in Principum aulis usurpata fuit, quam morituri ad alios transmittebant, teste Capitolino. Fortuna *Domestica* Severi Imp. ita filiis est relicta, ut alternis diebus in alterius cubiculo esset. Optimè fortunam expresserunt, qui eam vitream effinxerunt; quid enim eâ fragilius? Elegans recentioris Poëtæ epigramma est in effigiem Fortunæ, à Francisco Floro pictam:

Appellis ille, & æmulator Zeuxidis
Florus, superbæ nomen ingens Belgicæ,
Volubilem cùm pingeret Fortis rotam,
Pinxit videntem, sed chiragricam Deam:
Videt sat, inquit, sed satis dat nemini. Bahus. l. 2.

Idem aliud de eadem.

Non hæc inconstans, ut pictor imagine pingit,
Sed potiùs constans in levitate sua est.

Et alius.

Nulla mala est Fortuna, æqua omnibus, omnibus una
Spem dat pauperibus, divitibúsque metum.

V. (*f*) Meritò Fortuna, hoc est, mortalium felicitas, ob inconstantiam suam volubili globo seu rotæ insistere fingitur. Verissimè Poëta:

O nulla longi temporis felicitas!
Nemo confidat nimiùm secundis.
Vidi cruentos carceri includi duces,

Et

(*e*) *Varia apud Romanos Fortunæ nomina & munia.* (*f*) *Fortuna inconstantia.*

Et impotentis terga plebeja manu
Scindi tyranni.

Et alius:

Craſſum Parthus habet, Libyeo jacet æquore Magnus,
Tertius (*) ingratam perfudit ſanguine Romam.
Et quaſi non poſſet tot tellus ferre ſepulcra,
Diviſit cineres. hos gloria reddit honores.

Certior hujus rei, ex diademate teſtis, de ſe ipſo:

--------- Dum excelſus ſteti
Nunquam pavere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris.
Venenum in auro bibitur: expertus loquor:
Humi jacentem, ſcelera non intrant caſam.

Hinc illa ſuſpiria:

O nos dura ſorte creatos!
Nemo tam Divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſet ſibi polliceri!

Fortuna, ut diximus, vitrea eſt; cùm ſplendet, frangitur. Quis commemoret, quàm & quot cruentos illa ludos in ſummis capitibus dederit. Ut taceam Reges & Cæſares, in quibus Valerianus Imp. à Sapore Rege Perſarum captus, equum conſcenſuro pro ſcabello fuit. Eodem modo Bajazetes Turcarum Rex dorſum præbere debuit Tamerlani Scythæ, à quo ferreæ incluſus caveæ circumductus eſt omnibus oſtentui & irriſui. Gilimer Wandalorum Rex à Beliſario in extremas anguſtias redactus, *Panem*, *ſpongiam*, & *Citharam* ſibi mitti rogavit. *Panem* ſedandæ fami, *ſpongiam* tergendis lacrimis, *citharam* dolori. Ille ipſe Beliſarius utriusque fortunæ tam pugna, quàm palma, poſt victorias de toto orbe non ſemel relatas, in obſcurum carcerem detruſus, oculis effoſſis ſtipem rogare coactus eſt. Baron. ad annum 561. De quo Poëta:

Hic ille Beliſarius
Confoſſus à triumphis:
Caſtrenſe mendicabulum,
Mundique cæcus exul:
Bellator antè ſtrenuus:
Nunc publicus Rogator.
Si vel ſcobem porrexeris,
Hac ſportulâ beaſti.

(*) *Julius Cæſar.*

Sic tractat mancipia sua Fortuna, quæ *Saladino*, Sultano Turcico, Christianorum olim terrori, post subactam ab eo Syriam, Ægyptum, & magnam partem Africæ, nihil nisi indusium, seu interiorem tunicam reliquit, quam moriturus in hasta sublimem ferri jussit, & proclamari: *Hoc unum ex domito Oriente restat.* Gravissimus monitor Seneca: Neminem, inquit, eò Fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum promiserat. Noli huic tranquillitati confidere; momentò mare evertitur; & ubi lusere navigia, sorbentur. Solet Fortuna, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservare. Nimirum saginantur ad victimam pecora, sed & coronantur. Altiùs plerúmque ruunt, qui sublimiùs ascenderunt. In proverbium abiit: *Dionysius Corinthi*; quô significatur, aliquem è summa dignitate atque imperio, ad privatam, humilémque fortunam redactum; quemadmodum Dionysio Syracusanorum tyranno contigit, qui pulsus imperiô, Corinthi pueros litteras ac musicam docuit. De Polycrate Samiorum tyranno Herodotus prodit lib. 3. cùm summa frueretur felicitate, ab Amasi Ægyptiorum Rege monitus est, ut aliquo saltem, quamvis levi incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem. Annulum ergo in mare projecit, quem habebat chariſſimum, eiúsque jactura vehementer dolere videbatur. Paulò pòst Piscator quidam captum piscem Polycrati dono obtulit, quô exenteratô, ille idem annulus in visceribus repertus est, quem Polycrates abjecerat, quasi non posset esse infortunatus. Sed nec illud ipsum quidem bonum omen fuit. Quare ibi tunc Amasis Polycrati amicitiam renuntiâsse dicitur, cùm apertè deprehenderet, fortunam ad graviores casus eum reservare. Nec defuit eventus. Ab Oræte enim Darii Regis præfecto, in summo Mycalensis montis jugo, cruci affixus est. Eò nempe usque Fortuna illum extulit, quæ à Comicis initiis orsa, in fine paratragœdiatur. Fronti nulla fides; si venit renidente vultu, cogita cum furore abituram. Si, cùm aliis sæva est, tibi parcit; suspectam habe clementiam; nam moræ usuram exiget. Demetrio Phalereo Athenarum Duci trecentæ statuæ sunt positæ; quid glorioſius? omnes sunt dejectæ, & in matulas conflatæ; quid ignominioſius? Hæc felicitatis mutatio superbiam domat, frenátque insolentiam. Sesostris Rex Ægyptiorum victoriis illustris, ut Paulus Diaconus refert de reb. Rom. lib. 17. currum aureum pretioſiſſimis gemmis ornatum sibi construxit: cui insidens à quatuor regibus devictis jugum subeuntibus se trahi passus est. Cùm festo quodam die, regum unus, oculis conversis, continuò retro-

spiceret,

ſpiceret, rotæ volubilitatem intuens, Seſoſtrísque cauſam reſpectus percontaretur, reſpondiſſe fertur: Cum ſtupore admiror rotam ſurſum deorſum volui, ima attolli, ſublimia deprimi. Seſoſtris ubi dictum intellexit, jugales illos à ſuo curru abjunxit. Idem de Soldano Turciæ Principe narratur à Cedreno, qui à Rege Franciæ Ludovico II. captus, cùm toto biennio nunquam riſiſſet, aliquando in cachinnum ſolutus, cauſámque rogatus, reſpondit, ſe aſpectu currûs, & rotarum, quarum aliæ partes in imum, aliæ in ſummum obverterentur riſiſſe imaginem felicitatis humanæ, ſibíque in mentem veniſſe, ſe ex ſummo factum infimum, poſſe iterum ex infimo ſummum fieri. His auditis Rex de ſuo quoque ſtatu cogitans Soldanum judicans virum ſapientem, liberè ſecum verſari permiſit. Id ſi cogitaſſet Adonibececus tyrannus, qui, ut hiſtoria ſacra Judic. 19. narrat. ſubactos bello regulos ſeptuaginta ſummis non tantùm manuum ac pedum articulis truncavit, ſed etiam miſerè deartuatos, tanquam canes ſub menſam retruſit, ſolis epularum retrimentis, in famelicos rejectis; ſi inquam Fortunæ volubilitatem cogitaſſet, mitiùs cum devictis egiſſet, & in ſortis exaſperatæ manus non incidiſſet. Captus enim ab Hebræis, & ſupinus humi proſtratus ac religatus, cultris immanibus conciſſus eſt, manuum, pedúmque ſupremis digitis, lento ſupplicio, minùtis atque mutilatis. Fortunæ reverenter habendæ Romani triumphantem Imperatorem admonuerunt, dum curru invehenti ſervum à tergo apponerent (Plinius lib. 28. c. 4. carnificem vocat) qui crebrò inſuſurraret in aurem: *Reſpice poſt te, hominem te memento.* Lucio Senatori Romano cum Senatus propter celeberrimam de hoſte victoriam reportatam ampliſſimum triumphi honorem decreviſſet; triumphare ipſe recuſavit; ſtatuam verò ſuam è cera factam triumphali curruì impoſuit, & ardentem circumquaque ignem, cuius ipſa paulatim calore ſolvebatur. Nicol. Vernulæus orat. 21. Elegans Symbolum modeſtiæ in rebus proſperis non deponendæ. Senecæ dictum eſt, *ut ſemper tutus ſis, nunquam eſto ſecurus.* Quod cùm alibi, tum maximè locum habet in fortunæ blandientis favoniis. Veteres *Gygis annulum* celebrabant, quem qui geſtabat, omnia ei ad votum fluebant: ſed Polycratis annulus monet, Fortunam circulatricem eſſe per orbem, & in gyrum cum annulo verti, ſubitóque dilabi. Prudentiùs Adrianus Imp. qui annulo digitali inſcripſit: *Illis gravis eſt fortuna, quibus repentina eſt.* Cicero de amicitia dicit: Fortuna quem nimiùm fovet, ſtultum facit. Rectè Philippus Macedo, qui ne felicitate nimiùm ſe efferret, ex pueris aulicis uni id muneris de-

mandavit, ut summo manè cubiculum ingressus pronuntiaret; ἄνθρωπος εἶ Φίλιππε, *homo es Philippe.* Cuius rei occasionem fortasse dederat Archidamus Agesilai filius, qui cùm à Philippo post partam victoriam ad Cheronæam acerbas & minarum plenas litteras accepisset, huic respondit: Si metieris umbram tuam, Philippe haud quaquam illam reperies factam majorem, quàm erat ante victoriam. Idem Philippus fortè in Palæstra prolapsus, cùm surgens vidisset in pulvere corporis vestigium: Papè, inquit, ut minimam terræ partem naturâ sortiti, Orbem appetimus universum. At filii ambitioni etiam hic Circus fuit angustus. Crœsum Lydorum Regem ob divitias & potentiam nimiùm se efferentem monuit Solon Philosophus, Neminem ante cineres beatum dicendum, cùm instabilis sit felicitas, & instar Lunæ mutetur. Hinc ille:

Lusus fortunæ variatur imagine lunæ,
Crescit, decrescit, constans consistere nescit.

Jactatur vita fluctibus; antequam ingrediaris portum, potest tempestas intervenire. Quam Solonis sententiam verissimam esse, Crœsi calamitas postea declaravit. Victus enim à Cyro Persarum Rege, pyræque impositus, tandem salubre Solonis consilium agnovit, eiúsque nomen sæpius inclamavit. Cyrus intellectô quem & cuius rei causa invocaret, & ipse humanæ vicissitudinis memor, Crœsum ab incendio liberavit, & inter amicos coluit. Sapuit Philippus, de quo dixi, cui cùm multa simul feliciter ac prosperè gesta essent nuntiata (nam eodem tempore vicerat in Olympicis, & Parmenio Dardanenses prœlio fuderat, & Olympias uxor masculum fœtum (Alexandrum) fuerat enixa; porrectis in cælum manibus exclamavit: *O Fortuna pro tot, tantísque bonis, levi quopiam malo* me affice; unde rectè Ausonius:

Si Fortuna juvat, caveto tolli:
Si Fortuna tonat, caveto mergi.

VI. (*f*) Et hæc, quæ hucusque diximus de Fortuna, non aliò spectant, quàm ad divinam Providentiam. Salomon in Proverbiis c. 22. *Dives*, inquit, *& pauper obviaverunt sibi; utriusque operator est Dominus* Quasi dicat: Fieri potest, ut dives ab opibus descendat ad inopiam, & pauper ab inopia ascendat ad opes; in qua gyratione rotæ, videntur occurrere fortuitò, & pro lubitu Sortis omnia vertentis: cùm reverà Deus, rerum omnium supremus Dominus mutet illas vices, attenuet potentem, & erigat de pulvere pauperem. Divina Providentia est illa rerum humanarum Moderatrix & Domina, quæ omnia gubernat, molitur, impellit, perficit.

(*f*) *Providentia divina rerum omnium moderatrix.*

perficit. Illa humiles Codri premit casas : & alta regum educit palatia. Illa plebejo tegit petaso cervices , & diademate coronat regali capita. Illa milites romphæa, satellites sarisså , colonos munit ligonibus. Illa regum dextras implet sceptris, nitidat Gratiis, Cornúque copiæ circumvallat. Quando ludos Divina Sapientia dare decrevit in orbe terrarum, ibi tum Providentia Scenam parat , struit orchestram , tendit siparium, Roscios evocat ordine, non fato , non dignitate , sed libera voluntate, singulos. Hîc hæret mendicus Principi ; trudit Olitor Consularem ; lixa prævertit Imperatorem. Tempus nascendi , ac rursus denascendi , & modum imperat unicuique , non litui , non fasces , non opes. Splendet purpura , dum Phœbus lucet ; sub vitæ occasum catastrophe fabulæ luditur. Et optimus is est Chorago , non qui summas personas gessit, sed qui suam gessit ex usu. Sæpe tunc lacernis cedit , quod perdiderunt trabeæ,quod laticlavii neglexerunt. Laus & plausus manet postremum , si benè ; summus sibilus & catastæ , qui noxiè vitam egerunt. Ad exodia & diverbia deflectitur nonnunquam ; & videbis ab aratro vocatos ad imperia ; ex aulis alios detrudi ad caulas. Ubi nemo divinæ Providentiæ diem dicat , quasi non justè , non sapienter hæc talia factitaret ; summa ratione, consiliis perquisitissimis omnia sive ruunt , sive surgunt. Nos homunciones , quibus concessum non est inspicere diphtheram Jovis , nos putamus alios casu prolabi , nonnullos fortuitò tolli ; *Fortunæ* perinde , ac *Pilæ* ludum hos in terram affligere ; illos humo erigere : sursum , deorsum , in omne latus impelli , ut casus tulerit aut voluptas. Secus autem res se habent : nulla his judiciis *Fortuna* intercedit , nullus provoluit *Casus* , nullum *Fatum* interturbat : omnia suis librata momentis æquæ apponuntur lanci , non temerè deprimendæ , non fortuitò sublevandæ. Trutina quibusdam severior , aliis mitior obtingit , omnibus tamen justissima.

SYMBOLVM LXXXV.

Adastréa, seu Adastria, aut Nemesis ultrix dea.

Ex Variis.

Ethicè.

Vis Nemeseos in persequendis malis, præsertim torquendâ conscientia.

ADastréa, Jovis ac *Necessitatis* filia, alio nomine *Nemesis*, scelerum vindex acerrima, quam nemo flagitiosus, vi aut clàm effugere potest. Virtutum quoque remuneratrix est, & quidquid facere deceat, ostendit. Vocatur ἀδράστεια vel ab *Adastro* Argivorum Rege, qui primus Nemesi templum erexit; vel παρὰ τὸ ἀεὶ δρᾶν, (δράω, efficio, exequor,) quòd semper exequatur, quasi ἀεὶ δραστεῖα; quam nihil impediat, nihil frustretur; quæ nihil infectum relinquat & impunitum; vel ut Pausanias ait, ἀπὸ τᾶ διδράσκειν, fugere, quòd scilicet nemo nocens meritam pœnam unquam effugerit, etiamsi aliquando tardiùs assequatur eum. *Nemesis* dicta est, à νεμεσάω *succenseo, indignor*, sive à νέμω, quod bona & mala distribuat, nam νέμω seu νεμέω, distribuo, divido. *Rhamnusia* dicta est ab oppido Rhamnunte, regionis Atticæ, ubi templum habuit. Est autem Adrastéa, præsertim insolentiæ & arrogantiæ ultrix. De hac Ammianus lib. 14. Nemesin ajunt, ex opinione veterum Theologorum lunæ superpositam, generali potentia præsidere fatis, omnia terrena despectantem, & reginam & arbitram rerum omnium: quæ præcipuè fastui infensa, nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat; nunc bonos ab imo suscitans, ad benè vivendum extollit. Huic antiquitas addidit *pennas*, celeritatis symbolum: dedit *gubernaculum & rotam*, significans illam per omnia discurrentem, singula moderari. Plato in legib. vocat δίκης ἄγγελον *Angelum justitiæ*, in malos advertentem per Furias. Quidam à *Syntereſi* seu malè, rectéve factorum conscientia non distinguunt. Pingitur vel cum freno equorum, & mensura cubitali, seu norma rectangula, quòd refractarios domet, ac mensurâ omnia dimetiatur; vel cum alis, in rota pedibus subjectâ; quòd celerrimè nocentes premat, omnémque mundi fortunam calcet. Horat. lib. 3. Od. 2.

Rarò

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Vide Alciatum emblemate XXVII.

Ethica.

Peccati comes eſt ſupplicium, quod & qui luit, & qui non luit, miſer eſt: hic quidem, quia non ſanatur: ille autem, quia, ut alii multi ſalvi ſint, interit. Plutarchus ait: ut amnes quidam repentè ſe condunt ſub terram, nihilominùs eò perferuntur, quò tendunt: ita Numinis iræ licet occultæ, tamen in extremas calamitates inferunt aliquando nocentes. Et Tibullus eleg. 9.

(a) Ah miſer: & ſi quis primò perjuria celat;
Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus.

Siracides monet cap. 5. *Ne dixeris: peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor.* Tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Juxta adagium: *Dii laneos habent pedes*, quibus lentè ad vindictam procedunt: ſed ferreas manus, quibus validos infligunt ictus & verbera. Serò molunt ſuperûm molæ: ſuperbis frangunt tandem cornua. Semper vigilat divinus Oculus, & ſeriùs, citiùs, vocat ad pœnam nocentes: differt ultionem, non aufert. Quanquam conſcientia ſceleris ipſa ſibi Nemeſis eſt & carnifex. *Sonitus terroris ſemper in auribus impii* Job. 15. Artemon homo improbiſſimus ſemper lectica vehebatur, & domi conſidens, duos famulos ſcutum ſupra caput geſtare jubebat, ne quid ex alto decidens, aut improviſum telum ferîret. Plutarch. *Dionyſius* Syracuſanorum tyrannus, tonſoris metu, tondere filias ſuas docuit: neque his adultis, ferrum auſus eſt committere, ſed candentium juglandium, aut nucum putaminibus, barbam ſibi & capillos aduri jubebat: lectum quaſi caſtra, latâ foſsâ cinxit, in quem ſe ligneo ponte recipiebat. *Mithridates*, Rex Ponti, cùm ſomnum caperet, cuſtodiam ſui, tauro, equo, cervo commiſit, qui ad hoc manſuefacti, ut, ſi quis accederet, ille mugitu, alter hinnitu, tertius propria ſua voce dormientem excitarent. Ælian. lib. 7. c. 66. *Clearchus*, Ponticus tyrannus, ſomni tempore ſerpentis in morem, ſe in arcam condebat. Argivus *Ariſtodemus* penſili porta, ſcalis ſubtractis, gallinarum in morem, ſe in ſuperius cœnaculum abdebat. Nec metus tantûm malè ſibi conſcios torquet, ſed triſtes etiam larvæ immituntur à Nemeſi, quæ

(a) *Vis Nemeſeos in perſequendis malis.*

quæ nocentes exagitant. *Theodoricus* Italiæ tyrannus, postquam Joannem, summum Pontificem, Ravennæ in carcere, squalore, & inedia necavit; *Symmachum* & *Boëtium*, viros consulares, truncavit capite; passimque sœviit in Orthodoxos, Arrianus ipse; supervénit denique sera quidem, sed severa Numinis ultio. Cœnanti ingentis caput piscis erat appositum: id Symnachi nuper à se occisi caput, torvis oculis, exertisque dentibus, cum sœvitiæ exprobatione ei minitari visum, adeò conterruit, ut correptus maniâ, miserrimè periret, anno Ch. 526. regni 33. Recentius est, quod scribit Lobbetius de flagellis peccat. c. 3. & ex eo Henricus Engelgrav. Dom. 5. post Epiph. Juvenis quidam Germanus, cùm unicam heri filiam, quam efflictim deperibat, propter inopiam obtinere non posset, crudele facinus aggressus est. Primò hospitem suum, benè nummatum mercatorem, obtruncat & spoliat: tum quasi recenter acceptâ à suis pecuniâ, lucupletior factus, matrimonium extorquet. Jam votis potitus, se & familiam honestè componit, itáque se gerit, ut in senatum admitteretur: hæsit tamen semper in oculis, ad latus, in tergo ultrix Nemesis, & cædem factam, dirè ingessit. Impatiens occulti tortoris, cùm fortè in senatu de prædonis alicujus capite sententiam deberet ferre; redux domum, petit jentaculum: apponit uxor caput vitulinum. Hic ille vehementer exhorrere, & expalleſcere: jussit uxorem cum capite humano facessere. Inde reversus in Senatum, cùm sententiam in ordine rogaretur, respondit: prædonem quidem capitis esse reum; se verò pari, vel majore etiam dignum supplicio: simúlque exponit facinus suum, omnibus hactenus ignotum. Invasit audientes stupor: atque ut dictis fieret fides, itum est in ejus domum: eruitur terra, inveniuntur mercatoris ossa, scelus manifestatur. Latâ igitur in reum sententiâ, pari cum prædone supplicio afficitur. Lentiùs & hunc insecuta est Nemesis, assecuta tamen est. Verè Seneca. *Scelera quandoque tuta esse possunt, secura nunquam.* Eruditè de Nemesi scribit Carolus Paschasius lib. de virtut. & vitiis c. 40. ubi inter alia: Hæc est illa dea cœlo demissa ad Principes, ac tantopere celebrata Nemesis bonorum benignissima præmiatrix, & impiorum factorum accerrima ultrix. Hanc fecerunt Justitiæ filiam, quæ ex abdita quadam, ac mortalibus oculis inaccessa statione, tanquam ex editissima arce, omnia humana despectat. Inde ex hominibus alios suspensos tenet, an puniri debeant, donec resipiscant; alios mox punit; ac dum citò puniendo, pauculos emendat: tardè plectendo multos juvat, atque ad salutem revocat. Habet quo-

que

que hæc dea ſuos delatores, ſi non alios; certè ipſas umbras, ac manes, ſcelerum quemque ſuorum intus accuſantes; habet ſuos tortores & carnifices, hoc eſt, furias, quæ perpetuò obverſantur oculis improborum. Hujus Numinis eſt quoddam perenne lumen homini inditum, cujus vi, reipublicæ moderator puniendo & ulciſcendo prævidet, quid ſequi, quid vitare debeat. Eos, qui caſtigatiùs vivunt, fovet; divinis monitis reluctantes, periculi admonet: comploratos agit præcipites. Hæc ille doctè. De privata cujuſque Nemeſi Marſilius Ficinus inſignis Philoſophus, quatuor, inquit, in homine inſunt: In *mente* lex, quid agendum ſit, quid non dictitans: in *ratione* judicium diſtinctiore quadam argumentatione diſcernens, quod in hac vel illa actione honeſtum vel turpe: in *voluntate* juſtitia, quæ eligat aut proſequatur, quod ratio per mentis leges ſequendum vel fugiendum dictaverit: in *imaginatione* Nemeſis, quæ turpibus actionibus, verbiſque ſuccenſeat, ac legitimè indignetur.

SYMBOLVM LXXXVI.

Charites ſeu Gratiæ.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Trium Gratiarum officia. 2. Lingua gratioſa. 3. Indoles Gratioſa.

I. IOvis & *Eurynomes* filiæ, dictæ ſunt ἀπὸ τῆς χαρᾶς, à gaudio. Latinè à *gratia*, quæ ſignificat beneficium, quia gratis datur; item lepórem, venuſtatem, oblectationem. Tres præcipuè numerantur. (a) 1. *Aglaia*, à *ſplendore & claritate* nomen trahens: quia beneficium debet eſſe ſplendidum & ſine ſordibus. 2. *Thalia viriditatem* indicat, quòd beneficii memoria ſemper virere debeat, & nunquam marceſſere. 3. *Euphroſyne*, *lætitiam & hilaritatem* nomine præfert: non minùs enim in dando, quàm in accipiendo hilarem eſſe decet. *DEVS ipſe hilarem datorem diligit.* 2. Cor. 9. Pinguntur nudæ, aut pellucidis veſtibus, ſolutíſque Zonis, virgines eædem & hilares, manibus inter ſe connexæ. Quarum una exprimitur averſo corpore, quaſi à nobis recedens: duæ autem ad nos converſæ, quaſi accedentes: quia cùm unum à nobis in

(a) *Charitum ſeu Gratiarum nomina, habitus, officia.*

alios proficiscitur beneficium, duplex gratia rependi solet: altera dum accipitur, altera dum redditur: vel, quoniam pro una gratia aliis exhibita, plures ad nos ab aliis redeant; vel datorem oblivisci debere beneficii; acceptorem verò duplici fœnore rependere. *Tres* sunt, ut meminerimus. 1. Gratiam acceptam memoriâ tenere. 2. Ore laudare. 3. Obsequiis demereri. Item quia tot beneficiorum genera sunt: *promerentium*, *dantium*, *accipientium & reddentium simul*. *Nudæ*, vel transparente veste, quòd beneficia debeant esse minimè fucata, sed sincera & candida. *Sine Zonis*, quòd munifici & liberales homines, omnia habeant aperta & soluta. *Puellæ*, quia accepti beneficii memoria senescere nunquam debeat, sed florere perpetuò. *Virgines*, quia beneficia pura esse oportet, nec fœnerari illa convenit: hinc *Gratiæ* in *Acidalio* fonte dicuntur lavare, ut intelligamus, debere abesse sordes tam in dante, quàm in accipiente, vel etiam, quòd nihil turpe petendum, aut accipiendum sit. *Connexæ*, quia ex unius beneficio, alterius sequitur, & ut ajunt, χάρις χάριν τίκτει, *gratia gratiam parit*. Beneficia námque perpetuum sunt fœdus benevolentiæ mutuæ, ultrò citróque commeantis. *Talus* Gratiis datur, quòd gratia ire & redire mutuò, ut talus jactus debeat. Item *Myrtus*, ut semper virens, nunquam deficiat. *Rosa* quoque, ut læta delectet. *Talaria* junguntur pedibus, ut expeditæ & promptæ sint; nam *qui citò dat, bis dat*. Quidam, teste Servio, *Liberi* & *Veneris* filias arbitrantur, quòd horum præcipuè deorum muneribus Gratiæ concilientur. Horatius Gratias Veneris Comites appellat. lib. 1. Od. 4.

Jam Cytheréa choros ducit Venus imminente Luna:
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede.

Nimirum, quod alibi judicavimus. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata*. Eccli. 26. Unde Homerus, teste Seneca lib. 1. de benef. c. 3. Charitem unam conjugio copulavit, quasi matrimonii præsidem, eámque vocavit *Pasitheam*, id est omnem deam; quòd omnium deorum & dearum dona confluant in matrimonium, ubi vir bonus & uxor bona in unum conspirant. Gratiæ verò, quas in familiam inducit bona uxor, sunt incrementa opum, annonæ, pacis, concordiæ, probitatis, & virtutum omnium. Eustathius ait Pasitheam dictam, διὰ τὸ παντα χοῦ ubique, ubivis, omnibus se accomodantem, omníque loco & & tempore gratiosè se gerentem. Veteres dixere Gratias esse *Horarum* sorores,

sorores, ut innuerent in dando, reddendóque beneficio, tempestivitatem & prudentiam observandam esse. Neque enim rustico lanceam, militi ligonem, puero nummos dones. Hinc illæ Sapientum gnomæ.

Beneficium dando accipit, qui digno dedit;
Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

Democriti, in temerè quibuslibet largientem, dictum est: *malè pereas, quia Gratias virgines, meretrices effecisti.* De Gratiis eleganter Senec. lib. 1. de benef. c. 3. Tres, ait, sunt Gratiæ; quia *una* est, quæ det beneficium, *altera* quæ accipiat, *tertia* quæ reddat. Sed quid ille, *consertis manibus*, in se redeuntium *chorus*? Ob hoc; quia ordo beneficii per manum transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur; & totius speciem perdit, si interruptus est: pulcherrimus, si cohæsit, & vices servavit. Ideò *ridentes*, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse, & qui dant, & qui accipiunt beneficia. *Iuvenes*, quia non debet beneficiorum memoria senescere. *Virgines*, quia incorrupta sunt & sincera, & omnibus sancta beneficia. In quibus nihil esse alligati decet, & adstricti; ideò *solutis* tunicis utuntur; *perlucidis* autem, quia beneficia conspici volunt.

II. Sunt qui flexanimam illam dicendi Præsidem, Græci πειθῶ, Ennio *Suadam*, Horatio *Suadelam*, Ciceroni *Lepórem*, Gratiis adnumerant. Hæc est illa lingua, de qua Ecclesiasticus c. 6. (b) *Lingua eucharis* (gratiosa) in bono homine *abundat.* Et Cic. de offic. Difficile, ait, est dictu, quantopere conciliet animos hominum, comitas affabilitásque sermonis. Hoc est, quod in sacro Epithalamio canitur c. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Et prov. 16. *Favus mellis composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium.* Hæc gratia sessitavit in ore Nestoris, de quo Homerus: *Cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio.* Hæc sedem habuit in linguis Abigailis, Judithæ, Estheris, quæ mira labiorum suavitate ferocissimos leones cicurârunt. Sed non tantùm in lingua, *Charis* hæc habitat; etiam in oculis, in gestu, in morum amabilitate, in forma corporis regnat, utinam semper castè ac pudicè. Siracides ait: c. 40. *Gratiam & speciem desiderat oculus tuus; & super hæc virides sationes.* Scilicet venustas rerum, & formositas corporum delectat oculos; sed multò magis viriditas camporum: nam longè vivaciùs pingit natura, quàm ars, sine stibio, sine fuco: delectat in herbis, & floribus sine illecebra: illicit sine prava cupiditate. Id quod magis de oculo castæ mentis dicendum, quæ mirum in modum capitur naturali modestiâ, verecun-

(b) *Lingua gratiosa.*

verecundiâ, linguæ ac morum ſuavitate; amittit gratiam, quidquid aſciticium eſt, & nimis ſapit artem, aut redolet vanitatem.

III. Porrò tres charites eruditiſſimus S. Scripturæ interpres vocat *Innocentiam* ſeu integritatem vitæ, *Lætitiam* bonæ mentis, ſpem futuræ beatitudinis, quibus ex adverſo tres Furiæ ſunt oppoſitæ, *Pravitas* animi, *Remorſus* conſcientiæ, *Deſperatio.* Verè Salomon *Secura mens, quaſi juge Convivium* Prov. 15. Et Siracides c. 30. *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Rectè Seneca: Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ac ſecurum; etiamſi quid obſtat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. Epiſt. 27. A *Gratiis* gratioſus dicitur, vel quia gratiâ apud omnes plurimùm valet; vel quia omnium gratiam & favorem ſibi facilè conciliat; idque non linguæ modo, de qua dixi, ſed etiam oris ſuavitate: index enim animi vultus eſt: unde (*c*) Prov. 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Nimirum innocentia animi redundat in florem corporis, & amœnitatem oris; unde Charites nomen habent à lætitia. Dicitur *litare Gratiis*, cuius actiones omnes & verba ſpirant quandam morum elegantiam, venuſtatem, modeſtiam, pudicitiam, verecundiam; præſertim in adoleſcentibus, quos mirum quantum commendat honeſtas oris, & modeſtia indolis. Celebratur φιλανθρωπία & humanitas Titi, qui patri Veſpaſiano ſucceſſit in imperio; is ob facilitatem animi & liberalem indolem, *Delicium generis humani* audiebat. Sueton. Eiusdem dictum fuit: *Non oportet, quenquam à Cæſaris colloquio triſtem diſcedere. Suidas.* Cuius & illa vox audita: *Amici diem perdidi!* recordantis in cœna in neminem ea die à ſe beneficium collatum.

Huic virtuti, ſcilicet, humanitati, comitati, affabilitati, & gratioſo cum hominibus agendi modo, (Græci εὐτραπελίαν vocant) adverſatur vitium *moroſitas*, ſeu morum difficultas. Sunt enim quidam hominum minimè humani, & à Gratiis longiſſimè remoti, moroſi, aſperi, intractabiles, quibus plurima facillimè diſplicent; in minutiſſimis rebus inveniunt, quod cavillentur. Rarò quenquam blandè ſalutant, aut humaniter colloquuntur, aut placidè aſpiciunt; aut ſedatè reſpondent: ſæpe negant, quod alii affirmant: quódque ipſis benevolè & officioſè fit, aut offertur ab aliis, id importunè atque inurbanè averſantur. Verbo, non placet iis, quidquid placere deberet; adeò quidem, ut neque in ludis remittant frontem; nunquam non ſeveri *Catones*, aut rigidi *Xenocrates.* Cuius nominis philoſophum, gravi ſemper ac tetrico vultu incedentem, Plato

(*c*) *Gratioſa indoles.*

Plato monuisse fertur, Ξενοκράτες, θῦε τοῖς χάρισι, Xenocrates *sacrifica Gratiis*. Laërtius. Is ipse, de Zenone philosopho narrat, eum, cùm naturâ asper, intractabilis, & morosus esset, nec tamen morbum suum amaret (quod contrà plerique faciunt) quò illum expelleret, vinum moderatè bibisse, atque ita placidum & commodum evasisse. Ajebat enim, similem se esse lupinis: (est amarum genus leguminis) illos quippe, priusquam macerarentur, acerbos, maceratos verò dulces reddi. Ut adeò non solùm in vino veritas, sed etiam humanitas insit.

Hîc tamen observa, non omnibus, etiam volentibus, licere esse *Gratiarum pullos*. Multis natura severior & tristior obnuntiat. Et molosso Britannico ne speres catellum Melitensem, blandum & gratiosum; qualem, ut in fabellis est, viderat asellus assilientem hero, eique adulantem, & inter eius brachia, atque in sinu ludentem. Statuit hôc visô, pecus aurita, clitellarum dudum pertœsa, eundem in modum delicias facere hero suo. Igitur fortè revenienti domum, obviàm procurrere, subsilire, pulsare pectus ungulis, & favorem herilem eblandiri. Malè cessêrunt blandimenta; nam exclamante hero, accurrerunt servi, & ineptam bestiam, quæ se tamen urbanam credebat & gratiosulam, malè mulctatam fustibus, abegerunt. Ita est. *Nihil asinus ad lyram*; nihil ad *Gratiarum hortos* allium & cepæ; fœtent.

SYMBOLVM LXXXVII.

Venus amorum dea.

Ex Varijs.

Ethicè.

1. Currus Veneris quid significet. 2. Veneris poma. 3. Pulchritudinis potentia. 4. Veneris corollæ, speculum, rosæ. 4. Cingulum. 6. Supellex, antrum. 7. Ejus delicium *Adonis*. 8. Veneris familia.

IOve nata, ab antiquis amorum, gratiarum, pulchritudinis, deliciarum, voluptatum habita est dea, ita dicta, quod ad omnes res veniat, ut auctor est Cicero lib. 2. de nat. deor. Poëtæ eam ex spumâ maris ortam fuisse fabulantur, unde ipsam *Aphroditen*, παρὰ τὸ ἀφρὸς

ἀφρῷ à ſpuma appellârunt. Alii malunt etymon ejus ducere ἀπὸ τῦ ἀφραίνειν, ab inſanire. Hinc fingitur ardentem pectore facem geſtans, quam amantibus infigit, eósque furiat. Platoni dicta eſt à ve, *ſine*, quæ fuit priſcis particula privativa & νῶς, mente; ſicut *Vecors* ſine corde; *veſanus*, carens ſanitate mentis. Varro lib. 4. de ling. Lat. Venus, inquit, dicitur, non quòd vincere velit, ſed *vincire* & *vinciri* ipſa. Nam viere eſt vincere. Etiam cognominata eſt *Libitina* ſeu funeralis, quòd præeſſet mortuorum feretris & ſepulcris, & in ejus templo venderentur ac locarentur, quæ ad ſepulturam pertinent, teſte Plutarch. in problem. Nam Venus vires enervat, animum corrumpit, immaturam mortem accelerat. Hinc quidam Philoſophus *Libidinem* vocavit, *parvam epilepſiam*. Et Alexander M. cùm DEUS à multis prædicaretur, ſe, quòd mortalis eſſet, deprehendere dicebat ſomno & concubitu; Somnus enim mortis imago: concubitus ſpecies eſt morbi comitialis Plut. in Alex. E mari orta fingitur. Nimirum ut in mari, ſic in amore, nihil niſi amari ineſt. Deinde, ut qui illam ſectantur, in mari ſe verſari ſciant, perturbationum procellis, cupiditatúmque turbinibus ſemper agitato. In quo, quantæ jacturæ bonorum, quot naufragia fiant, non rei modo familiaris, ſed ipſius etiam rationis, atque judicii, cæcus eſt, quisquis non videt.

Ethica.

I. (*a*) Currui inſidet pulchra Venus & quaſi de ſubactis hominibus triumphum agit poſt confecta bella, quæ gerit non tam armorum, quàm amorum vi. Illecebris quippe graſſatur, non inſidiis: lenociniis non tormentis: Veneribus, non vulneribus; nec faces mittit alias, quàm quas accendit amor: & ſagittæ, quas ad cor adigit, non aliunde, quàm ab arcu oculorum veniunt. Quid autem mirum, ſi eo modo dimicans, hoſtem benevolum non in fugam vertit, ſed in amplexum. Currum hunc juxta quosdam trahunt *Cygni*: quòd muſica amorem conciliet, & blandum venenum per aures infundat. Alii *Columbas* ei jungunt: nam hæ aves, juxta Plinium, frequentant coitum: oſculo prævio complexus ordiuntur, & ſingulis propè menſibus concipiunt. Unde *Semiramis* libidinoſiſſima regina Ægyptiorum, ab iisdem ſub Columbæ ſpecie culta fuit: imò in columbam migrâſſe credita. Ovid. Metam. lib. 4. hinc in militaribus ſignis *Columbas* præferebat; ſub quibus

(*a*) *Currus Veneris quid ſignificet,*

bus hodiéque centuriantur, quibuscunque vilia sunt pudoris pericula. *Aspasia* tenuis fortunæ, sed præstantissimæ formæ puella (quod Ælianus refert) quòd Veneris beneficio in *Cyri*, Darii filii, amicitiam se insinuâsset, Deæ simulacrum fieri curavit, juxta quod Columbam gemmis picturatam collocavit. Pretiosum in re turpi monimentum. Tanti constant hæc sacra. Alii *passeres*, Cypridis vehiculo subjugant, impares utique tam potenti Numini jugales, nisi summa levitas inesset huic deæ, & maxima salacitas his volucribus, ideóque brevis vita, quam Plin. lib. 10. c. 36. mari ultra annum non indulget: feminæ aliquantò longiorem concedit. Nimirum quod Tertullianus ait, *Libidinum sunt vaporata momenta.* Caduco laborant morbo passeres: non minùs libidinosi; quod suprà diximus. Ovidius 2. Fastor. fabulatur, Venerem cum Cupidine etiam à Piscibus vehi: cùm enim instantem Tiphœum gigantem fugeret, trans Euphratem evasit horum ministerio.

Utque sinu natum tenuit, succurrite Nymphæ
Et diis auxilium ferte duobus ait.
Prosiluítque Triton; *Pisces* subiere *Gemelli*,
Pro quo nunc cernis sidera nomen habent.

Hæc Ovidius. Ethicè sic habe:

Cur pecus æquoreum fluvialia frigora linquit?
Ætheris in medio fusilis igne natat?
An quia caluere tuo gelidi de numine Pisces,
Blanda Venus, jussum cùm subiere jugum?
Frigida sic mutas calidis, humentia siccis?
Fide, *Pudor*, nivibus ne nimis ipse tuis.

Currum Idalium comitantur, & circumvolant, *Risus*, *Ioci*, *Cupidines.* Nam plerumque sub specie amicitiæ ac hilaritatis, fit transitus ad verba prætextata; hinc ad impudicos tactus, & quæ deinde sequuntur. *Mercurius* quoque ei & *Gratiæ* adduntur: nam formæ & linguæ gratia nihil non impetrat & eblanditur. Certè cùm Venus pomum à Paride esset captura, *Hymenæum* & *Cupidinem*, & *Amores*, & *Gratias* jussit advocari, teste Pausania.

II. (*b*) Porrò dea hæc pomum seu malum manu præfert: nam qui Amores pingunt, lusitare eos malis, & inter arbores *malos* lascivire, poma decerpere, abrodere, jactare confingunt. Hinc Damætas apud Virg. Eclog. 3.

------ Malo me Galatea petit, lasciva puella.

Mala

(*b*) *Veneris poma.*

Mala esse inter illicia & Symbola Veneris, notum ex Poëtis: unde juxta adagium, *malis se petere dicuntur amantes.* Mala Hippomeni Venus elargitur, quibus Atalantam, diu victricis pudicitiæ Virginem in amores suos pertraxit. Ovid. 10. Metam. Malo Cydippen Acontius venatus est. Erat illa, generis pariter & formæ nobilitate insignis puella, cujus amore captus Acontius, cùm repulsam metueret, quòd neque genere, neque opibus par esset, ad dolum confugit, pomúmque ad pedes ejus devolvit, (alii in sinum ejus conjeciſſe referunt) versibus hisce inscriptum.

Juro tibi sanctæ per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, sponsámque futuram.

Hoc itáque pomum cùm puella incauta sustulisset, versúsque in eo descriptos legisset, fidem suam amanti imprudens adstrinxit, & illi nubere, morbo etiam à diis immisso, coacta est.

Et missum sponsi furtivo munere malum, memorat Catullus, quòd adventu matris excussum, è castæ Virginis gremio prosilierit. Hîc monitum illud valet:

-------- nimium ne crede colori,
Ille color vermem, quem tegit, intus habet.
Vescéris? ah pransos pestis populabitur artus,
Oréque delusо dira venena trahes.
Poma manu prensare cave, tetigisse, perisse est.
Tangere sed nimium est: tangere velle, nocet.

III (*c*) Venus coronam gerit in capite (Plinius lib. 8. c. 7. Plutarchus in Pompeio) nempe post pugnam victrix. Pugnat siquidem *Pulchritudo*, semper invicta. Sed quô pactô? planè mirabili. Pugnat videlicet in otio, vincit in pace, triumphat oculis, tacendo tonat, aspectu fulgurat, & uno, non dicam, impetu, sed intuitu pectus invadit, expugnat animum, & sibi tributarium facit. Quid? quod sine voce loquitur, sine vi vim affert, sine catenis allicit, sine præstigiis immutat mentem, & vidisse vicisse est; & visam esse, triumphâsse. Illam propterea videre noluit *Augustus* in *Cleopatra*, ne caperetur, & Victor Orbis, vinceretur à femina. Itáque agenti causam & multis verbis peroranti, aures aperuit quidem, sed clausit oculos. Ad hanc rem Petrarcha, Amor, inquit, est latens ignis, gratum vulnus, sanidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, jucundum supplicium, blanda mors.

IV. (*d*) Myrto

(*c*) *Pulchritudinis potentia.*

IV. (*d*) Myrto etiam (arbuſcula perpetuò virente & ſuaviſſimi Odoris) redimitur, ob ſingularem frondium gratiam, Venus. Duratio tamen delicatæ arbuſculæ brevis eſt; & ideò corona illius in funeribus quoque exhibita. Noti verſiculi:

Vina, lavacra, Venus mortalia corpora frangunt:
Et citiùs Ditis tartara adire jubent.

Floreis quoque corollis decoratur Acidalia dea. Ut ex iis intelligas, oris Venuſtate nihil eſſe vanius: quippe quæ, floris inſtar, tenui liveſcit afflatu, casúque leviſſimo defluit, & momento citiùs contabeſcit. (*e*) Propterea etiam ſpeculum gerit; ut, vitrum quoties pulchritudo conſulit, firmius poſſit de fragilitate ſua, plùs quàm vitreâ, judicium ferre. Ad hæc fugacitas Voluptatis denotatur.

Momenta ſunt Libidinum,
Momenta Gratiarum.
Pennata plaudunt Gaudia,
Quæ tangis, avolabunt.

(*f*) *Roſa* Symbolum eſt Voluptatis ſpinoſæ, & evanidæ. Propterea juvenes illi laſcivi feſtinabant frui cupitis illecebris, ſeſe adhortantes: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Sap. 2. Non ignari, poſt brevem vitæ, ac voluptatis uſuram, nihil ſupereſſe, quàm cruciabilem æternitatem. Flores enim, juxta Iſidorum, dicuntur quaſi *fluores*, quòd citò decidant, & ſolvantur. Et Roſa (Græcè ῥόδον) à ῥοὴ, id eſt, fluxus, ſeu fluens odor. De *Cleopatra* memoratur, eam in luxurioſiſſimo ſuo convivio expendiſſe in roſas talentum, hoc eſt, 6000. Coronat. Francic. cùm per omnia diſcumbentium triclinia foliorum paſſim acerui, cubiti menſurâ, pavimentis undequaque extarent. Et *Sardanapalus* ille luxu perditus, tanquam non ſatis molles eſſent plumæ, roſis indormiiſſe legitur. Hoc ſtrato Venus recubat. Roſam principio candidam fuiſſe Poëtæ canunt. Sed cùm amorum mater eam delicato nimis veſtigio calcaret imprudens, pede ſcilicet à ſpina roſæ vulnerato, purpuraſcere cœpit. Candida eſt Virginitas, & contra hoſtem ſpinis armata: unicus eam mollior contactus fœdat ac contaminat; unde violatus pudor meritò rubeſcat. Roſa ſpinis undique circumdata indicat, Voluptatem multis eſſe doloribus circumſeptam, juxta adagium: *Gutta mellis, Cadus fellis.* Sape cum Demoſthene, cuius, ad flagitium à Laide meretrice magno pretio invitati, vox fuit: *pœnitere tanti non emo.*

(*d*) *Veneris corolla.* (*e*) *Speculum.* (*f*) *Roſa.*

V. (*g*) *Baltheus* quoque Veneris, seu *Cingulum*, aut *Cestus* delicioſus erat ac inſidioſus: quippe multa varietate pictus, in quo, juxta Homerum Iliad. 5. *Suavitas*, & dulcia *Colloquia*, & *Benevolentia*, & *Blanditiæ*, *Suaſiones*, *Fraudes*, *Veneficia* includebantur. His enim artibus graſſatur impurus amor ad perdendos eos, qui, cùm ipſi diſſoluti ſint Veneris pulli, etiam alienæ pudicitiæ, ſeveriùs cinctæ, ſolvunt Zonam. Illæ quoque juvenculæ (quod adagio fertur) *ceſtum habere* dicuntur *Veneris*, quæ quibuslibet gratiarum oblectamentis amores ſibi (etiam vetitos) conciliare ſtudent. Vetulæ verò *ceſto Veneris indigere* dicuntur, quæ vel muneribus, vel pharmacis, aut fucis amatoriis, dilapſam formam revocare, atque ad alios commendare laborant. Latinis *inceſtus* dicitur, qui flagitioſè ſolvit cingulum, juſtarum & legitimarum nuptiarum Inſigne.

VI. (*h*) Philoſtratus author eſt, Venerem in antro molliter inſtratis floribus recubare, juxta quam fons irriguus vitrea perſpicuus claritate proſilit. Ibi amatoriam videri ſupellectilem, pyxidas, pectines, ſpecula, Cymbala, variáque amœnitatum & illecebrarum illectamenta. Atque hæc ſunt illa crepundia, quæ magnorum etiam virorum emolliunt, & pervertunt pectora. Cognomen inde Veneris apud Romanos veteres, ut *Verticordia* appellaretur. Atque hæc eſt illa Dea, quæ Martem ipſum, cunctis terribilem, blanditiis ſuis pellexit, & decepit. Deprehenſos in ſcelere Jupiter reti implicavit, & Soli, cæteriſque Divis videndos expoſuit. Adeò nullum flagitium eſt tam occultum, quod ſuperos lateat, & non tandem etiam hominibus pateat. Sectetur licèt umbras & antra, & occulta furta Venus; protrahentur in lucem, & clandeſtinæ turpitudinis ignominiam palàm ſubibunt, in illa certè valle, cuius umbras diſcutiet & diſſipabit decretorius, univerſalis judicii dies.

VII. (*i*) Poſt Martem blandimentis irretitum etiam adoleſcentulis inſidiatur hæc doloſa venatrix. De Adonide referunt fabulæ, eum ob formæ elegantiam Veneri in deliciis fuiſſe; venantem in Idalio nemore (ei Divæ ſacro) ab apro occiſum & laceratum; Extinctum, à Dea defletum, & ad doloris lenimen in florem *adonium*, purpurei coloris, eſſe commutatum; eíque annua feſta (Adonia) inſtituta, quæ multo cum planctu celebrabantur: ut Veneris luctus iis repræſentaretur. De his Ezechiel c. 8. *Et introduxit me* (genius cæleſtis) *per oſtium portæ Domus Domini* (Templi Solymæi): *& ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Prô nefas! ergo matronæ Hebrææ, veri Numinis cognitione imbutæ, deteſtanda Veneris ſacra colunt? Et quid? plangunt amaſium propudioſæ

(*g*) *Baltheus ſeu Ceſtus.* (*h*) *Veneris ſupellex & antrum.* (*i*) *Veneris delicium Adonis.*

pudiosæ deæ? Cur? ut eam reddant propitiam sibi? an quidquam execrabilius in gente tam sancta, & à Deo peculiariter electa? in sexu, quem verecundiam docet natura, quem insita pietas in castæ religionis inclinat studium? Nempe ab apro occisus est Adonis, etiamnum puer. Liceat hic illud è SS. litteris usurpare: *fera pessima devoravit eum.* Gen. 37. Nam quæ bellua crudelior, quàm dira libido? uno quæ morsu perimit innocentiam, & indolem cœlo natam transmittit in fauces Tartari. Cave nemus Idalium, quisquis cautum saluti voles, adolescens. Tot Venus in te immittit apros, quot pravos tibi adsciscis socios. Apris fulmen est in dentibus, pernicioſis congerronibus in lingua. Deplorata non redit Castitas.

Pingitur Adonis, ait Macrobius l. 1. Sat. capite obnupto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens, lacrymæ visione conspicientium manare creduntur. Nempe Dolor nascitur ex Voluptate; quæ, cùm initio sit mellea, acescit ad extremum: quódque ait M. Tullius pro Cœlio: Amores & deliciæ maturè & celeriter defloreſcunt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Id quod de Hypani fluvio memorat Herodotus lib. 4. eum ab initio dulcem fluere, deinde valde amarum effici. De amore Poëta multa paucis.

Spes incerta, timor constans, fugitiva Voluptas,
Gaudia mœsta, dolor dulcis, amarus amor.

Et alius:

Libertas carcer, pax pugna, dolenda Voluptas,
Spes metus est, fel mel, seria ludus amor.

Nec immeritò Adonis in florem cognominem, seu *Anemonem* eiusdem cum sanguine coloris, conversus fingitur: qui, ut inquit Plinius, nunquam se aperit, nisi vento spirante, unde & nomen accepit. ἄνεμος enim ventus dicitur. Forma flos brevis ævi; bonum fragile, anceps, fugax.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus. Martial. lib. 6.

In anemonem itaque mutatur Adonis, cuius florem, ut & rosæ:

Una dies aperit, conficit una dies.

Et cuius formæ (aut voluptatis) ventus quilibet spolium aufert.

VIII. (*k* Inter alia de laudibus præclaræ huius deæ hoc Ambrosius lib. 1. de Cain. c. 4. Illic (ubi Venus habitat) comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, concentus canentium, sal-

(*k*) *Veneris familia.*

saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lascivientium plausus, confusa omnia. Et cap. 5. Sævus criminum stimulus Libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, ubique accenditur. Caverent sibi ab hac meretricula Juvenes, si monentem audirent Comicum.

Id verò est, quod mihi puto palmarium
Me reperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia & mores posset nôsse:
Maturè ut cùm cognôrit, perpetuò oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans:
Quæ cum amatore suo cùm cœnant, liguriunt.
Harum videre illuviem, sordes, inopiam,
Quàm inhonestæ solæ sint domi, atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent:
Nôsse omnia hæc, salus est adolescentulis.

Terentius in Eunuch.

In Venerem, Cupidinem sinu foventem, sic quidam:

Deciduum alternis reparat quid fœtibus Orbem?
Fertilis hæc cœlo nata favente Venus.
Quid mentem, virésque virûm funestiùs haurit?
Hæc eadem pelago nata furente Venus.
Quid Venus est igitur? lethalis vita, venenum
Mulcens, mors Venus est blanda, jocúsque nocens.

SYM-

SYMBOLVM LXXXVIII.

Cupido, Amoris Deus.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Cupido cur puer? 2. Cur nudus? 3. Cæcus? 4. Alatus? 5. Sagittarius? 6. Cupidinis & Mortis ſpicula mutata. 7. Cupidinis prava indoles. 8. *Eros* & *Anteros*, contrarii Cupidines.

ESt filius Veneris, & *Amor* ipſe, incertum, quo patre ſatus, puer alatus & cæcus, ſagittis inſtructus diſparibus, acutis & obtuſis, aureis & plumbeis; illis ad conciliandum, iſtis ad pellendum amorem utitur. De quibus Ovidius lib. 1. Metam.

Eque ſagittifera prompſit duo tela pharetra
Diverſorum operum. Fugat hoc, facit illud amorem:
Quod facit, auratum eſt, & cuſpide fulget acuta:
Quod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.

Hujus, etſi Deorum minimi, tanta eſt potentia, ut in cæteros omnes principatum exerceat, & fortiſſimus habeatur. Quin ipſa Venus, ejus Mater & Domina, ſine illo, carere gratiâ, & nihil poſſe dicitur, idque non diffitetur ipſamet, dum ſic compellat Cupidinem. 1. Æneid.

Nate, meæ Vires, mea magna potentia ſolus:
Nate, Patris ſummi qui tela Typhoëa temnis;
Ad te confugio.

Ipſe quoque de ſua telorum vi adverſus Phœbi ſpicula gloriatur lib. 1. Metam.

Filius huic Veneris: figat tuus omnia, Phœbe;
Te meus arcus, ait: quantóque animalia cedunt
Cuncta Deo, tantò minor eſt tua gloria noſtrâ.

Et Virgiliano adagio: *Omnia vincit amor.* De triumpho Cupidinis Lactantius lib. 1. c. 11. Haud, inquit, inſulsè quidam triumphum Cupidinis ſcripſit, *omnium Deorum Victoris.* In ea pompa Jupiter cum cæteris diis ante Currum triumphantis ducitur catenatus. De Cupidinis in Deos poteſtate ſcitum eſt epigramma in appendice Virg. ejus ſtatuæ ſubſcriptum:

Sol calet igne meo; flagrat Neptunus in undis;
Pensa dedi Alcidæ; feci servire Tonantem,
Quamvis liber erat; Martem sine Marte subegi.

Hinc pingitur currui insidens, à leonibus tracto, quos scuticâ & habenis regit. Idem fulmen frangit, ad ejus potentiam ostendendam. Elegans etiam est recentioris Poëtæ epigramma, cui inscriptio:

Hercules:

Ioles amore captus est,
Omphalæ amore victus est,
Ille, ille victor omnium
Fortissimus Tyrinthius.
Risit puellus teliger,
Et arcui inscripsit suo:
Amor Hercules est Herculis.

Conqueritur de Numinis hujus tyrannide ille miser apud Plautum in Mercat. scen. 2.

Súmne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
Si domi sum, foris est animus: si foris sum, animus domi est.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium.

Ethica.

I. (*a*) Cupido fingitur *Puer*, quia judicii expers: quò enim quis amantior, hòc plerumque est amentior: facilliméque decipitur, quisquis amat. Puer est, quia recens amor fervet maximè: & quia inter juvenes magis, quàm senes. Sapienter Epictetus: Quid est amor? otiosi pectoris molestia: in puero pudor: in virgine rubor: in femina furor: in juvene ardor: in sene risus. Præterea inter *flores* & *Gratias*, in Jovis hortis nutritus dicitur; quòd delicatis amor rebus ac pulchritudine gaudeat: vernanti tempore & ætate vigeat.

II. (*b*) *Nudus* est: tum quia amantes secreta quævis mutuò produnt. Testis Samson, qui Dalilæ fatales crines indicavit: tum quia candidus & apertus esse debet amor: tum quia non opes, sed persona amanda: tum quia profusus est, & sæpè nudos facit: tum denique, quia nuditate accenditur.

III. (*c*) *Cæcus* est: quia mentem excæcat, ut amatæ rei vitia non cernat amans, nec advertat pericula & damna inde fluentia, ideóque in errores gravissimos impingat, veteri versu: Amor,

(*a*) Cupido cur puer? (*b*) Cur nudus? (*c*) Cur cæcus?

Amor, quid cupiat, scit, quid sapiat, non scit.

Et: Quid deceat, non videt ullus amans.

Unde Alciatus in emblematis ipsum exhibet ab apibus appetitum, ad sinum Veneris confugientem: quòd voluptatem sequatur dolor, risum lacrymæ, gaudia luctus.

IV. (*d*) *Alatus* est: nihil amore volucrius, nihil levius, & mutabilius: cras oderit, quem amat hodie: quem manè deperibat, aversabitur vespere: quid dico, vespere? Citiùs hoc fecit Amnon, Davide genitus: odio quippe furens, cubiculô expulit, quam amore ardens paullò antè pellexerat. 2. Reg. 13. Vel etiam, quòd amor amanti (uti timor) alas addat, expedito ad omnia.

V. (*e*) *Arcum habet & sagittas*, quia ferit eminus. Faces quoque gerit; nam ardore præsentes accendit, absentes desiderio vulnerat. Exemplum Dido, Carthaginis regina, cui Cupido occultum inspiravit ignem, sefellítque veneno. Primus aditus per oculos:

Expleri mentem nequit, ardescítque tuendo.

1. Æneid.

Post oculos, in pectus, hinc in gremium illabitur. De hoc Poëta.

Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet inscia Dido,
Insideat quantus miseræ deus.

Utique miseræ. Nam quid sequitur?

--------- *Est* mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totáque vagatur
Urbe furens: qualis conjectâ cerva sagittâ,
Quam procùl incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquítque volatile ferrum
Nescius. Illa fugâ silvas, saltúsque peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Nimirum obstandum principiis. In hac mora, si uspiam alibi, summum est periculum.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recusat ferre, quod subiitjugum. Senec. in Hippolyto.

VI. (*f*) Alciatus in Emblem. proponit Cupidinem permutantem cum morte tela: quæ dum uno in hospitio fortè commorantes, temerè de nocte sumerent, & Mors aurea Cupidinis spicula, hic Mortis ossea corriperet:

(*d*) *Cur alatus?* (*e*) *Cur sagittarius?* (*f*) *Cupidinis & Mortis spicula mutata.*

corri peret: illéque ſenem, hic figeret juvenem, factum eſt, ut repentè adoleſcens emoreretur: ſeniculus autem in juvenem refloreſceret. Quoties hoc accidit, ut ſub Cupidinis larva telum Mors intorqueat, & in ipſo amoris æſtu, libidinibus ſuis operantes configat! Tempore funeſtiſſimi illius per orbem univerſum diluvii, pharetratus puer mortalium omnium, pauculis exceptis, pectora fœdè ſauciârat: nam, ut reparator Orbis teſtatur, Matth. 24. *Erant comedentes, & bibentes, & nuptui tradentes.* Et Geneſ. 6. *Omnis Caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* Homines ſcilicet, ſpreto rationis ductu, in turpem libidinem projecti. Attende Cataſtrophen: Cupidineis arſerant telis & ignibus; hinc in aquas præcipitati, ſenſerunt inter undas, Mortis horridæ ſagittas. *Venit diluvium, & tulit omnes.* loc. cit. Matth. Et Gen. 7. *Conſumptáque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram.*

VIII. (*g*) Cæculi hujus pueri pravam indolem ingeniosè deſcribit nobilis ævi noſtri Lyricus lib. 1. od. 7. ad Simonem Iſſum.

Res *Amor* mira eſt. Videt, ISSE, cæcus.
Cæcus eſt, quamvis oculo vidente
Natus. Abſentes Amor urit abſens,
Proximus exul.
Siccus in venis, madidúsque vultu:
Siccus humectat, madidúsque flagrat;
Fervidus tectæ gelidúsque flammæ,
Ardet & alget.
Quando feſtivas quatit igne tædas,
Lumen extinguit: niveíque floris
Prædo, pallenti violas viciſſim
Pingit in ore.
Non habet frontem: tamen eſt venuſtus.
Navigat terras: volat absque pennis,
Vilis ac parvus puer, heu! feroces
Sternit Atridas.
Qui caret pilis, metuenda vibrat
Tela; non longas jaculatur haſtas:
Pectori plagis acus inferendis
Sufficit una.
Miſſilem linguam capit ex pharetra
Oris, & figit jecur ulceroſum,

Stulta

(*g*) *Cupidinis prava indoles.*

Stulta plebs arcu putat & ſagittis
Grandibus uti.
Ille (ſic monſtrat Cytherea mater)
Non boum tendit ſinuare cornu:
Sed manus junctas utriusque amantis
Curuat in Arcum.

De hoc puero Seneca in Hippolyto.

Iſte laſcivus puer ac renidens
Tela quàm certo jaculatur arcu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitùs medullas.
Nulla pax iſti puero, per Orbem
Spargit effuſas agilis ſagittas.

Alius de hoc parvulo. Ignibus ſuis inflammat frigidiſſimos: lautitiâ gratiarum ferreos emollit: humanitate frangit barbaros: mitigat urbanitate agreſtes: ſuavitate feros domat. Amorum potiùs, quàm armorum bella gerit: graſſatur illecebris, non inſidiis: tela non inficit veneno, ſed ambroſiâ: vulnerat roſis, non ſpinis: ſagittas, quas ad cor adigit, ab arcu oculorum emittit. Ejus ſpicula ſunt oſcula: adoritur mortalium pectora deliciis, non tormentis; gratiâ, non terroribus; non laqueis, ſed lenociniis; voluptate, non clade; leporibus, non machinis; veneribus, non vulneribus: faces injicit, ut amorem accendat: hoſtem, quem vincit, non in fugam, ſed in amplexum convertit.

VIII. (*h*) Cæterùm Poëtæ fingunt alterum, meliore fato natum, *Cupidinem*, quem *Anterotem* vocant, id eſt, pugnantem & contrarium *Eroti* ſeu Cupidini Voluptario. Hinc apud Alciatum emblem. 110. Cupidine ad arborem ligato, Anteros ejus tela & arcum comburit: quo ſignificatur, ab Amore cœleſti, terreſtrem vinci. Huc facit, quod monet aureæ linguæ Orator hom. 24. ad Corinth. 2. Quomodo, inquit, pravi Cupidinis ignem extinguas, ſi igni quotidie alimenta adjicias? Subtrahe ligna foco. Et quid illud eſt, quod amas? Pituita & ſanguis, ac corrupti alimenti ſuccus. At lætus & ſplendidus flos eſt, inquies. Eſto ſanè: ſed terræ etiam floribus nihil lætius ac jucundius eſt; qui tamen marceſcunt, & in putredinem abeunt. Altiùs te mens erige, & quid ſub colorata cute lateat, explora. Hydropicum etiam corpus nitet,

(*h*) *Eros & Anteros, contrarii Cupidines.*

tet, & nihil fœdi in superficie habet: quis tamen aquoso humori oscu-lum impertit? at tener & versatilis est oculus, rectè porrectum super-cilium, nigræ palpebræ, suavis pupilla, serenus aspectus. At hoc ipsum, quid aliud est, quàm nervi, venæ, arteriæ? Quin tu hunc quoque blan-dientem oculum, ægrum, senio affectum, mœrore afflictum, irâ tumen-tem cogita: in quam deformitatem hæc pictura evanescet? Jam ad ani-mi pulchritudinem, cogitationem traducas, & te hujusmodi formæ ele-gantiâ oblecta. Hæc nunquam marcescit, nunquam defloresçit, nulla pœnitudine turbatur, nullis suppliciis expiatur. Ad hanc enitere: hanc ama & amplexare. Hæc & plura, quæ brevitatis caussâ omitto, Præsul Constantinopolitanus, quibus modum ostendit, meliore Cupidine pe-ctus imbuendi. Exclamat hîc noa sine suspirio Philosophicus Poëta Boëtius.

O felix hominum genus,
Si vestros animos Amor,
Quo cœlum regitur, regat!

SYMBOLVM LXXXIX.

Minerva, seu Pallas, sapientiæ & amorum Dea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Pallas cur ex Jovis cerebro nata? 2. Ejus habitus & artes. 3. Ejus liber & hasta. 4. Ejus gallus gallinaceus. 5. Ejusdem noctua. 6. Cur feroci vultu? 7. Ejusdem ægis, seu clypeus. 8. Cur ei sacrata olea? 9. Cur Virgo?

SApientiæ & bonarum omnium artium hæc præses est, ac dea, ex Jo-vis nata cerebro, sine Matre procreata. Ferunt enim, Jovem, cùm Junonem sterilem videret, ne prorsus sine prole esset, cerebrum suum percussisse, indéque Minervam prosiliisse. Poëtæ tradunt, cùm Juppiter hanc filiam parturiret, ei Lucinæ loco adstitisse Vulcanum, & acutissimâ ac prævalidâ securi caput in duas partes divisisse, indéque ar-matam Virginem erupisse.

Ethica.

Ethica.

Quo commento I. (*a*) illud significare voluerunt, bonarum artium disciplinas humani ingenii non esse inventum, sed ex Jovis Cerebro, hoc est, ex inexhausto divinæ Sapientiæ fonte in humanum usum esse depromptas. Quòd verò armata prodeat, & jam adulta Minerva, indicatur, Sapientis animum contra fortunam paratum & armatum, interritum se præstare periculis, infractum malis, adversis calamitatibus inexpugnabilem. Significatur quoque viri militaris consilium non, nisi maturum & absolutum, in lucem prodire debere: vel viros militiâ excellentes, simul bonis artibus debere esse instructos. Item Sapientiam se ipsâ munitam esse, nec quidquam metuere; non vinci, non subigi.

II. (*b*) Minervæ etymon quidam ducunt à *minando*, quasi vim minetur; solet enim simulacrum ejus fingi *ægide* (hoc est, lorica pectorali) & *hasta* formidabile. Unde & Pallas à Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *vibrare*, propterea quòd hastam tenens, eam veluti vibrare videatur. Eadem & *Tritonia* appellatur, eò quòd *Ogygis* regis temporibus, circa *Tritonidem*, Africæ paludem, virginali facie dicatur apparuisse. Ab Homero peculiari epitheto γλαυκῶπις appellatur, à glauco oculorum colore: unde & *Cæsiam* Latini cognominant. Hæc prima *ædificandi* modum inveniisse fertur: ejusdem etiam inventum *colus* est: usum quoque *tibiarum*, & artem *Musicam* excogitâsse dicitur. Præterea docuit acu pingere, telam texere: omnéque lanificium, *legésque*, ac *classica* adinvenit. Olei quoque usum prima putatur ostendisse, divinósque ob id honores meruisse, dignámque judicatam, quæ Athenarum urbi nomen imponeret, rejectô Neptunô, qui editô recèns equô nascenti urbi potentiam bellicam promittebat. Virginitatem perpetuò illibatam servavit; hinc & *innuptam* & *intactam* appellant Poëtæ. Unde colligis, quanta vis sit excellentis animi, quámque in multas ac varias artes illa se extendat, non tantùm addiscendas, sed etiam inveniendas. Minervæ nihil est negotii cum stupidis & cerebro laborantibus. Qui, si quid discendum, quid dicam? inveniendum, scalpunt caput vacuum: mordent ungues, justô per ignaviam longiores: quærunt Palladem in capillis, in quorum silva magis Diana venetur, quàm ut Minerva capiatur.

III. (*c*) Armata pingitur litterarum dea, & non muliebriter compta;

(*a*) *Pallas cur ex Iovis cerebro nata?* (*b*) *Minerva habitus & artes.*
(*c*) *Minerva cum libro & hasta.*

compta; docétque, molles animos neque ſuis, hoc eſt *pacis*, neque *belli* (quod haſta ſignificatur) artibus aptas eſſe. Trito verſiculo:

Non jacet in molli veneranda Scientia lecto.

Hinc Vulcanus *ſecuri* caput Jovis aperuit; ut intelligas, labore ac conatu ſapientiam parari. Minerva *Belli* ſimul & *Muſarum* Præſes, altera manu *librum*, alterâ tenet *haſtam*; caſſis aurea in capite, & in caſſide criſtæ rutilantes, lorica ante pectus. Aliàs etiam lanceam vibrat dextrâ, ſcutum attollit lævâ, Gorgoneo capite horridum; hujus præſidio Perſeus, de quo Symb. 24. adverſarios vertit in lapides. Hoc Symbolum eſt viri ſive ſapientiæ ſtudiô, ſive armorum, excellentis. Juxta Salomonem Proverb. 24. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus, robuſtus & validus.* Fortior eſt, inquit Ariſtoteles, apud Antonium in Meliſſa p. 1. c. 12. ille, qui cupiditates, quàm qui hoſtes vincit: nam ſeipſum vincere, difficillimum eſt. Fortis eſt, qui ſuperat hoſtes; fortior, qui voluptates. Præclarè Seneca ad Heluiam c. 5. Nec ſecunda ſapientem evehunt, nec adverſa demittunt. *Militarem* quoque Ducem Pallas armata repræſentat; Nam, ut in Proverbiis ſacris eſt: *Cum diſpoſitione initur bellum: & erit ſalus, ubi multa conſilia ſunt.* c. 24.

IV. (*d*) Palladis caſſidi inſidet *gallus*, quia pugnax avis eſt, & vigilax. Aſpice gallum in pugna & duello, quid eô bellicoſius? ut caput criſtatum, ut caudam erectam & falcatam gerit, cùm in certamen ingreditur: ut mavult mori, quàm cedere. Unde Marti quoque, bellorum Deo, ſacer eſt, & adagiô *Martis pullus* vocatur. De eo Plinius: ſi ex certamine victoriam reportârit, tum oculorum eminentiâ, tum cervice erecta, & cantûs contentione inſolenter effertur, & triumphanti ſimilis eſt. Quocirca Miltiades Athenienſes contra Perſas exacturus, duorum gallorum duellantium ſpectaculum propoſuit. In hac ave quanta vigilantia, & tempeſtatum præſenſio? A prima mediæ noctis inclinatione, explaudentibus, ut Lucretius ait, alis

Auroram clara conſuetus voce vocare,

Excubiarum quemdam & vigiliarum magiſtrum agit. Quid? quòd altero plerumque ôculo ſurſum elevato, rapaces aves, infeſtiſſimos hoſtes ſuos, obſervet, ne repentè involent; alterô, minutiſſima quæq; in locis etiam parùm lucidis diligentiſſimè diſquirat. Faciant hoc alumni Palladis, ſeu calamo, ſeu gladio ſint auctorati; ſecùs, illi turpis inertiæ: iſti temerariæ ſecuritatis damnabuntur. Nam quemadmodum eruditionis amantibus diligenter ac ſedulò perquirenda & pervolvenda ſunt ea volumina, è quibus

(*d*) *Gallus gallinaceus Minervæ ſacer.*

bus doctiores evadere queant; ita militarem artem profitentibus vigilantissimus oculus circumferendus, nequà improvisus hostis ingruat.

V. (*e*) Noctua quoque in galea, vel ad pedes deæ Minervæ adstituitur: hæc enim volucris in tenebris quoque perspicax est; id quod Sapientiæ Symbolum est, ea perspicientis, ad quæ caligant indocti. Et Dux belli qualem struet aciem, mentis ipse destitutus acie? Sapiens prospicit tempore pacis, quæ eam turbare vel conservare possint. Quòd si bellum oriatur, adhibet prudenter arma, quibus vim externam arceat, & invasorem profliget. Agesilaus Athenienſium Princeps interrogatus, quid Ducem belli præcipuè exornaret, respondit: Adversùs hostes audacia, & in oblata opportunitate ratio ac consilium. *Stobæus.*

VI. (*f*) Pallas feroci vultu, trucique fuit obtutu; Sapiens non accersit commendationem à forma, sed à mente. Perseus, quod diximus Symbol. 24. capite Gorgoneo (quod deinde Minervæ clypeo insertum est) adversarios in saxa mutavit. Imaginem agnosce viri sive litteris, sive armis inclyti: alter disputando, alter bellando hostibus est terrori, eósque veluti in saxa convertit, dum stupore attonitos repellit & dejicit. De vultuosa torvitate elegans recentior Poëta encomium scripsit; pauculos versus accipe:

Jámne vides igitur, quid stoicus horror in ore
Possit, & extantes vivo de subere rugæ.
Spectandæ facies, sicut simulacra Deorum,
Quas in adoranda rubigine sæcula passas
Obsita pulveribus, secretæ noctis in antro
Suspicit, informes statuas, impensiùs hospes
Cernuus. *Iac. Balde.*

Et quia Pallas armata etiam militem repræsentat, quis non intelligit, ferociorem aspectum ad Martiales vultus pertinere. Terribilem in hostes deam hanc Horatius exprimit:

Jam galeam Pallas, & ægida,
Currúsque, & rabiem parat.

Idem Poëta reprehendit in virgine *vultum nimiùm lubricum aspici.* Quid ni igitur Pallas virginitatis amantissima severitatem ore præferat? hæc enim in fronte, tanquam in vestibulo, excubans, tacendo loquitur, pudicitiam esse domi.

VII. (*g*) De Clypeo Minervæ à Cyclopibus elaborato Virgilius 8. Æneid.

(*e*) *Noctua Minervæ dicata.* (*f*) *Minerva feroci vultu.* (*g*) *Minervæ clypeus.*

Ægidáque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum, auróque polibant:
Connexósque angues, ipsámque in pectore Divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Dictus est hic clypeus *Ægis*, per catachresin: nam ita vocabatur scutum Jovis, è pelle caprina factum, obtinuítque consuetudo, ut deorum scuta vocarentur *ægides*. Hunc suum Pallas clypeum ubi concutiebat, mirifico terrore percellebat eos, contra quos in bellum gradiebatur, aut potiùs invehebatur. Ægidi huic similis est *eloquentia*, cum egregia doctrina & virtute conjuncta; quibus partim obarmatur sapientis viri pectus; partim instar clypei, non quidem manu, sed linguâ vibratur, ut, quod de Pericle Athenienſium Duce fertur, *tonare* videatur & *fulminare*. Ita concussit eloquentiæ sacræ ægidem Doctor gentium Paulus, quo disputante de justitia & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix, Præses Romanus, omnibus artubus cohorrescebat. Actor. 24.

VIII. (*h*) Oleæ quoque inventrix Pallas dicitur. De qua Phædrus, Augusti Cæs. libertus, eleganter lib. 3.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. *Quercus* Jovi,
Et *myrtus* Veneri placuit; Phœbo *laurea*:
Pinus Cybelæ: *populus* celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Caussam dixit Juppiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At mehercule narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructus est gratior.
Tunc sic deorum genitor, atque hominum Sator:
O Nata, meritò sapiens dicére omnibus:
Nisi *utile* est, quod facimus; stulta est *gloria*.

Olea est pacis Symbolum. Æneid. 9.

Paciferáque manu ramum prætendit olivæ.

Hinc oleæ ramusculus quondam in manu Mercurii: nam bella geruntur, ut pax sequatur. Pallas & oleam præfert, & hastam, docétque, in ipsa præsidium pacis per mitiores artes: & robur belli per arma esse repositum. Olea præterea sapientiæ & castitatis Symbolum refert, teste Pierio hierogl. 53. c. 16. Hinc Minerva virgo meritò sibi adsciscit oleam; cùm non minùs *olea*, quàm Minerva, delectetur puritate ac pudicitiâ.

Scriptores

(*h*) *Olea Minervæ sacrata.*

Scriptores rei rusticæ jubent olivam, cùm plantatur & legitur, à mundis pueris atque puellis tractari. Marcus Varro asserit, oleam sterilescere, si capra primùm germinantem tetigerit. Oleæ materies æterna est, quam neque tempestas, neque caries, neque vetustas labefactat. Nimirum Palladiorum virorum memoria nunquam intermoritur. Quod sibi Poëtæ, Historici, Oratores, Philosophi pollicentur. Ex iis Ovidius in epilogo Operis sui Metamorphoseων. (*i*)

Jámque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Cùm volet illa dies, quæ nil nisi corporis huius
Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomĕnque erit indelebile nostrum.

Similis est conclusio Horatii lib. 3. Ode ult.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalíque situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, magnáque pars mei
Vitabit Libitinam; usque ego postera
Crescam laude recens.

Eundem in modum loquitur Seneca in Consolat. ad Polybium, cap. 21. Id egit ipse (Polybii fratrem intelligit) ut meliore sui parte duraret, & compositis eloquentiæ præclaris operibus, à mortalitate se vindicaret. Quamdiu fuerit ullus litteris honos, quamdiu steterit aut linguæ Latinæ potentia, aut Græcæ gratia, vigebit cum viris maximis, quorum se ingeniis vel contulit: vel, si hoc eius verecundia recusat, applicuit. Huc refer illud Sapientis pronuntiatum Prov. 16. *Fons vitæ, eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas.* Eruditio, id est, Sapientia, & intelligentia est illis (qui possident eam) *fons vitæ*, quia, velut scaturigo semper profluens, nec unquam deficiens, subministrat eis assiduè, unde & ipsi semper vivant, & alii per ipsorum doctrinam. Contrà indocti & insipientes nec sibi prosunt, nec aliis: *fuerunt, quasi non essent*, gemina morte, corporis, nominísque sepulti.

Equidem si in *Olympico* curriculo victores oleastro coronabantur, quid ni victricem mereantur olivam, qui in stadio litterarum, alios ingenio atque

(*i*) *Olea symbolum Litteratorum.*

atque doctrinâ præcurrunt? An verò, quod Venusinus canit Ode 1. lib. 1. Tanti est, *pulverem Olympicum colligere, & metam fervidis evitare rotis*, ut, qui eâ palmâ potiuntur, ad ipsos videantur deos evecti; Et non potiùs illi *cœlum sublimi feriant vertice, superisque misceantur diis*, quos sive oleagina, sive hederacea, aut laurea serta secernunt populo, & inter Minervæ Clientes, ac Proceres statuunt?

Olea, eam quoque ob caussam, huic deæ attributitur: quia oleum servit Musarum Cultoribus ad vigilandum de nocte, & ad elaborandum beneficio lucernæ, quod Latini *lucubrare* dicunt: hinc oleum, *Palladius* appellatur *liquor*. Et juxta adagium, *lucernam olet*, quod meditatò, multóque studio elucubratum. Elogium Demosthenis est, quod plus *olei*, quàm *vini* absumpserit: erat enim abstemius, & ὑδροπότης. Scimus Cleanthis Philosophi, & Aristophanis Poëtæ Comici, lucernam celebrari, indéque hausturn diligentiæ proverbium. De priore traditur, illum, quæ à Zenone magistro audierat, ossibus boum, & testarum fragmentis perscribere solitum, cùm pecunia non suppeteret ad chartas emendas. Epicteti Philosophi Stoici fictilis lucerna tanti æstimata est, tribus ut drachmarum, seu duodecim sestertiorum millibus, id est, trecentis nonaginta tribus florenis Rhenanis venderetur. Longè laudatissimum est (juvat enim in hoc argumento, quod nobis maximè tractandum sumpsimus, nonnihil excurrere) quod de Theodosio Juniore Imp. scribitur, eum historias Græcas, Latinásque assiduè evoluisse; tam pertinaci in litteris studio, ut, cùm diem militaribus aut civilibus occupationibus daret, noctem iis seponeret; Quin & candelabrum affabrè strui sibi curâsse, ut oleum sponte ad lychnum perveniret, ac suppeteret; ne vel interpellaretur lectio, vel ministri cum vigilante (ô humanitas!) vigiles essent. Lipsius in Monit. Pol. lib. 1. c. 8. Atque hæc etiam caussa est, quòd *Noctua*, sive *Nycticorax*, noctis avis, Minervæ sacra sit, quæ nocturnas, ut diximus, lucubrationes amat. Theodosius profectò pulcherrimo litterarum & armorum commercio, Palladis simul *mitioris*, simul *severioris* commercia conjunxit; dum diem ægidi Palladiæ, noctem libro, alitíque perspicaciori per tenebras impendit, & sacravit. Id quod etiam de Carolo M. memoratur. Et multis ante hos sæculis Epaminondas (quod Justinus scribit lib. 5.) in utroque studio clarus extitit; quem secutus est Alexander Macedo, Julius Cæsar, aliíque, qui sceptris ac coronis clari, Palladis armatæ ac pacatæ studia sociârunt. Pro Symbolo servit id, quod Cicero in orat. pro Archia Poëta refert, *Eulvium* Romanum Ducem, qui

contra

contra Ætolos, Ennio comite, bellavit, *Martis* manubias *Musis* consecrâsse.

IX. (*i*) Minerva, quod diximus, *Virgo* est, & Musæ sunt *virgines*. In litteris divinis *Mundis corde* promittitur *aspectus Dei*. Matth. 5. quæ opinio ab Ethnicis quoque imbibita, negantibus, aliis, quàm pudicis oculis posse Deum videri. Et videtur id natura in apibus docere voluisse, in quibus ingenium ac solertia cum virginitate conjuncta est. Taceo Nazianzenos, Thomas Aquinates, Catharinas, Joannes Evangelistas, & innumeros alios, in quibus flos castitatis cum flore doctrinæ certavit. Nec frustra narrant fabulæ, *Tiresiam*, vatem Thebanum excæcatum fuisse, quòd aciem mentis hebetârit, dum oculos parùm pudicos adjecerit ad Minervam, in *Hippocrene*, Heliconis fonte lavantem. Facit ad propositum, sacrum proverbium: *Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit Regem*. Prov. 22. Supremum scilicet rerum Dominum, qui cùm sit spiritus purissimus, amat sibi similes. *Sus Minervam*, adagiô fertur, non ideò tantùm, quòd illitteratis nullum certamen sit cum doctis suscipiendum; sed quia nihil est commercii castissimæ deæ cum porcis, in cœnum libidinis abjectis. De Gregorio Nazianzi Præsule (quem laudavimus) historiæ recensent, ei pariter sese videndas, & domum ducendas, *Sapientiam* ac *Castitatem*, virginum formâ ac habitu obtulisse, adeò sorores hæ mutuo delectantur consortio. Jam quid stolidius, quàm quòd Marco Antonio, illi Triumviro Romano, Athenienses Minervam suam magna cum dote desponderint? *Senec.* lib. 1. Suasoriar. Et an major ulla fatuitas, quàm Domitianum, testante Suetonio c. 22. Minervæ *filium* dici, credíque voluisse, omniáque ex eius deæ agere consilio? sed ô monstra scelerum! quid vobis impurissimis libidinum mancipiis est negotii cum dea integerrima? Claudo hæc cum voto, adversùs lascivum Cupidinem, & recino illud. Æneid. 11.

Armipotens belli præses, Tritonia Virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo!

(*k*) *Sapientia & Castitas Soreres.*

SYMBOLVM XC.

Musæ.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Musarum Præsidium & oblectamentum. 2. Literarum utilitas. 3. Literarum jucunditas. 4. Cur Musæ in montibus habitent.

DE his sat multa dicta sunt, cùm de Pieridibus ageremus: Nunc ne Palladis celeberrimum gynæceum præteriisse videamur, addenda sunt quædam, quæ scire juvabit Musarum Clientes. De etymo variant Scriptores. Plato in Cratylo ἀπὸ τοῦ μώσθαι nominatas putat, hoc est, ab *inquirendo*. Alii Musas nuncupari volunt, quasi ὁμοῦσαι, *simul existentes*, quòd inter disciplinas similitudo sit, & quasi cognationis vinculum, quô inter se omnes conjunguntur, & copulantur. Sunt etiam, qui Musas appellatas existiment ἀπὸ τοῦ μνεῖν, quod significat, bonâ, honestâque disciplinâ instituere. *Novem* communiter esse dicuntur, quibus hæc nomina imposita sunt. Primam à suavitate vocis ἀπὸ τῆς καλλης ὀπὸς vocant *Calliopen*, & heroico carmini præesse existimatur. Secunda *Clio*, à gloria & celebritate rerum gestarum, quas canit, nam κλείειν, *celebrare* est: vel ἀπὸ τοῦ κλέος, propter *gloriam*, quæ doctis obvenit. Tertia *Erato*, cuius nomen deductum est ab ἔρωτος, *amore*. Vel quòd docti amentur, vel quòd cantus ab omnibus desideretur, aut quia mollia canat & amatoria. Alii putant appellatam ab *interrogando* & *respondendo*, id est, ἔρεσθαι καὶ ἀποκρῖνεσθαι; hæc enim duo maximè conveniunt disputantibus. Quartam à voluptate cantûs nominant *Thaliam*: θάλλειν enim *virere*, *germinare*, *florere* est. Nam doctorum laus semper virescit. Ei Comœdias attribuunt. Quintam *Melpomenen*, à Græco, μέλπεσθαι, quod est, *canere* seu *modulari*; unde & Tragœdiis præsidere putabatur; vel quasi μελέτην ποιουμένην, id est, meditationem facientem aut requirentem; meditata canentem. Sextam *Terpsichoren*, παρὰ τὸ τέρπειν τὰς χορὰς, à delectandis choreis; unde à quibusdam dicitur *Citharistria*. Septimam, *Euterpen*, à suavitate concentûs, quasi *benè delectantem*. Latinè *Iucunda* potest vocari. Eadem *Tibicina* nuncupatur, & pe-

& peculiariter tibiarum cantui præesse creditur. Octavam, *Polyhymniam*, à *multitudine cantûs*: sive *Polymneiam*, à magnitudine *memoriæ* nominant. *Historia* illi attribuitur, quòd multarum in ea rerum sit memoria; *lyræq;* præfecta putatur. Nonam *Vraniam*, quasi *Cœlestem*, vel à cœlestium rerum cantu, vel à cantûs divinitate appellant. Alii aliter atque aliter has Musas explicant, ipsisque nomina & officia pro arbitrio & libertate poëtica affingunt. Earum inventa, munia, numerum, numina Ausonius complexus est his versibus:

Clio gesta canens, transactis tempora reddit:
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu,
Comica lascivo gaudet sermone *Thalia*:
Dulciloquos calamos *Euterpe* flatibus urget:
Terpsichore affectus cithara movet, imperat, auget.
Plectra gerens *Erato*, saltat pede, carmina, vultu:
Carmina *Calliope* libris heroica mandat:
Vranie cæli motus scrutatur, & astra:
Signat cuncta manu, loquitur *Polyhymnia* gestu:
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia *Phœbus*.

Ethica.

I. Audiamus Mythologum lib. 7. c. 15. de Musis. Hæ, inquit, deæ magnum sunt in adversis rebus solatium, & non leves illecebræ ad res honorificas: cùm ab illegitimis voluptatibus, & ab omni libidine nos revocent. (*a*) Harum munus fuit, militum animos per carmina inflammare in bellum: harum, viros bonos in calamitatibus consolari: harum, præclara facinora, & res gestas decantare, ut eorum imitatione cæteri mortales ad virtutem incitarentur; quippe quòd illæ cantilenæ in antiquorum conviviis adhiberentur. Tanta verò fuit antiquorum cantorum modestia & temperantia, ut neque inter *procos* quidem *Penelopes* turpia aut lasciva canerentur: quamvis essent juvenes ad omnem libidinem, omnémque intemperantiam maximè propensi: sed canebatur apud hos reditus Græcorum in patriam laboriosus ac perdifficilis. Harum igitur cantilenarum & cantorum, & Poëtarum, Præsides Musæ putabantur, quarum dux creditus est Apollo, unde & *Muságetes* dictus. Musarum filii, illi appellabantur, qui tanta ingenii, scientiæque præstantiâ valebant,

(*a*) *Musarum præsidium & oblectatio.*

valebant, ut divinitus è cælo demissi, inter homines viderentur. Hæc Natalis Comes. Nimiùm latus se campus hîc explicaret, si vellemus de Musarum, id est, Litterarum varietate, oblectatione, fructu, gloria disserere. Nam si ullo in argumento usurpari potest illud Ciceronis: Pleni sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas; id enimverò in Musarum laudibus apparet. Memorabile comprimis est, quod de Pyrrhi, Epirotarum Regis annulo, traditur à Solino; cuius gemma achates erat eô naturæ artificiô, ut distinctè Apollinem citharam tenentem, Musásque novenas, suis singulas cum insignibus, & lineamentis exhiberet; quâ se specie Rex non armorum magis (nam adversùs Romanos præclarâ cum laude bella gessit) quàm Musarum cultorem profitebatur. Est autem achates tam generis varii gemma, ut unum lapidem esse non credas: candidus, rubens, croceus, cinereus, viridis, niger, cæruleus: verbo omnium gemmarum colores includit. Atque huic lapidi rectè confertur Musarum ac Litterarum mira varietas & amœnitas, in qua Poëtarum, Historicorum, Rhetorum colores ad certamen usque luxuriant. Ciceroni *Mansuetiores* Musæ dicuntur, quæ à forensi contentione remotæ sunt. Ab Homero Musæ nominantur ὀλυμπιάδες, quòd in cælo, utpote Jovis filiæ, sedem habere credantur: & suos Clientes (quod Horatius canit: *Musa cælo beat*) ad Superos evehere. Hinc idem Poëta Od. 4. lib. 3.

Descende cælo, & dic, age, tibiâ,
Regina, longum Calliope melos.

II. (*b*) Hinc disce, quanta illarum felicitas sit provinciarum & civitatum, in quibus periti, probique magistri suppetunt ad juventutem bonis moribus, & litterarum studiis imbuendam. Quod contra hostes sunt valla & propugnacula, hoc adversùs inscitiam & barbariem sunt Musarum domicilia, in quibus quotannis uberes proveniunt segetes virtutis ac sapientiæ. *Multitudo Sapientum*, inquit Regum Sapientissimus, *Sanitas est orbis terrarum.* Ælianus scribit, cùm maris imperium tenerent Mitylenenses, sociis, qui desciscebant, hanc pœnam imposuisse, ut liberos suos non docerent litteras, neque artes liberales; hoc suppliciorum omnium gravissimum judicantes, in inscitia & ignorantia artium liberalium vitam transigere. lib. 7. c. 15. Et Pausanias tradit in Bœoticis, Heliconem montem singulari quadam soli bonitate commendari, cuius etiam pastionibus serpentum venena infirmentur. Nimirum litteris nihil

(*b*) *Litterarum utilitas.*

hil eſt fœcundius, aut amabilius, quibus non ruditas tantùm animorum, ſed vitia quoque & permotiones pravæ ſedantur. Seneca ad Lucilium epiſt. 16. Litteræ animum formant & fabricant, vitam diſponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonſtrant: ſedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuantium dirigunt curſum.

III. (*c*) Hunc litterarum fructum egregiè explicat diſertiſſimus Muretus, orat. de laud. lit. Litteræ, inquit, nos ubi primùm firmiùs incedere, atque articulatiùs loqui cœpimus, de ipſo propè nutricum acceptos ſinu, titillatione quadam honeſtiſſimæ voluptatis alliciunt, allectos præceptis ſaluberrimis complent: non tantùm benè dicendi, verùm etiam benè vivendi commonſtrant vias: excitant in animis noſtris igniculos gloriæ: quantus ſit in virtute ſplendor, quanta in vitiis deformitas edocent: quæ qui ſemel penè penitùs imbiberint, ii nunquam non poſtea & vitii turpitudinem omni ſtudio refugient, & officii, honeſtatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Amœnum eſt, quod de Muſarum beneficio ac gratia Cauſſinus memorat in Symbolis hiſtoricis, lib. 3. c. 26. Comates inquit, in Sicilia heri divitis ſervus pecora paſcens, conſueverat nonnunquam Muſis aliquid de gregibus domini offerre. Id cùm reſciviſſet herus, duriter ſervulum increpat: Orat Comates, ne ſuccenſeat, fore enim, ut Muſarum beneficiò omnia cumulatè reddantur. At dominus, age, inquit, experiamur, an Muſæ ſint te nutricaturæ; & ſervum in arborem excavatam incluſit, atque ab eo receſſit relicto, ut fame moreretur. Exactô annô cùm ad eum locum rediiſſet, Comatem vivum atque incolumem invenit, & multum favorum in arbore, unde victitârat. Apes enim in eam arborem per rimas penetrantes, ſuaviter illum aluerunt. Adeò non perit, quod Muſis & viris litteratis impenditur. Hæc ille. Atque ut Comates alumnum Muſarum repræſentat; ita herus ipſius paradigma præbet hominis ſordidi, & litteras exoſi. Reperias enim Eucliones, tam nummis divites, quàm ingeniô & doctrinâ inopes, qui plus curæ impenſæque in pullum inſumunt equinum, benè paſcendum, quàm in filium liberalibus artibus imbuendum. Jacturam putant & profuſionem, ſi inſtituendo puero alatur pædotriba; cùm tamen bubulcis ſuis, & caprariis, & porcariis ſtipendia ſolvere non graventur.

IV. (*d*) Neque fruſtra Parnaſſum & Heliconem, montes in cælum erectos, inhabitare dicuntur Muſæ. Nam ad eruditionem aſpiranti, anhelandum eſt in ardua. Sicut nemo timidus trophæum ſtatuit: ſic

(*c*) *Litterarum dignitas & Voluptas.* (*d*) *Cur Muſæ in monte habitent.*

sic nemo ignavus, *Musarum*, quod dicitur, *januas apertas* habuit. Arcem incolunt in sublimi positam, à cuius ascensu absterrentur quàm plurimi; quippe qui propter pigritiam vitant laborem discendi, & tamen ambiunt honorem inter Musas regnandi. Juxta adagium: *Non omnes qui habent citharam, sunt citharædi;* Sic non omnes, qui nomen à *studiis* præferunt, sunt *studiosi.* In quos illud Persii torqueas:

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!

Conspici vultis & suspici, & tamen alta Musarum scandere perhorrescitis. Ubi illud Taciti, lib. 4. annal. *Optimos mortalium altissima petere.* Præclarè solertissimus morum & literarum magister Seneca epist. 104. Magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animantibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum; ita nobis glorioſum & excelsum spiritum, quemadmodum enim flamma surgit in rectum; jacere ac deprimi non potest, non magis, quàm quiescere iste noster animus. Et hoc est, quòd Musæ montana incolant; adiri volunt; sed per clivosa & ardua. Abeste hinc prophani: abeste pigri, quos, ut sapiens loquitur: *sua occidunt desideria.* Proverb. 21. Quorum vita diffluit otio, & sese inter inutiles cogitationes ac curas dilabendo consumit. Aliter vel ipsi pueri, qui interrogati, cur tam diligenter incumbant in literas, respondent: *ut ascendant.* Quisquis aliter sentit, hunc tu à Musarum sede procul arce, & inter operas mechanicas, sudore vultûs, manuum callo lucellum extundere jube. At ne prohibeas ad has deas propiùs accedere, quem videris sordido sub palliolo scintillas ingenii fovere: neque enim rarò prodit è segmentatis cunis simia in purpura; & ab aratro venit indoles Musis nata.

SYM-

SYMBOLVM XCI.

Apollo.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Apollinis Laurus, Cygnus, Tripus, Crines aurati, Taurus victima, Ara in Delo, Parnassi juga, Arcus & Sagittæ. 2. Phœbi seu Solis encomium. 3. Analogia inter Solem & Principem. 4. Solis & Sapientis comparatio.

POst Minervam & Musas, imò ante utrasque memorandus nobis est *Apollo* seu *Phœbus*, de quo aliis quidem in locis actum, ut in Daphne, Marsya, Pythone, Phaëthonte; hîc verò alia quædam huic Deo magis propria, & Poëtarum carminibus celebratissima, sunt adducenda, præsertim quæ ad Literarum & Sapientiæ studium referuntur. Nomen Apollo suum traxit ἀπὸ τῦ ἀπόλυσθαι vel ἀπολέσαι, quod significat *perdere*; nam Pythonem, draconem illum immanem, de quo Symb. 15. perdidit, seu interemit, unde & *Pythius* dictus. Phœbus autem appellatur, quia simul & Musarum Princeps, & *Sol*, planetarum rex salutatur; Φοῖβος enim Sol est, quasi φῶς τῦ βίυ, *lux vitæ*; quid enim vel vitale, vel est vegetum, quod à Solis influente calore non proficiscitur? Fuit autem Apollo Jovis & Latonæ filius, Dianæ (quæ & Luna, seu Phœbe) frater. Citharam fertur à Mercurio accepisse; posteáque Musis præfuisse, *Divinationis* & *Sapientiæ* Præses; peritissimus quoque *Iaculator*, & medicinæ *Inventor*. Unde de se lib. 1. Metam.

Inventum medicina meum est, opiféxque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Repertor idem Carminum & Musicæ, unde gloriatur:

-------- per me concordant carmina nervis.

In monte Parnasso præcipuè habet novem inter Musas sedem, de quo Claudianus:

Pieridum columen, cujus Parnassia magno
Numine templa sonant.

In

In Cyntho etiam monte insulæ Deli (ubi natus est, & unde nominatur *Cynthius*, ac soror ejus *Cynthia*) frequens esse fertur. Testatur Maro 4. Æneid.

Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela sonant humeris.

Ethica.

I. (*a*) Apollini dicata Laurus est, doctarum præmium & decus frontium. Dicitur perpetuâ gaudere iuventâ, quia Literæ nunquam senescunt, & viri Apollinei etiam post fata vivunt. (*b*) Quid quòd *Poësis* requirat ingenium vivax, & vegetum, alacre, floridum. Eidem *Cygnus* sacer est, quia divinat & vaticinatur, quando moriturus sit; quasi providendo, quid in morte boni sit, ut loquitur Tullius 1. Tuscul. quæst. Hoc sapientes & virtute præstantes viri (qui per Apollinem denotantur) faciunt: illi namque bona nixi conscientiâ neque recusant vivere, neque timent mori. Et quia Apollo ab augurando celebratur, meritò sapientes viros dixeris *Augures*, quibus, quæ indoctis videntur fortuita, sunt jam antè prævisa & præcauta, dum ex antecedentibus eventus futurorum, progressiones, & causas cognoscunt. Inter *fana* Apollini consecrata, opulentissimum fuit olim ac religiosissimum *Delphicum*; cujus vatidicus (*c*) *Tripus* Musarum etiam tironibus notus est, qui fortuitò à piscatoribus reti attractus ex undis, monitu Oraculi sapientissimo omnium erat offerendus. Itáque Tripos ille aureus initiò ad *Thaletem* Milesium, unum ex septem Græciæ sapientibus defertur, quem ille ad *Biantem*, ut se sapientiorem remisit: ab hoc rursus eodem pacto ad alios transmissus est, donec ad Thaletem denuo rediret, qui eum Apollini Delphico consecravit; ex quo deinde Deus tam certa responsa reddidit, ut in proverbium abierit: *ex tripode*, quidquid vehementer erat verum atque indubitatum. Hinc intelligas, quanta æstimatio sit viri sapientiâ pollentis, qui *tripode* dignus habetur; & quàm pulchrè modestia cum doctrina societur; quam ob causam Pythagoras non *Sophus*, sed *Philosophus*, hoc est, amator sapientiæ voluit appellari.

(*d*) Neque frustra auro *crines* implicat Apollo: nam sæpè comitantur Sapientem Opes. Testes sunt Seneca Philosophus, Plinius, Æsopus tragœdus, aliique sexcenti. De Sapientia Salomon 3. Prov. *in sinistra*

(*a*) *Apollinis laurus.* (*b*) *Cygnus.* (*c*) *Tripus.* (*d*) *Aurati crines.*

nistra illius divitiæ. Et Sap. 8. *Si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia?* etiam divitias, ut in Salomone apparuit. Horatius in epist. ad Mecœnat.

Ad summum sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Consonat Siracides c. 7. *utilior est sapientia cum divitiis.* Certè, quem diximus, Pythagoras, ob insignem sapientiam aureâ coronâ redimiri solitus est. Ælian. lib. 12. c. 32. Quod si aliquando contrarium accidat, & pauper Aristoteles cogatur *ire pedibus*, id non Liberalium Artium culpa, sed Illiberalium temporum crimen est. Martialis lib. 8.

Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones.

Ipse quoque Apollo aliquando magnas in angustias conjectus est, cùm Gigantibus cælum oppugnantibus olympum terrâ vertere, & Admeti Regis Thessaliæ armenta pascere cogebatur. Etiam hoc observandum, quòd Apollini mactetur *taurus*, unde Anchises apud Virgilium è navi exscendens in ipso Cretæ insulæ littore

------ meritos Superis mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

(*e*) Cur *taurum*? Laboriosum est animal. Bovillo capite laborem designari, Pierius docet; hinc illo, tanquam fulcimento trabes sustinentur, ea frontis & gutturis specie, quæ nixum & conatum, hoc est, tolerantiæ, laborisque significatum refert. Qua de causa à Tyriis Carthaginem ædificare aggressis, intermissum est opus ob caput taurinum inventum; itáque mœnia cœptæ urbis aliò translata; videbatur enim ostentum illud nihil nisi laborem & anxietatem minitari; aliô verò locô fodientes, cùm caput equi inveniissent, læti, alacrésque illud belli ac fortitudinis signum accepere. Nimium sapientia multo labore, sudoréque constat: hinc viri litterati plerumque sunt pallidi & κακοδαιμονες. Jobus ait c. 28. *Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus; nec invenitur in terra suaviter viventium.*

Præterea per bovillum caput trabi suppositum intelligas, viros sapientes ac doctos columnam esse & columen reipublicæ, quam sustentant & conservant. Divinus certè Plato dicebat, tum demum Respublicas beatas fore, cùm eas aut Philosophi cœpissent regere, aut qui regerent, philosophari. Atque ut Milo, Strabone teste, cùm in contubernio Philosophorum esset, minitantis ruinam columnæ locum subiit ei

(*e*) *Taurus victima Apollinis cur.*

ſuccollando: eáque ratione & reliquos ſervavit omnes, & ſeipſum incolumem ſubduxit: ita par eſt Principes facere, rémque litterariam auctoritate ac liberalitate ſuſtentare ac tueri. Et hæc de tauro Apollini ſacrificato. (*f*) Sed cur in inſula Delo, ubi magna religione Deus hic colebatur, nullum immolabatur animal, ne ſanguine aſpergeretur ara, ſtatuente ſic Pythagora? quod Cicero aſſerit lib. 3. de Nat. Deor. quò ſignificetur, mitia eſſe ſapientiæ ſtudia, & multùm à feritate ac inhumanitate remota. Cur verò *montes* inhabitet Apollo, diximus, cùm de Muſis ageremus. (*g*) Duo *Parnaſſi* juga indicant doctrinæ jungendam eſſe virtutem: per hæc fit aſcenſus in aſtra. (*h*) Apollinis *arcus & ſagittæ* quid ſunt aliud, quàm ingenium ſubtile, exacutum, & quod celerrimas habeat motiones ad inveniendum & excogitandum: quódque pennati teli inſtar volet per ora virûm, & mirabilem vim habeat penetrandi animos? Apollo dum ſuavitate *lyræ* lapides permovit, ut ad conſtructionem Troiæ coirent ultro (id quod etiam de citharœdo Amphione, Thebarum Conditore memoravimus) denotat, altiſſima quæque mœnia, qualia Troiana fuerunt, animorum concordiâ (quæ per contemperatas & conſonantes lyræ chordas intelligitur) exſtrui, firmari, defendi. At *Laomedontis* pactam mercedem abnegantis perjurium, perfidos & ingratos deſignat mortales, qui vel à fide data turpiſſimè reſiliunt; vel malam gratiam referunt iis, quorum conſilio, prudentiâ, ope ad magnos honores ac fortunas ſunt provecti. De Apolline Venuſinus Lyricus lib. 2. Od. 10. canit:

------- quondam citharâ tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.

Amant alterna Camœnæ; omnes quandoque nervi contendendi in litterarum ſtudiis, aliquando laxandi & honeſtis luſibus remittendi. Cæterùm *Pæan* eſt cantilena, quæ Apollini cantatur, vel implorando auxilium, ut imminens malum divertat: vel ſolvendo grates ob acceptum beneficium, dicitur à πάυω quieſco, quaſi πανὰν, dum quieſcit malum, ſedatur, deſinit. Notent hoc Alumni Muſarum, & ſæpius ſacratiorem pæana canant, hoc eſt, ſtudiorum auſpicium ducant ab invocatione divini auxilii, finiántque cum gratiarum laude: quia, ut ſacer parœmiographus loquitur, *Dominus dat Sapientiam: & ex ore ejus prudentia & ſcientia.* Prov. 2.

II. (*i*)

(*f*) *Ara in Delo inſula.* (*g*) *Duo Parnaſſi juga.* (*h*) *Apollinis arcus & ſagitta.*

II. (*i*) Jam quod idem ſit in Parnaſſo Muſarum Præſes, & in cœlo Rex Planetarum, ſcilicet Sol, liquidi *Fons* luminis, *Lux* publica mundi, *Oculus*, *Mens*, ut eum Tullius appellat pulcherrimâ analogiâ, ad virtutis ac Sapientiæ ſtudium transfertur. Plinius de Sole, lib. 2. c. 6. ita ſcribit: Septem ſiderum, quæ ab inceſſu vocamus *Errantia*, cùm errent nulla minùs illis, Medius Sol fertur ampliſſima poteſtate ac vi: nec temporum modò terrarúmque, ſed ſiderum etiam ipſorum, cœlique rector. Hunc Mundi eſſe totius animam ac mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet, opera ejus æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, auférque tenebras: hic reliqua ſidera occultat: hic vices temporum, annúmque ſemper renaſcentem ex uſu naturæ temperat: cœli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani nubila animi ſerenat: hic ſuum lumen cæteris quoque ſideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, & omnia etiam exaudiens. Hactenus Plinius. Ejusdem Solis ſeu Phœbi laudator eſt Benedictus Pererius in cantic. trium pueror. Omnis quidem, ait, mundi hujus ſtructura cunctis numeris abſoluta, tanquam ad regulam facta, & ad lineam reſpondens, cogit ſuî ſpectatores & contemplatores, Deum opificem omnium agnoſcere ac venerari. Sed nihil eſt omnium, quæ aſpectu ſentiuntur, præclarius, admirabilius, & divinæ poteſtatis ac magnificentiæ illuſtrius monumentum, quàm Sol, dux & moderator cunctorum ſiderum, omniúmque caducarum rerum procreator & conſervator. Nihil enim eſt eo vel aſpectu pulchrius, vel efficacitate potentius, vel uſu & utilitate copioſius. Hic námque tenebras fugat, rerum colores vel facit, vel oſtendit, cuncta exhilarat, omnium animantium oculos atque animos inſatiabili voluptate complet, & mundo ſalutarem, maximéque vitalem, ac cunctas augentem naturas, nutricantem, ſensúque afficientem calorem largitur. Hæc ille. Meritò Eccleſiaſticus c. 43. Solem vocat *vas admirabile*, *opus Excelſi*. Quia Deum non tantùm clarè repræſentat, ſed divinitatis ejus theſauros in omnia creata liberaliter effundit & diſpertit. Nos pro ratione propoſiti noſtri Phœbum primò ad laudabilem Principem, tum ad Sapientiam ſeu virum ſapientem applicabimus.

III. (*k*) Ad laudes Principis quod attinet, 1. Meritò Soli comparatur. Primus Perſarum Rex dictus eſt Cyrus, id eſt, Sol. Sicut enim Sol oriens in ſuo quaſi curru & ſolio gloriosè reſidens, fugat tenebras, feras, fures, homicidas, adulteros, alióque ſceleſtos, lucifugas & tenebriones; ſic rex juſtitiâ ac ſapientiâ præditus, providentia ſua, ac

(*i*) *Encomium Solis.* (*k*) *Analogia inter Solem & Principem.*

quasi solari intuitu dissipat scelerum umbras & caligines. Atque ut Sol in ortu suo benignis omnia recreat radiis; ita *in hilaritate vultûs regis vita est.* Prov. 16. Imperantis enim clementia, jucunditatem & amorem subditis tanquam vitam inspirat. 2. Sicut Sol (quod Epictetus monet) preces & blandimenta non exspectat, ut oriatur, sed sponte surgit, atque ab omnibus salutatur; sic beneficentia Principis nec plausus exspectat, nec laudes; sed ultrò sese in alios effundit. Vitalem Solis fœcundúmque influxum animantes, plantæ, lapides ac metalla sentiunt: Pari ratione Principis munificentia in omnis generis ac conditionis homines dividitur ac effunditur. Artaxerxes Persarum rex, ab altera manu longiore dictus, *Longimanus*, cùm idcirco quasi monstrosus rideretur, respondit, se ad dandum *longimanum*: ad accipiendum altera manu *breviorem* esse. Plut. in apophth. 3. Sicut Sol obit & lustrat omnes ac singulas terræ regiones, eas illustrando, calefaciendo, fœcundando; ita princeps provincias obit regni, suáque præsentia subjectorum difficultates ac *gravamina* audit, examinat, levat. 4. Sol medius inter planetas, radios quaquaversùm ejaculatur: Rex in medio regni, sicut in centro, omnes, quibus jura dat, Zelo justitiæ ac virtutis accendit. 5. Sol oculis sanioribus placidus est & gratus: infirmioribus noxius: Sic vultus Principis bonis est jucundus, malis terribilis. 6. Sol vocatur *Apollo* ὡς ἀπολύων ἡμᾶς τῶν νόσων, ut qui morbis nos liberet: Principis pariter est calamitates à subditis avertere, & pestes, quæ Religionem aut Politiam turbare ac corrumpere possent, sanare & exterminare. Atque ut Deus, quod Plutarchus in Moral. ait, in cœlo pulcherrimum ac jucundissimum sui simulacrum constituit *Solem*: sic in Republ. Principem, qui prudentiâ, justitiâ, benignitate se erga omnes salutare sidus repræsentet. 7. Sicut Sol est solus in mundo; ita rex solus in regno, Princeps in sua provincia. 8. Ut Sol irrequietus est atque indefessus, à cursu suo nunquam desistens; ita Principem decet in omnes regni curas semper intentum esse, ne quid detrimenti res patiatur publica; vigilet semper & excubet, ne pax turbetur, ne justitia infringatur, ne vexentur boni, grassentur mali. 9. Sol semper est juvenis & imberbi vultu (unde Persæ eum vocabant κοῦρον, id est adolescentulum) sempérque vegetus. Habet tamen quasi tres ætates. *Nam primo aspectu*, ait Martianus Capella lib. 1. *est sicut puer renidens & renitens; incessu medio est vir anhelus; in fine apparet senex occiduus.* Sic Princeps in ipso aditu comitatem præ se ferat, ne adeuntes majestate deterreat; at in tractatione rerum

rum juvenile robur promat: denique in consiliis, quid facto opus, senilem ostendat prudentiam 10. Ut solis cursus non recto per cœlum meatu fertur, sed obliquo, leni, atque moderato, tamen orbis universi machinam æquali temperie calefacit: Ita Principes & magistratus sese populi nonnunquam studiis, ut ita dicam, obliquis accommodare debent, ut meliùs sit iis consultum, quòs regi par est non summo jure, sed æquitatis temperamento. Ob has & alias à Sole deductas similitudines prefecti refert imaginem Principis Apollo; quæ etiam causa fuit, cur in Josuæ, herois illius fortissimi monumento, Solis esset statua posita; & quasi staret adhuc in mortui cineribus, mutáque loqueretur, Regentésque doceret officium *standi*, id est, *vigilandi*, *& in ipsa quoque morte vivendi.*

IV. (*l*) Nunc ejusdem Phœbi conditiones in Sapientiam conferemus. 1. Sol unicus est in mundo, quasi lucis arbiter, & monarcha orbis. Unde *Sol* dicitur, eò quòd ex omnibus sideribus sit *solus* (quod diximus) & Rex cæterorum. Unicus in cœlo Sol; pauci sapientes in terra. Non nisi septem olim tota Græcia numeravit, cùm *stultorum*, Salomone teste, *infinitus sit numerus.* Ecclesiastæ. c. 1. 2. Mirabilis puritas est Solis ac splendor: unde *Secundus* Philosophus interrogatus ab Hadriano Imp. Quid est Sol? respondit: Cœli oculus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor, claritas sine macula. Et S. Ambrosius 4. hexam. c. 1. Sol oculus est mundi, jucunditas diei, pulchritudo cœli, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Quid autem clarius est sapientiâ, quid illustrius, quid purius, quæ *in malevolam non introibit animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. Est enim hæc *speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur* prior. Ibid. c. 7. v. 29. 3. Ingens est Solis magnitudo; nam juxta Mathematicos centies sexagies, aut etiam pluries vastitate sua terram superat; altitudine tam sublimis fertur, ut à Tychone Brahe uno millione, trecentis nonaginta sex millibus, & centum leucarum (quarum singulæ horæ spatio conficiendæ) distare à centro terræ dicatur; à superficie verò telluris secundùm quosdam distantia ejus continet milliaria Belgica seu leucas nongenta millia, sexaginta quatuor millia, trecenta, sexaginta unum. Pari ratione vir sapiens longè supra terram, & vulgi sensum eminet. Talis, inquit Seneca sapientis est animus, qualis mundi status super lunam; semper illic serenum est; tenet summa, & ne ulli quidem, nisi sibi innixus. Fortuna premit reliquos, sapiens fortunam. 4. Situs Solis

(*l*) *Solis & Sapientis comparatio.*

lis est in medio planetarum, tanquam astrorum Principis & Ducis, de quo Statius lib. 7.

Sol operum medius summo librabat olympo
Lucentes, ceu staret equos.

Nimirum *homo prudens placebit magnatibus.* Eccli. 20. De viro sapiente Salomon Sap. 8. *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores.* Ipsa quoque sapientia de se loquitur Prov. 8. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus* 5. Incredibilis est velocitas Solis, qui quotidie horis viginti quatuor percurrit ambitum orbis sui, totiúsque cæli vastissimi; adeò ut unâ horâ permetiatur milliaria horaria quingenta octoginta millia, & octingenta. Et hoc sapienti convenit, qui mirabili celeritate per omnia scientiarum genera circumfertur. Est enim in illo *spiritus intelligentiæ, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus,* (sicut lumen, nullas sordes contrahens) omnia prospiciens, & *qui capiat omnes spiritus,* Sap. 7. hoc est, artes & scientias. Hunc spiritum habuit Salomon, qui loc. cit. de se ipso: *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum: & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes & commutationes temporũ, anni cursus, stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.* 6. Maxima Solis est efficacia, quæ rebus omnibus dat vigorem, motum, vitam; atque is idem est in æthere, quod cor in animali. Facit hoc Sapientia, dum animum priùs rudem & inertem informat, excitat, elevat, & ad recondita quæque perspicienda, capacem reddit. Vita corporis est animus, Sapientia animi. Hinc Aristoteles asserit tantum esse discrimen inter doctum & indoctum, quantum inter hominem vivum & mortuum. 7. De calore Solis quid dicam? qui tantus est, ut multas terræ plagas penitùs exurat. Id in sapientiæ amatore cernitur: nam incenditur in eo desiderium sciendi, quali flagrabat regum sapientissimus, qui de se Sap. 7. *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile* (ut Solis) *est lumen ejus.* 8. Sole nihil est in aspectabili hoc mundo pulchrius, nihil clarius; omnium, ad se rapit oculos. De sapientia Ecclesiastes cap. 6. *Clara est,*

est, & quæ nunquàm marcescit, & facilè videtur ab his, qui diligunt eam & invenitur ab his, qui quærunt illam. Claritas Solis fugat tenebras ex oculis, Sapientia ex animo. Et quid aliud est homo doctus, quàm lux? quid indoctus, quàm tenebræ? illam invehit sapientia, hanc stultitia; unde Ecclesiastes c. 1. *tantum*, inquit, *inter sapientem & stultum interest, quantum inter lucem & tenebras.* 9. Sicut *lux Solis splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Prov. 4. Ita Sapientia in aurora pueritiæ, quasi per nubes transmittens radios, apparet pulcherrima, ac Solis instar, qui à Poëtis auricomus, & à Græcis ῥοδοδάκτυλος vocatur, id est, roseos habens digitos; sensimque cum ætate crescit, donec in summo stet olympo, radiósque doctrinæ, honoris, famæ longè, latéque spargat. 10. *Radii Solis, ait Seneca epist.* 41. *contingunt quidem terram, sed ibi sunt, unde mittuntur. Sic animus magnus & sacer in hoc demissus est corpus, ut propiùs divina noscamus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret originisuæ*, quæ summa est sapientia. 11. Qui oculorum aciem fixiùs soli obvertunt, excæcantur, unde Lucretius:

Sol etiam cæcat, contrà si cernere pergas.

Id accidit illis, *qui volunt plus sapere quàm oportet* Rom. 12. Scrutantur altiora suo captu, &, ut quidam loquitur, veritatem quærunt in vanitate; ideò curiositatis temerariæ meritas dant pœnas, & juxta Apostolum Rom. 1. *in reprobum sensum à Deo traduntur.* 12. Sol hortator est laboris & monitor operum. Oriens manè, tacitè quasi nos salutat, & inclamat: Surgite mortales, excutite somnum: nox transiit, dies illucescit; en lucem vobis affero, lætitiam, vitam; surgite & evigilate mecum: ad opus, ad labores honestos, ad virtutis & sapientiæ studium vos accingite. En ego vobis iter præeo, imò facem præfero, & præluceo, me sequimini, me imitamini. Et quid aliud facit Sapientia, de qua Prov. 8. *Nunquid non Sapientia clamitat, & Prudentia dat vocem suam?* Et quid clamat? sequitur ibidem: *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite: accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quàm aurum eligite. Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Id adeò prisci Romani observârunt, ut in more positum habuerint, *Solem orientem* salutare. Agunt id ipsum Sapientiæ studiosi; primo diei crepusculo evigilant, & Solem orientem salutant: hujus radiis non excitantur magis corpora, quàm illustrantur & calescunt animi ad artes liberales addiscendas, & ingenii labores prosequendos.

Atque

Atque hæc de Apolline seu Phœbo; cujus satellitium festivissimè describit Ovidius 2. Metam.

------ purpurea velatus veste sedebat.
In solio *Phœbus*, claris lucente smaragdis.
A dextra, lævâque *Dies*, & *Mensis*, & *Annus*,
Sæculáque, & positæ spatiis æqualibus *Horæ*.
Vérque novum stabat, cinctum florente corona;
Stabat nuda Æstas, & spicea serta gerebat:
Stabat & *Autumnus*, calcatis sordidus uvis;
Et glacialis *Hiems*, canos hirsuta capillos.

SYMBOLVM XCII.

Saturnus,

Ex Variis.

Ethicè.

1. Saturni simulacrum. Cur senex: barba promissa? quid falx? serpens? lapis in ore? clepsydra in capite? 2. Tempus & Occasio. 3. Bonus Princeps per Saturnum indicatur. 4. Item tyrannus. 5. Lex magis, quàm Rex, observanda. 6. Janus bifrons & quadrifons.

CÆli & *Vestæ* Saturnus fuit filius, *Opim* sive *Rheam* (*Cybelem* alii dicunt, aut *Tellurem*) sororem matrimonio sibi conjunxit. Parens fuit Jovis, Junonis, Neptuni & Plutonis. Nomen hausit à *Saturando*, eò quòd devorandis filiis fuerit saturatus; aut quia Senex satur fuit annis. Alii malunt eum à *Satu* fuisse appellatum, quod stercorationi & agriculturæ præsit, unde Sterculius & Sterculinus cognominabatur. Græcis χρόνος seu χρόνος, id est, *Tempus* dicitur. Fratrem habuit *Titanem*, majorem natu, qui cùm parenti, ut par erat succedere deberet, animadvertens tamen matrem, sororésque in Saturnum proniores esse, jure suo cessit, ea tamen lege, ne Saturnus prolem masculam tolleret (seu educaret) sed regnum ad suam stirpem rediret. Saturnus igitur ex pacto cum fratre inito, liberos suos masculos, ubi primùm nati essent, devoravit.

voravit. Verum cum Ops uno partu Jovem ac Junonem edidisset, Junonem quidem Saturno ostendit, Jovem verò clàm nutriendum ablegavit, adhibitis interim Corybantibus Sacerdotibus suis, qui cymbalorum, tympanorúmque pulsu obstrepebant, ne pueri vagitus audiretur. Cæterùm Saturno natum recèns filium deposcenti, Ops lapidem ostendit pannis involutum, eúmque suum esse partum dicebat; quem ille arreptum, continuò in ventrem abstrusit. Posthæc cùm Neptunum illa peperisset, eum quoque clàm Saturno educandum curavit. Tertiò denique enixa gemellos Plutonem & Glaucam, hanc rursus marito monstravit, illum autem abscondit. Verùm detecta tandem fraude, ubi Titan rescivit, fratri prolem masculam fuisse progenitam, suósque ea ratione pelli successione regni, unà cum filiis, qui *Titanes* à patre vocati, bellum adversùs Saturnum suscepit; cuius exitus is fuit, ut victoriâ potitus Titan, Saturnum, Opémque (Opim juxta quosdam) utriusque sororem in suam potestatem redactos muro incluserit, donec Jupiter adultus, devictis Titanibus, eos liberavit. Exinde Saturnus ab Oraculo didicerat, fore ut à filiis regno pelleretur, insidias Jovi struxit: sed hic iis deprehensis, patrem cælesti regno pepulit: Ille in Italiam profugit, ubi aliquamdiu apud *Ianum* regum antiquissimum latitavit: unde ea pars Italiæ *Latium* est dicta. Saturno regnante auream fuisse ætatem Poëtæ fabulantur, terrámque sua sponte, expertem vomeris & aratri peperisse fruges, communésque id temporis, & nullis distinctas limitibus, agrorum possessiones fuisse. Vide Symbolum 8.

Ethica.

I. (*a*) Saturni simulacrum antiquis pingebatur homo senex, calvus, prolixâ barbâ, curvus, tristis & pallidus, modò nudo, modò obvelato capite; dextram armabat falx, sinistra ferebat serpentem, qui mordicus caudam apprehendens, circuli figuram repræsentabat. Nihil horum mysterio caruit. (*b*) Per *Senem Tempus* designabant, inter res cæteras huius orbis antiquissimum: nam reliquis intereuntibus, Tempus manet. *Caput* modò obvolutum, modò detectum ostendit, multa tempore velari, ac velut oblivione obtegi; multa aperiri etiam tempore, quæ diu latuerunt. (*c*) *Barba* prolixa significat *Sapientiam*; nam juxta Thaletem, Tempus omnium est sapientissimum, quia cuncta reperit, eruitque. Eius filia est *Veritas*. (*d*) *Falx* illi velut ad res nascentes præputandas

(*a*) *Saturni simulacrum quid indicet.* (*b*) *Senex* (*c*) *Prolixa barba.* (*d*) *Falx.*

tandas tribuitur, cùm omnia tempore occidant & metantur. (e) *Serpens* orbicularis additur, quòd rebus pereuntibus, & tempora nova, & res aliæ in orbem, veluti perpetua revolutione succedant. Horatius de arte Poët:

---- ---- Mortalia facta peribunt;
Multa renascentur, quæ jam cecidere; cadéntque
Quæ nunc sunt in honore.

Serpens in se revolutus ideo quoque Temporis signum est, quòd tacitè proserpat, & nullo edito strepitu dilabatur; vel quòd annus seipsum fugiens, séque sequens instar serpentis in orbem glomeretur, ínque se ipsum redeat. Virgilius:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Item hoc Symbolo exprimitur æternitas, quæ instar circuli, principio caret & fine: nulla sui parte incipit, nulla definit. Extremum verò caudæ, serpentis ori inseritur, & occultatur, quòd tempora nobis incognita & incerta sint: *Præsens* quippe cùm instabile sit, & velocissimè transcurrat, vix percipitur; *Præteritum* intueri non possumus: *Futurum* longè minùs, quia nondum existit, & eius finis prorsus est incognitus. (f) *Lapidem* devoravit Saturnus, quia Tempus omnia consumit, etiam ferrum & lapides. Verè Poëta:

Septena quæ miracula
Jactabat antè mundus:
Septena sunt ludibria,
Et nobiles chimæræ.

Etiam (g) *clepsydra* imponitur Saturni vertici, & alæ junguntur humeris, quo significetur velocitas Temporis. Seneca

Volat ambiguis mobilis alis
Hora.

Et Maro:

Stat sua cuique dies: breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Et Ovidius 15. Metam.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen; neque enim consistere flumen,
Nec levis hora potest: sed & unda impellitur unda,
Urgetúrque eadem, veniens urgétque priorem.
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,

Et

(e) *Serpens.* (f) *Lapis pro cibo.* (g) *Clepsydra.*

Et nova sunt semper: nam quod fuit antè, relictum est,
Fitque, quod haud fuerat: momentáque cuncta novantur.

II. (*h*) Celebrata est illa Pittaci, unius è septem Græciæ sapientibus sententia: γνῶθι καιρόν, noveris tempus. Neque sine causa veteres *Opportunitatem* seu *Occasionem* divinitate donârunt. Eius deæ fuit hæc effigies: Virgo insistebat rotæ pennatis pedibus, séque ipsam in orbem celerrimo gyro circumagebat, priore capitis parte capillis longis hirsuta, posteriore glabra, ut illâ facilè prehendi queat, hac nequaquam; hinc versiculus:

Fronte capillatâ, pòst est Occasio calva.

Eius comes dicitur esse *Metanœa* seu *Pœnitentia*: nam semel elapsam frustra suspires, revocésque. Quapropter Theophrastus, Laërtio teste, semper in ore habebat, *nullum esse sumptum pretiosiorem tempore*. Egregiè de hoc argumento Seneca epist. 9. Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serva. Persuade tibi hoc sic esse, ut scribo: quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt: turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit. Omnia aliena, tempus tantùm est nostrum. Ad pretium Temporis indicandum Antiqui tres diei partes hoc modo repræsentabant. Tres virgunculæ, id est, *Horæ* ad cæli fores excubandi servant vices. Prima est *Aurora*, veste rubicunda, clepsamidion, quod fluere incipiat, tenens manu. Secunda *Meridies*, candido habitu, sciothericum, seu horologium *Solare* dextrâ præferens. Tertia, *Vespera*, spadicea veste, horologium rotatile gestans ponderibus devolutis. Qui sapit, labentes arenulas, fugientem umbram, rotularum devolutionem observat tempestivè. Seneca lib. 1. de benef. c. 3. Scribit, *Charites* sive *Gratias & Horas* (quæ occasionis sunt Symbolum) iisdem parentibus esse prognotas, scilicet Jovis & Eurynomes (nempe Themidis seu Pulchræ Legis) filias esse; *Horas* quidem Seniores, *Gratias* verò juniores: ut significarent Veteres, Gratias Horis, id est, occasioni quasi subesse, absque ea pendere, adeò ut dilationem non ferant, sed horis opportunis præstari debeant aut admitti. Siracides monet c. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni* (alii legunt, *boni diei*) *non te prætereat.* Græcè μερὶς ἐπιθυμίας ἀγαθῆς, particula boni desiderii, quasi dicat: In hac vita brevi quia curris ad æternitatem, cave ne ulla verorum bonorum cupido, tibi à Deo immissa, tuô vitiô cadat irrita & cassa.

(*h*) *Tempus & Occasio.*

(*i*) III. Saturnus, inquit Festus, inter veterrimos Italiæ deos colitur, qui frugum Repertor, quique eas gentes primus docuisse creditur fationes. Fuit autem antiquorum hominum tanta simplicitas, ut venientes ad se advenas (quemadmodum Saturnus ad Janum venit) qui modò consilio atque sapientia præditi ad instruendam vitam formandósque mores aliquid conferrent, quòd eorum parentes atque originem ignorabant, *Cælo & Terra* editos non solùm ipsi crederent, verùm etiam posteris affirmarent: velut hunc ipsum Saturnum, Cœli & Terræ filium esse dixerunt. Aurelius Victor de orig. gentis Rom. De Saturno Maro 8. Æneid.

Primus ab ætherio venit Saturnus olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiúmque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris:
Aureáque (ut perhibent) illo sub rege fuere
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.

En notas boni ac sapientis Principis in Saturno, de quo Justinus lib 43. Italiæ cultores primi Aborigines fuere? (quasi sine origine, quòd eorum majores nescirentur) quorum Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, nec quidquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia & indivisa omnibus fuerunt, velut unum cunctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum est, ut feriis Saturnalibus exæquato omnium jure servi cum dominis recumbant. Hæc ille.

IV. (*k*) Alii per Saturnum exprimi volunt tyrannum avarum, superbum, crudelem, qui in suummet sæviat sanguinem, gaudeátque aspergi subditorum cruore: qua de causa Carthaginenses usque ad excidium suæ urbis pueros ingenuos Saturno immolabant, autore Curtio de gestis Alexandri. Fingebatur ejus statua ærea, manibus porrectis; subea fornax succendebatur; puer brachiis insertus, dum lento ignis vapore contrahebatur & torrebatur, ridentis speciem exhibebat: tibiis interea & tympanis concrepantibus, ne ejulatus exaudiretur. Atque hoc ipsum est, quod alibi diximus pravæ educationis symbolum. Nam dum puer manibus, ut dicitur, gestatur, dum sinu fovetur, dum indulgenter nimis & molliter habetur, quasi ridendo & canendo suaviter in brachiis com-

(*i*) *Bonus Princeps.* (*k*) *Tyrannus.*

comprimitur, & quasi catulus simii amando suffocatur. De hoc idolo sæpius fit mentio in divinis litteris, & *Moloch* appellatur.

Saturnum quoque exprimunt, quicunque tyrannicè regnant, quales sunt turpissimi Mahometis sectatores, qui regnandi libidine, non aliter quàm lupi grassantur in fratres, filios, parentes.

Pulsus à Jove Saturnus, & catenis adstrictus in tartaro, ut aliqui poëtarum fingunt, indicat, justo denique talione pœnas dare sanguisugas, & crudeles innocentum oppressores.

V. (*e*) Sed quomodo sub Saturno sanctissima legum majestas, & vis æquitatis viguit, quod supra indicavimus, cùm ipse necando filios, ipsius naturæ vincula tam nefariè violârit? Respondens Mythologus lib. 2. c. 1. At illud, inquit, scire convenit, homines tunc simplices, non ad Saturni exemplum vivere solitos, sed ad legum ab ipso institutarum rationem. Semper enim fuit is regnantium furor, ut cùm vel filius, vel frater, vel conjunctus in aliquam suspicionem inciderit, corruant è vestigio omnia naturæ vincula, nec quidquam magis periculosum est, aut minùs constans, quàm regnantium amicitia. Huc accedebat, quòd homines in imperio constituti, severissimè cæterorum vitia puniant, quibus ipsimet sunt obnoxii, neque comites habere scelerum facilè patiantur. Quòd verò aureâ Saturni ætate, flumina lactis & nectaris fluxisse, damas cum canibus, oves cum lupis lusisse feratur; significârunt veteres, tunc temporis viros bonos, legum patrociniô tutos à sicariis & rei alienæ raptoribus fuisse, rectúmque magis sua sponte, quàm Principum ductu & exemplo coluisse.

VI. (*f*) Quòd autem Saturnus in exilio non tantùm ipse superbos & feroces spiritus deposuerit, sed etiam in genus humanum beneficus, sationem primus docuerit Italiæ incolas; docetur, rebus adversis mitigari ingenia aspera, & à *necessitate* bonas extundi artes. Hospitalitatis quoque præmium, insigne tulit Janus, dum fruges noviter inventas fertili segete messuit, & post mortem inter deos translatus est, templúmque habuit Romæ, à Numa Pompilio positum, quod tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur; unde *Patulcius* & *Clusius* cognominabatur. *Bifrons* etiam fuisse dicitur, quòd ætatis suæ prudentissimus præterita sciret, & futura prævideret. Vel etiam, quòd temporum Præses, annum aperiat & claudat. Vel, quòd Principi necessaria sit prudentia, quâ bello & pace pervideat, perpendátque, quid è re sit.

(*e*) *Non tam Rex, quàm lex pro exemplo habenda.* (*f*) *Janus bifrons, aut quadrifrons cujus rei Symbolum.*

Unde quidam Janum *quadrifrontem* fecere, quasi in quatuor mundi plagas oculos, animúmque vertentem; ne quid improvisum accidat, eveniátque. Sunt verò quatuor maximè partes *Prudentiæ*. 1. *Astutia* mentis, quâ rebus in dubiis cautum captatur consilium, & acutè dispicitur ac dijudicatur, quid bonum, quid malum, quid inutile, quid commodum sit. *Versutiæ* nomen assumit, cùm in malum, & varias simulationes se contulerit. 2. *Memoria*, quâ repetit animus, quæ fuerunt, ut ex præteritis sapiat. 3. *Intelligentia*, per quam perspiciuntur, quæ cuique rei tractandæ conveniant; cujus contrarium *Ignorantia* & *Socordia*. 4. Providentia, quæ futura spectat, maturè consilium capit vel bona persequendi, vel mala avertendi, aut æquo animo tolerandi. Plura possent de Saturno, ejúsque hospite Jano afferri, nisi redirent aliis locis, hîc dicenda. De Planeta, cui Saturno nomen, nihil attinet meminisse; cùm ejus natura, constitutio, circumvolutio, effectus magis pertineant ad Mathematicos & Physicos, quàm ad Poëtas & Ethicos, ad quos Symbola nostra referimus. Libet de Saturno falcato sene, & infantem devorante, breve carmen apponere:

Annorum dirus pater, Annorúmque necator,
Quæcunque ediderit Tempora, Tempus edit.
Magnorum largitor opum, largitor honorum,
Omnia quæ donat, devorat iste senex.
Heu quid opes, quid regna? tuum nihil est nisi virtus:
Hic vorat illa senex; hunc vorat ista senem.

SYM-

SYMBOLVM XCIII.

Iupiter, Rex Cælicolûm.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Apes ſymbolum regiæ dignitatis & beneficentiæ. 2. Simulacrum Jovis, fulmen, aquila, notæ boni Principis. 3. Cur etiam innocentes feriantur fulmine. 4. Aquila Symbolum regium. 5. Clementia regentium. 6. Pſeudopoliticæ ſeveritas. 7. Malum Principis exemplum.

OPis & *Saturni*, ut diximus, Jupiter fuit filius, eodem cum Junone partu editus, & à matre, clàm marito, commiſſus *Curetibus* ſeu *Corybantibus*, è Phrygia in Cretam profectis, educatus eſt in montis antro, cui nomen *Dicte*, quem montem poſtea Corybantes, ab appellatione relictæ ſedis in Phrygia, etiam *Idam* nominârunt. Erant hi Sacerdotes *Cybeles* ſeu *Rheæ* aut *Opis*, qui ſpiritu afflati entheo, tumultuoſa armorum agitatione, cum ſtrepitu, fragore, cymbolis, tympanis, tibiis, vociferatione in ſacrificiis uti ſoliti ſunt, ut præſentes perterrefacerent, deæque reverentiâ ac metu implerent. Dicti ſunt Corybantes à Corybante, Jaſonis filio, qui primus ea ſacra in Phrygia inſtituit. Κούρητες ſeu *Curetes* vocabantur, vel ἀπὸ τῆς κουρᾶς, hoc eſt, à tonſura; anteriorem enim capitis partem detonſam geſtabant, ne hoſtes, eos cæſarie apprehendere & violare religionem poſſent; vel ἀπὸ τῆς κουροτροφίας, à nutritione pueri, eò quòd Jovem aluiſſe dicantur. Hi igitur ſacrificuli pulſu ac ſtrepitu concrepabant, ne vagitum pueri Jovis exaudiret Saturnus. Ferunt apes ſecutas ſonitum Curetum, advolâſſe ad cunas, Jovémque paviſſe, uti canit Virgilius 4. Georg.

Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam, pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiáque æra ſecutæ
Dictæo cœli regem pavere ſub antro.

In illius prœmium nutricationis, admirabilis eſt apibus collata indoles; extárque ejus beneficii memoria etiam in colore aureo, in quem mutavit

mutavit eas Jupiter, cùm priùs essent ferrugineo. Alii referunt, *Amaltheam* & *Melissam*, Melissi Cretensium regis filias, Jovem puerum lacte & melle nutrivisse: unde, cùm adolevisset Jupiter, capræ pellem ad perpetuam rei memoriam scuto suo accommodavit, & ob lactis acceptum beneficium, inter astra *Capram* retulit, scutúmque Jovis, & exinde etiam Palladis, *Ægis* à Græcis scriptoribus vocatum est, nam αἴξ capram significat. Hinc Jupiter ipse dictus est *Ægiochus*, id est, habens ægida, quam induit & concutit, *cùm cœlum tonat omne tumultu*;

Et pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorquet.

Nutricibus verò præmium officii alterum Capræ cornu donavit, cum adjecta facultate, ut quidquid is optaret, qui illud haberet, sive cibus desideraretur, sive potus, continuò ex eo nasceretur. Cæterum Jupiter ætate provectior cùm cognovisset, etiam tunc patrem vitæ suæ insidiari, regno eum cœlesti pepulit, Mundíque imperium cum fratribus *Neptuno* & *Plutone*, sorte divisit. Ac Jovi quidem cœli & terræ, Neptuno Maris, Plutoni inferorum regnum obtigit. Vetus ea de re distichon:

Jupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto
Regna paterna tenent: tres tria; quisque suum.

Junonem deinde sororem suam Jupiter duxit uxorem, quæ ei *Vulcanum* peperit, de quo inferiùs. Neque verò Jupiter, regno per vim potitus, insidiatoribus postea caruit: de qua re in Gigantomachia egimus. Nam regna scelere parta, sine metu non possidentur: Et ausi postea sunt facere homines, quod exemplo docuit Deus.

Ethica.

I. (*a*) Apes in ore Jovis infantis mellificantes, sunt Symbolum benignitatis, affabilitatis, beneficentiæ; quæ virtutes regem, qualis erat futurus Jupiter, comprimis decent. De Josia, Rege Hebræorum longè optimo memorat Ecclesiasticus c. 49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarii: In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria.* Mel etiam sapientiæ Symbolum est, de quo Prov. 24. *Comede fili mi mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo: sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cùm inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit.* Id est, consequêris ea suo tempore, quorum jam prognostica

(*a*) *Apes symbolum regiæ dignitatis & beneficentiæ.*

prognostica in infantia præcesserunt. De Platone Val. Max. lib. 1. c. 6. Apes inquit, æternæ felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis parvuli ori mel inserendo. Hieroni quoque, postea Siciliæ Regi, jussu patris exposito, propterea, quòd ex ancilla natus esset, apes in os mella ingesserunt. Quô ostentô pater ab aruspicibus admonitus, filium recepit, moribúsque & disciplinis erudiendum curavit, per quas postea ad prænonstratam Regni majestatem facilè pervenit. Plin. lib. 11. cap. 5. Apis etenim regiæ dignitatis Symbolum est: nam apum Rex vel aculeo caret, vel eum ad offensionem minimè exerit, præcipua regis virtus clementia. Hinc emblema: Rex apum coronatus inter apes circumvolantes, cùm inscriptione: *Majestate tantùm.*

II. (*b*) Simulacrum Jovis olim effingebatur, Rex in throno eburneo sedens, *sceptrum* sinistrâ, *fulmen* dextrâ tenens, *Gigantes* pedibus substernens, juxtà *Aquilâ*, Ganymedem puerum alis sustinente. (*c*) Quô significatur, supremum cœli regem, æquissimum esse judicem, improbos sententiâ mortis fulminantem, probos ad cælum extollentem. Fulmen, perpetuum Jovis gestamen, ut Pierius loquitur, regiam potentiam & majestatis reverentiam denotat. Quid enim validius ad penetrandum, dissipandum, conterendum? Apelles Alexandrum cum fulmine pinxit, ob victorias, famámque celerrimè per ultimas terrarum oras propagatam. Et Scipiadæ dicti sunt *fulmina* belli, ob militarem fortitudinem. Fulmen per nubes prorumpens, cum lemmate: *vim viribus*, nempe perfringo & repello. *Divûm pater, atque hominum Rex*, Jupiter appellatur à Poëtis, qui cuncta supercilio suo movet,

Divósque, mortalésque turbas
Imperio regit unus æquo.

De cuius majestate Maro 10. Æneid.

Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit: eo dicente deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus æther.
Tum Zephyri posuere, premit placida æquora pontus.

Notandum est illud eiusdem Poëtæ:

-------- Rex Jupiter omnibus idem.

Æquissimus scilicet, & sine partium studio: nullo pauperis & divitis, nobilis & ignobilis discrimine. Pertinet hoc ad sapientiam & justitiam Principis. Id quod Jupiter ostendit in judicio, in quo Venus hinc filia, inde soror & uxor Juno disceptârunt, Æneid. 10. ubi professus est,

(*b*) *Simulacrum Jovis.* (*c*) *Fulmen, aquila.*

se *Trojanis*, *Rutulisque* (pro his enim Juno, pro illis stabat Venus) eundem futurum. In eadem controversia Dearum suos Jupiter affectus insigniter temperavit ac texit, fecitque, quod de Ænea canit idem Poëta.

Spem vultu simulat.

Tiberius Cæsar, ut Xiphilinus est auctor, dictitabat, Principis animum nemini cognitum esse oportere: qui proinde sic affectus suos occultò tenebat, ut quæ cupiebat, nunquam ferè diceret, & cum oratione eius mirè pugnaret voluntas ac desiderium. Detestabatur, quod expetebat maximè; & quod oderat, dissimulabat. Irascebatur nulla re conturbatus: iratus tranquillissimo, æquissimóque animo esse putabatur: Hæc ille. Jupiter certè etsi non ignorabat, quæ fata Latinos essent pressura; ita tamen animi sui sensa dissimulavit, ut nasutissimæ deæ eius consilia odorari non possent. Noverunt hanc artem, quicunque Politicen noverunt.

III. (*d*) Sed ad fulmina tonantis redeamus, & Senecam audiamus, Natural. quæst. lib. 2. c. 42. ac seq. Quid tam imperitum est, inquit, quàm credere fulmina Jovem è nubibus mittere, columnas, arbores, statuas suas nonnunquam petere, ut impunitis sacrilegis, percussis ovibus, incensis aris, pecudes innoxias feriat; & ad suum concilium à Jove deos, quasi parùm in ipso consilii sit, advocari? illa læta & pacata esse fulmina, quæ solus excutiat: pernicioſa, quibus mittendis major Numinum turba interfuerit? Si quæris à me, quid sentiam, non existimo tam hebetes fuisse, ut crederent Jovem, aut non æquæ voluntatis, aut certè minùs paratum esse. Nam cùm emisit ignes, quibus innoxia capita percuteret, scelerata transiret, utrum putas? an noluit justiùs mittere, an non successit? Quid ergo secuti sunt, qui hoc dicebant? Ad coërcendos imperitorum animos, sapientissimi viri judicarunt, utile esse, in tanta scelerum audacia, etiam innocentiam metu percelli.

IV. (*e*) Nunc quid *Aquila*, quæ Jovi arma in gigantes pugnanti subministravit, unde & *armiger* ales dicta est, symbolicè doceat, exponamus. Oculis aquilinis, longissimè aciem porrigentibus, quis nescit maximam inesse perspicacitatem? Pertinet hoc ad reges, Principes, magistratus, oculos ut mentis acriter intendant, & quæ prodesse ac obesse possint, procul prospiciant. Aquilæ pullos ad solem explorare feruntur, & nido deturbare, tanquam degeneres, qui nictantibus eum oculis intuentur. Est hic genius altarum mentium: fortes creantur fortibus, nec progignunt generosæ aquilæ imbelles columbas, nascuntur quidam ad sceptrum; alii

(*d*) *Cur innocentes quoque feriuntur fulmine?* (*e*) *Aquila Symbolum regium.*

alii ad ſtivam. Aquilæ, teſte Pierio lib. 19. alites ſunt, unde regnorum auguria ducuntur. Aquila C. Mario conſulatum præſignificavit: Octaviano Cæſari panem de manu abſtulit, Romanum imperium dedit. Supra Alexandri M. caput placidè volitare viſa, victoriarum præſagium fuit. Mentionem aquilæ facit Ezechiel c. 17. *Quæ magnarum alarum & longo membrorum ductu venit ad Libanum, & tulit medullam cedri &c.* ſcilicet Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum Proceres & nobilitatem Judaicam in captivitatem abduxit Babylonem: Ungues aquilæ rapinam, alæ celeritatem, varietas & copia plumarum numerum & varietatem nationum in exercitu Chaldaico, corporis moles, robur & potentiam ſignificant. Eiusmodi Aquilæ omnibus ſæculis quatuor mundi plagas circumvolarunt, & rapinas egerunt. Quales olim Romani fuere, qui pro Symbolo pinxerunt *Aquilam fulmini inſiſtentem*, oſtendentes, Romanum imperium armis partum, armis conſervari. Idem ipſorum ſigna ac vexilla militaria, aquilam præferentia, loquebantur.

V. (*f*) Sed mitior cæteris Auguſtus Cæſar, in inſignibus Aquilam habuit ſuper quernam coronam inter duas lauros ſtantem: quod erat profiteri, ſe imperio, victoriisque ad civium defenſionem uſurum. Carolus V. & Maximilianus II. Auſtriacus in Symbolis expreſſerunt Aquilam fulmini inſidentem, cui ramus olivæ additur, cum lemmate: *Temperata durant.* Antoninus Pius, Imperator optimus fulmen in toro ſeu pulvinari collocavit, in ſignum clementiæ, cuius fama ante omnia Principi colligenda. Supplicium & acerbitas vel mitiſſimos animos exaſperat; animalium ferociſſima blandiendo cicurantur. Philippus Rex Macedonum, cùm ſubactis Græcis quidam autores eſſent ei, ut civitates præſidiis contineret, ne deficerent: Malo, inquit, diu bonus & commodus, quàm brevi tempore ſeverus dominus appellari. Nihil enim violentum eſt diuturnum. Nihil pulchrius, ait Seneca lib. 2. de clem. c. 3. in faſtigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere. Conſonat Ovidius:

Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox,
Et doleat, quoties cogitur eſſe ferox.

Idem alibi:

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Sapientiſſimè Hebræus Rex: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementiâ thronus eius.* Prov. 20. Alexander verò Magnus impe-

(*f*) *Clementia regentium.*

imperium suum hac virtute stabilivit ; quæ tanta in eo fuit , ut Darius Persarum Rex manus ad cælum tendens precaretur : *Dii patrii primùm mihi stabilite regnum ; deinde , si de me jam transactum est , precor , nequis potiùs Asiæ Rex sit , quàm iste tam justus hostis , tam misericors victor.* Curt. lib. 4. c. 26. Alexandro par Julius Cæsar , rerum potitus , statuas Pompeij dejectas , honorificè reposuit. Tum Cicero , Cæsar , inquit , dum Pompeii statuas reponit , suas stabilit. Plut. in Apophth. Sapienter Sallustius in bello Jugurthino : Non exercitus , neque thesauri præsidia regni sunt , verùm amici , quos neque armis cogere , neque auro parare queas ; officio ac fide parantur.

VI. (*g*) Errant ergò Pseudopolitici & Machiavellistæ , quorum hæc sunt principia & axiomata , quæ Principibus instillant : *Subditos preme , ne rebellent : eos tributis aggrava , ut eorum paupertate te dites & roberes : metu eos opprime : oderint , dum metuant. Eis vires , opes , & animos adime , ut servos tibi facias & mancipes : arcibus urbes doma , ut semper sint sub fulmine.* Vidit meliora , docuitque Seneca , Neronis præceptor , qui ad eundem scribens lib. de Clement. Non est opus , inquit , latera montium abscondere multiplicibus muris , ac turribus sepire : salvum regem clementia in aperto præstabit ; crudelitas hostes multiplicat. Obsecutus huic monito Nero , initio imperii , cùm rei cuiusdam capitis damnati sententiæ subscribendum esset , exclamavit : *Vtinam nescirem litteras !* Felix , si media & ultima primis respondissent. Theodosius Junior rogatus , cur neminem eorum , à quibus lædebatur , mulctaret , respondit : *Vtinam liceret mihi & mortuos ad vitam revocare !* Alphonsus Arragonum Rex nimiæ lenitatis insimulatus , dixit : *Malo multos meâ clementiâ & mansuetudine servare , quàm paucos mea severitate perdere.* Egregiè hoc , & ad genium Austriacæ gentis , quam in suam potentiam & tot regna laus clementiæ provexit. Malus custos diuturnitatis est metus ; benevolentia valet ad perpetuitatem. Qui se volunt metui , necesse est , ut ipsi metuant quàm plurimos. Metuatur ergo Jupiter *Tonans , Fulminans , Vltor ;* sed magis colatur & ametur Jupiter *Custos , Conservator , Opitulator* , unde nomen habet , scilicet à *juvando.*

VII. (*h*) Sed quid ? Jupiter Rex Divûm , hominúmque , ut libidini serviret , in varias animalium formas abiit. Quis hoc de summo deo vel ausus est credere , vel fingere ? Poëtæ. Senecam audiamus c. 26. de vita beata. Sic vestras hallucinationes (imperitos philosophiæ Stoicæ alloquitur) fero , quemadmodum Jupiter Optimus , Maximus ineptias

(*g*) *Pseudopoliticus error , nimia severitas.* (*h*) *Exemplum malum Principis.*

ineptias poëtarum; quorum alius illi alas impoſuit, alius cornua: alius, adulterum illum induxit & abnoctantem: alius ſævum in deos, alius iniquum in homines: alius raptorem ingenuorum, corruptorémque, & cognatorum quidem: alius parricidam, & regni alieni, paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum eſt, quàm ut pudor hominibus peccandi demeretur, ſi tales deos credidiſſent. Sapienter hæc & verè. Eiusmodi nequam fuit, de quo S. Auguſtinus lib. 2. de civit. c. 7. Flagitioſus adoleſcens ſpectabat fabulam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Jovem quo pacto Danaës miſiſſe ajunt in gremium, aureum imbrem. Atque ab hac tanta autoritate adhibet patrocinium turpitudini ſuæ, cùm in ea ſe jactet imitari deum. Deſcribit Nebulonis illius verba Terentius, in Eunucho ita loquentis:

Suſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaës miſiſſe ajunt quondam in gremium, imbrē aureū.
Egomet quoque id ſpectare cœpi. Et quia conſimilem luſerat
Jam olim ille ludum, impendiò magis animus gaudebat mihi,
Deum ſeſe in imbrem convertiſſe, atque per alienas tegulas
Veniſſe, clàm per impluvium, fucum factum mulieri.
At quem deum? qui templa cæli ſumma ſonitu concutit:
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò feci, ac lubens.

En quid exempla poſſint, etiam afficta magnis auctoribus: habet enim hoc primum magna fortuna, ait in Panegyrico Plinius, quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: Principum verò non modò domos, ſed cubicula ipſa, intimósque ſeceſſus recludit, omniáque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat. Quò ſpectat Juvenalis illud:

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Eſſe ſolet, quantò major, qui peccat, habetur.

Et alius: Principes nunquam Soli peccant; plurimos trahit exemplum. *Neronis* profectò temulentia tantùm ad imitationem valuit, ut Roma ex urbe in popinam abiiſſe videretur. Libido, *Heliogabalo* autore, ſic crevit, ut ne Philoſophi quidem turpiſſimis voluptatibus intacti eſſent. Sævitia, *Commodo* gladiatorem agente, ita in mores hominum manavit, ut ipſæ feminæ gladiatorio cultu, & verò etiam audaciâ, in arenam procederent. Claudianum audi:

Scilicet in vulgus manant exempla Regentum:
Utque Ducum lituos, ſic mores Caſtra ſequuntur.

Cæterum meritò rident Arnobius & Lactantius superstitiosos gentilium deos, quorum turpissima flagitia ipsorummet cultores promulgant & decantant. Re ipsa discimus ex Jove, in varias sese formas, fœdæ libidini explendæ vertentem, hominem huic vitio deditum, bestiarum affectus & figuras animo induere. Psaltes regius pronuntiat: *Homo cùm in honore esset* (hoc est, dignitate proximè ad Deum accederet) *non intellexit* (nobilitatem suam) *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* (obbrutuit concupiscentiis obsequendo, & mores belluinos sequendo.) Diceres hominem rectæ rationi obtemperando, & suas cupiditates in officio continendo, quasi quendam in cœlo Jovem esse: quam dignitatem quia brutis libidinibus subjecit, cum Jove in varias turpitudines, hoc est, bestias, & pudenda dedecora abiisse. Sed de hac transformatione alibi. Satis de Jove; ad Neptunum convertamur.

SYMBOLVM XCIV.

Neptunus, maris Deus.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Vigilantia Principis. 2. Fortitudo Principis. 3. Prudentia. 4. Justitia. 5. Severitas cum clementia. 6. Auctoritas. 7. Indulgentia nimia. 8. Prudentia militaris. 9. Sapiens magistratus. 10. Triplex mare, in quo jactamur.

Filius, quod diximus, Saturni & Opis, Jovis frater erat Neptunus, quem cùm parvulum genitor devorare vellet, mater puerum in ovili absconditum, opilionibus inter agnos educandum tradidit: ejúsque loco pullum equinum fasciis involutum, quem se peperisse simulabat, Saturno deglutiendum obtulit. Hic in orbis totius divisione, maris regnum obtinuit; unde Deus est aquarum; & dicitur quasi *Nantunus*, à nando, ut vult Cicero lib. de nat. deor. Tribuitur ipsi sceptri vice *Tridens*, ferramentum tricuspidatum, idque ob tres orbis Terrarum (nam quarta posteriùs est inventa) partes, quas oceanus ambit.

Vel

Vel quòd triplici polleat poteſtate ſeu facultate, ſcilicet *tollendi* æquoris, & *placandi*, & *ſervandi*. Vel quia *dulcibus*, *ſalſis*, *mediocribus* aquis (quales ſunt lacuſtres) imperet. Vxorem habuit *Amphitriten* (nomen hoc ab ἀμφιτρέβειν, hoc eſt, à circumterendo, quòd mare terram undique terat, & lancinet) multarum Nympharum matrem. Sunt autem Nymphæ deæ marinæ, quæ vocantur *Nereides* à *Nereo* & *Doride*, Neptuni filio & filia ſic dictæ; Nympharum aliæ vocantur *Naides*, vel *Naiades*, quæ ſunt fontium & fluviorum præſides (νάειν enim fluere ſignificat) & dulcibus immorantur aquis. Una ex præcipuis maris deabus *Thetis* eſt (ſeu Tethys) quam aliqui Nerei & Doridis filiam dicunt, uxorem *Oceani*, vel ipſius etiam Neptuni, ſcilicet ſecundariam. Ampliſſima eſt dei hujus familia, ſive mares ſpectes, ſive feminas, quos recenſet mythographus lib. 2. c. 8. Nos ex Poëtis notiores memorabimus. Chorum ducit grandævus *Glaucus*, de quo Maro. 5. Æneid.

Et Senior Glauci chorus, Inoúsque Palæmon,
Tritonésque citi, Phoreíque exercitus omnis,
Læva tenens Thetis, & Melite, Panopeáque virgo,
Niſæe, Spióque, Thaliáque, Cymodocéque.

Primo Æneid. mentio fit Nymphæ *Cymothoës*, ita dictæ, quòd per fluvios diſcurrat. Lib. 10. meminit poëta *Cymodoces*, vel *Cymodoceæ*, quæ fandi doctiſſima. *Panope*, vel Panopea nominatur à perſpicuitate visûs. *Niſæa* παρὰ τῶ νέω, à natando. *Spio* à ſpeluncis marinis, nam σπεῖον ſpecus. *Melite* à dulcedine. Glaucus porrò piſcator erat, is cùm piſces captos in ripa explicuiſſet, ii ſubitò contactu cujusdam herbæ ſe colligentes, in fluvium proſilierunt. Admiratus Glaucus herbæ illius vim, cùm eam & ipſe deguſtaſſet, piſces ſecutus, in aquam inſiliit, marísque Deus factus eſt. *Triton* eſt tubicen ſeu buccinator Neptuni, qui conchâ ſeu cochleâ marina tortili perſonat æquora. Hujus ſuperior pars corporis ad umbilicum usque fuit hominis: at inferior usque ad caudam, delphini: duos pedes priores equinos habuiſſe dicitur, caudámque duplicem in lunæ formam: vehíque in curru ab equis cœruleis tracto. Fabulantur, inventam ab ipſo concham, & ad bellum allatam, quod ſuſceptum eſt adversùs Gigantes, quam cùm inflâſſet, & inauditum antehac ſonum edidiſſet, illi immanem aliquam belluam ac formidabilem rati, ſe in fugam verterunt, facilémque diis victoriam conceſſere. Tritonis habitum & officium eleganter deſcribit Ovidius lib. 1. Metam.

------- poſitóque tricuſpide telo
Mulcet aquas Rector pelagi: ſupráque profundum

Exſtantem

Exſtantem, atque humeros innato murice tectum
Cœruleum Tritona vocat; conchámque ſonacem
Inſpirare jubet: fluctúsque & flumina ſigno
Jam revocare dato. Cava buccina ſumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ medio concepit ut aëra ponto,
Littora voce replet ſub utroque jacentia Phœbo.
Tum quoque ut ora dei madidâ rorantia barbâ
Contigit, & cecinit juſſos inflata receptus,
Omnibus audita eſt telluris & æquoris undis:
Et quibus eſt undis audita, coërcuit omnes.

De eodem Claudianus in nuptiis Honorii

------- prorumpit gurgite torvus
Semifer: undoſi velabant brachia crines:
Hiſpida tendebant bifido veſtigia cornu,
Quà piſtris commiſſa viro.

Et Virgilius lib. 10. Æneid.

Hunc vehit immanis Triton, & cœrula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert, in priſtrin deſinit alvus.
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.

Inter deos marinos etiam *Proteus* cenſetur, de quo Symb. 48. qui cete, phocas, balænas, & cætera Neptuni pecora paſcit. *Phorcus*, ſeu *Phorcys* aut *Phorcyn* Neptuni filius, aquis & ipſe imperat, tanta numeroſitate populi aquatici, ut Virgilius Nympharum ejus comitatum appellet exercitum. *Ino* quoque Numen eſt pelagicum, quæ cum filio ſuo *Melicerta* in æquor ſe præcipitavit, & ex homine migravit in deam, & nominata eſt *Matuta* vel *Leucothea*. Melicerta verò in deum marinum converſus eſt, *Portunum* nomine, quòd portubus præſideat; Græcis *Palæmon* dicitur, nam λιμὴν portum ſignificat. De hoc Maro lib. 10. Æneid. deſcribens certamen navale, in quo Cloanthus à diis marinis adjutus eſt.

Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit: illa noto citiùs, volucríque ſagitta
Ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.

Atque ut ad Neptunum redeamus; ejus in æquoreo regno potentiam præ cæteris illuſtriùs depingit Latinus Homerus 5. Æneid.

Jungit

Jungit equos curru genitor, ſpumantiáque addit
Frena feris, manibúsque omnes effundit habenas,
Cœruleo per ſumma levis volat æquora curru:
Subſidunt undæ, tumidúmque ſub axe ſonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi.

Idem 1. Æneid. graviter increpat ventos in mari tumultuantes;

Jam cœlum, terrámque meo ſine numine, Venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus.
Pòſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetis:
Maturate fugam, regíque hæc dicite veſtro:
Non illi imperium pelagi, ſævúmque Tridentem,
Sed mihi ſorte datum.

Quid ſequitur?

Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat,
Collectásque fugat nubes, ſolémque reducit.

Jugales Neptuni ſunt *equi marini*, quos *hippocampos* vocant, qui cùm priores pedes habeant, poſterioribus careant, pontum legunt natando, teſte Papinio lib. 1. Achill.

------- & triplici telo jubet ire jugales.
Illi ſpumiferos glomerant à pectore fluctus,
Pone natant, delentque pedum veſtigia caudâ.

Iidem finguntur à Platone in *Critia*, alati, quò alluſit Maro loc. cit.

Atque rotis ſummas levibus perlabitur undas.

Apuleius lib. 4. Neptunum invehit delphino maria ſulcantem; alii conchæ inſiſtentem, & ante ſe equos agentem inducunt. Non ſolùm autem Neptunus, ſed & alia marina Numina finguntur hippocampis & delphinis liquidos percurrere campos, Plinius lib. 35. c. 5. Nereides exprimit ſupra delphinos, & cete, & hippocampos ſedentes. Idem aſſerit Virgilius de Proteo lib. 4. Georg.

------- magnum qui piſcibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

Et Tibullus de Thetide:

Vecta eſt frenato cærula piſce Thetis.

Hæc de Neptuno, & diis æquoreis. nunc ad mores.

Ethica.

I. (*a*) Neptunus inter fluctus & procellas sceptrum tenens, undísque & ventis imperans, repræsentat potentiam regiam, subditos pro imperio compescentem; & si orta sit seditio, auctoritate sua reprimentem. Hujus rei paradigma proponitur à sapientissimo poëtarum. 1. Æneid. Ibi námque ostendit Neptunus maximam vigilantiam, quæ maximè in Principe requiritur, in eo præsertim dominatu, quem frequentes sive popularium, sive exterorum insultus incursant. Maturè Neptunus sensit commotam tempestatem in regno suo: ipse, inquam, sensit, non per suos, sed per suammet vigilantiam. *Ipse alto prospiciens caput extulit undis.* Ipse vidit Æneæ classem disjectam toto æquore: ipse vidit Troas oppressos fluctibus, cœlíque ruina.

II. (*b*) Notandus est animus Neptuni imperterritus ad profligandum & sedandum tumultum. Poëta canit:

------ graviter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.

Quomodo placidum & imperturbatum in tam horrenda tempestate?

------ tolluntur ad æthera fluctus,
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus; insequitur cumulo proruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.

Quid hîc maris Deus?

Emisámque hiemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis.

Hæc omnia suis oculis aspexit regnator aquarum: non ideò tamen vel animos demisit, vel caput in undas subduxit; sed constanti gravitate perstitit, & ante omnia, quis tantos fluctus concitâsset, inquisivit, ut in radice malam opprimeret herbam, & in capite secaret hydram, maxima pars medicinæ est, morbi cognovisse causam. Ergo sequitur

III. (*c*) Prudentia & sagacitas investigandi turbarum originem. Quænam illa? Poëtam audi:

Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ.

Juno inquam, Juno Neptuni soror æquorea regna turbavit; nimirum

------- manet alta mente repostum.
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ.

Odium,

(*a*) *Vigilantia Principis.* (*b*) *Fortitudo Principis.* (*c*) *Prudentia Principis.*

Odium, quod in Paridem Trojanum concepit, in totam gentem effudit. Tota irarum causa *fastus*, quo inflata, concoquere non potuit sententiam illam Paridis, quam in trium dearum, pro formæ prærogativa disceptantium, pro Venere contra Junonem & Palladem tulit. Mira res! femina tantò plerumque est nocentior, quantò imbellior. Scimus, quantæ sæpe calamitates in provincias ab hoc sexu invectæ sint, aut invehendæ fuissent, nisi providentia gubernantium imminens exitium avertisset. Quas turbas dederunt in Francia Brunehildis & Fredegundis? Quas in Judæa Attalia & Alexandra? quas in Ægypto Cleopatra? quas in Bohemia Drahomira? quas in Germania mater Caroci, aliæque alibi?

IV. (*d*) Neptunus post deprehensam primariam concitationis causam, quæ Juno fuit, in adjutores ejus tempestatis vigilem oculum conjecit. Et hi quidem fuerunt Venti. Quid igitur? an lentè aspexit tumultuantes in regno suo? minimè gentium. Ne morâ cresceret periculum; turbulenta capita in jus accersiit; præ aliis

Eurum ad se, Zephyrúmque vocat.

Et ad meritas pœnas deposcit; sed mox severitati miscet clementiam, nam

V. (*e*) Pro pœna eos acerrimè increpat, & ad Æolum Regem suum exterminat, cum gravissima interminatione, si rediturì essent. Quanta vis in verbis istis:

Tantáne vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum, terrámque meo sine numine Venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego &c.
Post mihi non simili pœna commissa luetis.

En quo verborum pondere tumidos Ventorum spiritus deprimit: quomodo retundit audaciam è confidentia generis haustam, erant enim *Astræi* gigantis, & *Auroræ* filii. Et cùm pater unus ex illis fuerit, qui ex *Tellure* orti, arma superis impia moverunt, quam sibi fiduciam sumerent ad regnum alienum invadendum pessimo genere orti? Exagitationi addit minas, ut sciant, quem læserint, & cui vires suppetant ad ultionem de maleficiis expetendam.

VI. (*f*) Apparet summa imperantis auctoritas. Nam cùm dixisset, *maturate fugam*, ocyùs illi se proripuerunt, marique rediit tranquillitas. Quibus rebus exprimitur, quâ prudentiâ, fortitudine, & potestate præditos esse oporteat magistratus supremos, si quid turbetur

(*d*) *Iustitia Principis.* (*e*) *Severitas cum clementia.* (*f*) *Auctoritas Principis.*

in Republica; quàm industrios, vigilantes, & efficaces illos esse par sit, *ne cunctando magis perdant rem, quàm restituant.* Certè Neptunus festinabat opprimere tumultuum excitatores, unde pernicibus labitur rotis,

Currúque volans dat lora secundo.

VII. (*g*) Jubet Æolo ventorum regi renuntiari Neptunus, ut de cætero suos ipse ventos meliùs in carcere frenet, & aliena regna ne inquietet. Subditorum quippe scelera imputantur regentibus: & fit alienæ reus noxæ, qui, cùm possit impedire malum, & debeat, tamen connivet & dissimulat. Ubi locus illi juris regulæ: Censetur ipse facere per se, quod facit per alios.

VIII. (*h*) Neptunus tanquam Rex potentior monere videtur Æolum, ne causam præbeat graviori bello, cùm desint vires resistendo. Requirit enim justitia, ne sumantur arma sine necessitate: neque inferantur, nisi denuntiata. Et unde bella, nisi ex cupiditate invadendi aliena? Si quisque sua contentus sorte viveret *Pax alma bearet mundum.* Unde ejusmodi turbatoribus ingerendum, quod Neptunus Æolo nuntiari mandavit:

------ tenet ille immania saxa
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Claudant, inquam, ventos, seu ventosos ambitionis & avaritiæ spiritus; tunc & ipsi quiescent, & alios quiescere sinent.

IX. (*i*) Per Neptunum insuper exprimitur fortis & intelligens reipublicæ gubernator, qui ad clavum sedet, navimque flectit, ac reflectit, perque fluctus & procellas salvam expedit. Nam quid aliud est tot provinciarum, cætuúmque hominum in mundo varietas, quàm mare, variis populorum moribus ac motibus agitatum ac fluctuans? Igitur Neptuno, hoc est, Navarcho & gubernatore solerti & prudenti indiget, qui rempublicam, velut ingentem populorum navim, in æquore vasto moderetur & regat, ut scilicet inter cives pax & concordia constet; ut vicini vel amici sint, vel subditi; ut schismata, seditiones, conjurationes, hæreses, pravi mores caveantur, tollantur, opprimantur. In hoc mari *Anchora* est Religio, *funes* sunt Leges, *vela* sunt Sortes & Opes civium, quæ vento secundo, id est, fortunæ faventi permittenda, adversâ constringenda. De Neptuno, Ventos tempestatis concitatores reprimente elegantem similitudinem inducit Poëta, à gubernatione reipublicæ desumptam: Ac

(*g*) *Peccatum indulgentia in Principe.* (*h*) *Prudentia polemica.* (*i*) *Sapiens magistratus.*

Ac veluti magna in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sævítque animis ignobile vulgus,
Jámque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectísque auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Mira vis eloquentiæ cum probitate conjunctæ, præsertim in magistratu. Hac Tullius Catilinæ furorem repressit. Hac Quintius Consul Rom. impetum & contentionem sustulit, cùm adversùs Appium, concitante Lectorio tribuno, plebs cum vociferatione & corporum protrusione, manuum rixa, & jactu lapidum sæviret. Hac M. Popilius Consul ejusdem plebis tumultum contra patres sedavit. Hac Pericles sedi-tiosam concionem non semel compescuit & pacavit. Atque ut in mari pisces minores devorantur à majoribus (nam teste Aristotele lib. 9. hist. animal. c. 2. ineunt prœlium pisces majores contra minores: major enim quisque & robustior, minorem deglutit.) Ita solet accidere in republica: infirmiorem opprimit potentior; minor fit præda majori. Quod ne fiat opus est providentiâ, vigilantiâ, & auctoritate Neptuni seu Præsidis bonum publicum curantis, & justitiam fortiter propugnantis.

X. (*k*) S. Basilius homil. 12. in illum Prov. locum c. 1. *Intelligens gubernacula possidebit.* Triplex assignat mare allegoricum. *Primum*, ait, est hoc sæculum, in quo fortunæ lusus dominatur, dum instar fluctuum hos extollit, illos deprimit. In hoc mari navis est quilibet homo, & hominis sors prospera vel adversa. *Secundum* mare est cor humanum, quod diversissimis affectibus, cogitationibus & desideriis, velut mare æstibus assiduè agitatur, fluctuat, effervescit. In hoc mari navis est ipsa mens & voluntas. *Tertium* est vitæ cursus, viáque, quâ pergimus in cœlum, quam obsident dæmones, quasi piratæ; ut navim cum mercibus, id est animam cum bonis operibus prædentur vel mergant. Hæc S. Basilius. Et verò, ubi primùm nati sumus, huic mari committimur, per tot undas vehendi, quot dies ætatis: per tot fluctus & procellas volvendi, quot horæ fluunt & momenta. Pauci ad desideratæ felicitatis portum appelluntur. Nam sicut in procelloso pelago ab omnibus elementis timenda sunt pericula: *aër* ventis commovet fluctus: *terra* naves vel impingit scopulis, vel atterit salebris, vel retinet vadis: *ignis* in naves fortè conjectus tenacissimè hæret, eásque magno cum fragore disiicit: *aqua* vectores nunc ad cœlum attollit, nunc ad

(*k*) *Triplex mare, in quo jactamur.*

ima deprimit: falsedine nauseam movet, monstris, belluisque marinis terrorem incutit, & denique naves evertit. Ita vitam nostram ceu mare turbulentum incurrunt mille casus adversi. Optimè Romanus Sapiens, Consol. ad Polyb. c. 10. In hoc profundum, inquietúmque projecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modò allevans nos subitis incrementis, modò majoribus damnis deserens, assiduóque jactans. Nunquam stabili consistimus loco, pendemus & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus; semper timemus. Divinus Vates Zacharias c. 10. Pertransibunt, ait, *in mari angusto*. Non fretum Gaditanum, non Propontidis angustiæ superandæ: sed inter saxa & symplegadas variarum cupiditatum, inter scopulos vitiorum, ubi angustiæ sunt undique, nobis eluctandum est. Quot in moribus scelera, tot in hoc mari vagantur monstra, inter quæ præcipuè dominantur tria. 1. *Spumans Luxuria*, ut ait Hugo Cardinalis in S. Lucæ c. 21. nam Venus ex spuma maris originem habet. 2. *Tumens Superbia*, psal. 92. *Mirabiles elationes maris*, id est, animi, fastu inflati. 3. *Fervens Avaritia*; quæ est æstuarium quod nunquam quiescit: accedit & recedit unda; nunquam habet satis. Et hoc in pelago, hæc inter monstra, quàm tristia videmus accidere naufragia? Infelices nos, exclamat Augustinus Soliloq. c. 35. *quorum vita est in exilio, via in periculo, finis in dubio.* Quis evadet, nisi Portunus ei sit Ratio, nisi Neptunus sit undipotens ille Deus, qui *ventis imperat & mari, & obediunt ei?* Matth. 8. *Et facta est tranquillitas magna.* Tanta vis inest vel unico verbo, *quiesce*; De Neptuno Maro:

Sic ait, & dictô citius tumida æquora placat.

SYM-

SYMBOLVM XCV.

Pluto & Plutus, inferorum dii.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Significatio fluviorum Tartari. 2. Monstra orcina. 3. Tormenta inferorum. 4. Plutus divitiarum deus, & eius comites.

PLuto Saturni filius ex Ope conjuge, frater Jovis atque Neptuni, qui cùm ad triplicis regni divisionem venissent, *Plutoni*, qui natu minimus, imperium inferorum obtigit. Dictus est ἀπὸ τῦ πλύτυ à divitiis, quòd opes ab inferis, hoc est, ex imis terræ visceribus eruantur. Eandem etiam ob causam Latini *Ditem* appellarunt. Cic. lib. 2. de nat. deor. *Summanus* vocatur, quasi summus deorum Manium. Item *Orcus*, quasi *Vrgus* ab urgendo, quòd omnes in interitum urgeat. Uxorem habuit *Proserpinam*, Cereris filiam, de qua Symb. 27. Fingitur solium insidere ferreum, assidente juxtà conjuge, (quæ Græcis Persephone, διὰ τὸ πάντα πέρθειν τῷ φονῷ, quòd omnia perdat cæde) accubante ad pedes Cerbero, tricipiti cane. Ipse medius inter *Furias*, & reliqua tartari monstra, jura tremenda dicit & dat *Manibus* circumstantibus; ferrugineam in capite coronam, similéque sceptrum manu gestans, facie nigra & terribili, flammantibus oculis, voce horrenda, & omnes inferorum sedes concutiente. Eum Claudianus lib. 1. de raptu Proserpinæ sic depingit:

Ipse rudi fultus solio, nigráque verendus
Majestate sedet: squalent immania fœdo
Sceptra situ, sublime caput mœstissima nubes
Asperat, & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. Tunc talia celso
Ore sonat. Tremefacta silent dicente tyranno
Atria, latratum triplicem compescuit ingens
Janitor, & presso lacrimarum fonte resedit
Cocytus, tacitísque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ.

De

De eiusdem sæviſſimo tribunali Statius 2. Thebaid.

Fortè ſedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poſcebat crimina vitæ,
Nil hominum miſerans, iratúsque omnibus Umbris,
Stant furiæ circùm, variæque ex ordine Mortes,
Sæváque multiſonas exercet Pœna catenas.

De Proſerpina comminiſcuntur Poëtæ, eos, qui eſſent morti proximi, ab ipſa primùm tonderi; nec aliter diem ſuum obire poſſe: & hanc cauſſam Didonis difficulter morientis affert Maro 4. Æneid.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygióque caput damnaverat orco.

Hoc inſinuat Horatius lib. 1. Od. 28.

Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera, nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

Et Satyra 5. lib. 2. Tireſias cum Ulyſſe pauca locutus, à Proſerpina retrahitur. *Sed me* (inquit ille)

Imperioſa trahit Proſerpina; vive, valéque.

Hoc ipſum innuit Tibullus lib. 3.

At mihi Perſephone nigram denuntiat horam.

Eſt enim illa mortis ac vitæ arbitra implacabilis.

Qui verò moritur, cùm ſit orci victima, cenſetur ab ea tonderi, ſimilitudine à pecudibus traducta, quæ cùm in ſacris immolarentur, capitis earum ſetæ ferro ſecabantur. Virgil. 6. Æneid.

Er ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus imponit ſacris libamina prima.

Ethica.

I. (*a*) Alibi retulimus ex Marone, Plutonis regiæ, ferream eſſe portam præſtructam, quæ peſſulis, clauſtríſque firmiſſimis obmunita, accipit adeuntes, trajecto priùs *Acheronte* fluvio, cui nomen ἀπὸ τῦ ἄχεως, καὶ ῥέω, quaſi *doloris fluvius*. Alii deducunt ab α particula privante, & χαίρω *gaudeo*: hoc eſt, *gaudio carens*. Dicitur excipere defunctorum animas, quia cùm morituri ſunt homines; ſubtriſtis quidam torpor mentem ita labefactat, ut propinqua mors ex eo facilè ſentiatur: tunc enim conſcientia, rerúmque geſtarum memoria animum perturbat, ideóque hæc palus omnibus primò eſt trajicienda. Acherontem excipit *Styx*, & ipſa fluvius

(*a*) *Significatio fluviorum Tartari.*

fluvius seu palus infernalis, significátque *mœstitiam*: quid enim apud inferos, nisi illætabilis horror? vel dicitur ἀπὸ τῦ στυγεῖν, timeo, odi. Injicit enim odium erga transacta facinora, quæ sera pœnitentia consequitur. Ex Styge profluit *Cocytus*, nomen habens ἀπὸ τῦ κωκυζειν, *lamentari*, *lugere*. Præter hos fluvios aut paludes, ambit regiam Plutoniam

------- rapidus flammis torrentibus amnis
Tartareus *Phlegethon*, torquétque sonantia saxa. 6. Æneid.

Appellationem trahit à φλέγω, ardeo.

Serviunt hæc omnia ad doctrinam moralem:

Nam II. (*b*) Quòd Poëtæ Plutonem fecerint regem Erebi potentem, sceptróque tremendum, meritò possumus transferre ad cacodæmones, qui ab Apostolo Ephes. 6. vocantur *Principes* & *Potestates*, & *Rectores mundi ac tenebrarum*. Quorum quanta sint odia, & quàm crudelis tyrannis in genus mortalium, qui vel apud inferos ab iis torquentur, vel in vivis exagitantur, non est necesse pluribus ostendere; cùm è sacris constet litteris, hos esse tortores & carnifices à Deo immissos ad fontes cruciandos. Nec incredibile est, dæmones terribilium bestiarum formas assumere ad damnatos horribiliùs torquendos. In Isaia legimus c. 34. *Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem.* *Onocentaurus* est monstrum ex asino infernè, & ex homine supernè conflatum. *Pilosi*, sunt dæmones, specie hircorum, quos sæpe in conventibus sagarum induunt, quósque vetustas Faunos & Satyros dixit. *Lamiæ*, sunt dæmones succubi, vel illorum spectra, quæ *Empusæ* dicuntur, apparéntque mulierum formâ, ad homines in Venerem illiciendos & perdendos; incedúntque uno pede. Huc applicari potest, quod Deus Deut. 32. minatur. *Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Quis enim satis explicet, quibus larvis sese Alastores teterrimi, extra & intra Stygem hominibus objecerint, objiciántque? Unde sacris in paginis afficiuntur nominibus variis, videlicet *serpentum*, *scorpionum*, *leonum*, *pardorum*, *luporum*, *vulpium*, *aprorum* &c. Terribile est, quod noster Matthæus Raderus scribit in Viridario SS. de Cosma monacho; cui inter alia tremenda spectra sese aspectabilem diabolus fecit hoc modo: Ad formidandi cuiusdam scopuli, & fluminis infrà subjecti portam ingentem, modicè apertam, excubabat gigantea mole monstrum, aspectu fœdum & atrum, truci & atroci vultu, luminibus distortis, grandibus, cruore suffusis, flammarum faces ejaculantibus, naso fumum proflante, linguâ totum cubitum extra os ex-

(*b*) *Monstra orcina.*

ertâ; cui dextra manus quasi penitùs exanimata & arida, altera verò instar columnæ crassescebat, nuda & in longum protensa, quâ noxios prehendens, in chaos illud devolvebat. Nec est quidquam, quod possit pingi aut fingi tam horridum aspectu, terrificum, truculentum, quin terrior, horridior, terribilior, truculentior, monstrosior sit aspectus cacodæmonum. Hæc ille. Unde apparet, haudquaquam tanquam inania & frivola explodenda hæc & alia Poëtarum commenta, per varias & terribiles formas objicientium orcinos spiritus. Nam si has tollas fabulas, quidni historiarum quoque fidem abroges, illas inferorum larvas diversimodè repræsentantium? Et Plutonem, seu diabolorum principem cum sceptro, in solio, inter adstantes tartari proceres apparuisse, quis non legit? Oportet enim erudire sensus, ut instruatur intellectus. Id, quod hoc in loco monere voluimus, & pluribus in aliis revocari in mentem cupimus. De informibus Acherontis formis recurret occasio memorandi in Symbolo 100. ubi de Satyris.

III. (c) Plutonis nutum tota inferorum regio contremiscit. Tantæ sunt vires dæmonum, ut si Deus permitteret, elementa naturali robore concuterent, fulmina jacerent, grandine, aquarum inundatione, terræ motibus horrendum in modum sævirent, terrámque cælo miscerent.

Et quia novem sunt potissimùm carceris tartarei supplicia, omnia videntur à Poëtis adumbrata. *Primò* enim densissimæ tenebræ involvunt inferos. Quod innuit Maro 4. Georg. dum vocat

Pallentes umbras Erebi, noctémque profundam.

Altera sceleratorum apud inferos pœna, est, *Fletus & stridor dentium.* Hæc est Plutonis Musica. Hinc Tartarus dicitur à ταράττω conturbo; quia illic lamentis omnia & luctibus perturbantur. Vel ἀπὸ τῦ τυρταρίζειν, id est, à tremore frigoris. Hinc latratus tricipitis aut etiam centicipitis, ut Horatius canit, *Cerberi*, inferorum auribus, perdius, pernox tot gutturum latratibus insonans. Hinc lugubres amnes Acheron, Styx, Cocytus, non tam undas, quàm lacrimas vehentes.

Tertia, *Fames & Sitis.* Hoc in Tantalo docuere Poëtæ, de quo, Symbol. 52,

Quarta, Fœtor intolerabilis, è tot vivorum cadaverum acervo; è sulphuris & picis oceano; ex tot damnatorum & diabolorum consortio. Quam ob causam locus inferorum *Avernus* dicitur, quasi ἄορνος, hoc est, *avibus carens*; Sive quòd aves supervolantes gravi eius odore enecentur: sive quòd sulphureæ exhalationes aërem usque adeò extenuent, ut aves sustinere non possit. De hoc Virgil. 6. Æneid.

(c) *Tormenta inferorum.*

Spelunca

Spelunca alta fuit, vastóque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris.
Quam super haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
Unde locum Graii dixerunt nomine *Avernum*.

Quinta, *Ignis* horribilissimus, in ipsas etiam animas grassans. Quid enim aliud est inferorum *Phlegethon*, flammis sempiternis exæstuans?

Sexta, *Vermis* conscientiæ semper rodens, semper crucians. Hanc carnificinam expresserunt per vulturem Tityi, jecur eius diu, noctúque depascentem, de quo Symbol. 79.

Septima, Locus & societas execrabilis, unde infernale barathrum appellatur *Erebus*, Latinè *tenebræ*, *caligo*, *nox*. Quales in eo incolæ? Describit Cicero de nat. deor. Amor, inquit, (scilicet impurus) Dolus, Metus, Senectus, Labor, Invidentia, Fatum, Mors, Miseriæ, Querela, Fraus, Pertinacia, Somnia, ô quàm luctuosa! Hæc ethnicus, & ethicus.

Octava, *Desperatio*, momentis singulis sceleratos jugulans. Hoc agunt Furiæ, scelerum ultrices gravissimæ, quæ nullam quietis partem concedunt impiis Manibus, quibus perpetuò intentant angues, insultant facibus, & ingestâ criminum patratorum memoriâ, in continuam desperationem excruciant.

Nona est *Æternitas*, inexplicabilis, immensa, incomprehensa. Atque ut circulus principio, finéque carens, est Symbolum interminabilis ævi; ita fluvii infernales, damnatorum carcerem in orbem ambientes, spem omnem evadendi præcludunt. Nec satis est ambitu simplici circumdari lamentabilem orcum; sed miseris, Poëta canente 6. Æneid.

Fata obstant, tristíque palus innabilis unda
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.

Explicatur hoc idem per Sisyphi semper revolubile saxum; per Danaïdum pertusum & nunquam explebile dolium, hæc æternitas cruciat Lapithas, Ixiona, Pirithoúmque,

Quos super alta silex, jam jam lapsura, cadenti
Imminet assimilis.

IV. (*d*) Idem Pluto, qui rex inferorum est. Divitiarum quóque deus habetur; & tunc *Plutus* vocatur. Hunc Poëtæ fingunt esse *Claudum*, *Alatum*, *Cæcum*. Nam in adventu claudicat, dum lentè accedunt opes. Sudandum est, algendum est, currendum est per terras & undas,

(*d*) *Plutus divitiarum deus, & eius comites.*

donec augeas nummos, & rem facias. Quot curas, solicitudines, insomnes parit noctes improba fames pecuniæ? *Alas*, habet Plutus, nimirum in recessu: nam serò quidem divitiæ contrahuntur; velocissimè tamen, nisi frugaliter dispensentur, dilabuntur. *Cæcum* quoque faciunt, & judicii expertem, eò quòd indignissimus quisque divitiis affluat: probi autem & digni in re tenuissima versentur. Δειλὸς quoque apud Aristophanem, id est, *timidus*, esse dicitur, sempérque trementi similis: nam quanta est cupiditas opes accumulandi, tantus est metus eas conservandi. Hinc Lucianus in Timone Plutum inducit, etiam *Pallidum* & concolorem auro, quòd animi angores etiam in vultum effundat. Audi Senecam in Hercule Oeteo. Act. 2.

O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus? Brutia, Coro.
Pulsante fretum, mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.

Apud eundem Lucianum Plutus de se ipso loquens cum Mercurio, ita infit: Simul atque, ô Mercuri, me quis apertis foribus exceperit, unà mecum intrat clanculùm *Elatio*, *Vecordia*, *Iactantia*, *Mollities*, *Violentia*, *Dolus*, atque alia innumerabilia monstra. Et tamen, qui admittunt me, priùs omnia patientur, quàm ut tali vallatum satellitio rejiciant. Interrogatus deinde, cur adeò lævis, lubricus, & retentu difficilis esset, atque anguillarum & serpentum in morem, inter digitos elaberetur, cùm *Paupertas* tam viscosa sit & prehensu facilis, respondit, id eò fieri, quòd proniissimum sit egestate involui; arduum verò & difficillimum opibus abundare.

Aliqui volunt Plutum esse Plutonis filium, jam tremuli senis, jam nequiculi pueri formam induentem: illius quidem, quia, cùm cætera vitia in senibus decrescant, cupiditas tamen habendi in iis crescit; & quò minus restat viæ, tantò plus corradunt viatici. De Sene Horatius:

Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti.

Puerum verò refert Plutus petulantem & fallacem, quia Cupidinis instar in animos se mortalium insinuat, & aditum sibi per varias parit artes ad sitim auri accendendam. Per modum imbris, ut Jupiter in sinum Danaës, illabitur, secúmque mille dolos & fraudes infert. Digna tali parente soboles, quam Syri *Mammona* vocant, & quidem *iniquitatis*. Opes enim sunt vitiorum materia, & rarò sine hoc comitatu divertunt; juxta

juxta vulgare verbum : *Dives aut iniquus eſt , aut iniqui hæres.* Habet igitur Pluto ſtrenuum in filio emiſſarium, qui ſpargit nummos, ut viam ſternat ad inferos. Quanta verò ſit huius aurei aut ærei Numinis apud omnes gratia & veneratio, oſtendunt duo vetuſti verſiculi :

Audito nummo, quaſi quodam Principe ſummo
Diſſiliunt valvæ : nil auditur, niſi ſalve.

SYMBOLVM XCVI.

Mars, Deus belli.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Martis comitatus quid ſignificet. Eius effigies. Bellona. Animalia Marti ſacra. 2. Belli miſeriæ. 3. Effectus. 4. Bellum juſtum. 5. Prudentia bellica. Celeritas in bello. 6. Martis currus, Symbolum eſt Pax iracundi. 7. Quinque ſenſus, Solis filiæ. 8. Victoria. 9. Pax.

ETymon huius dei à Varrone lib. 4. de ling Lat. ducitur inde, quòd maribus in bello præſit. A Poëtis *Mavors* , appellatur per epenthoſin , quòd *magna vertat.* Hic Jovis & Junonis filius eſſe fingitur ; vel, ut Ovidius fabulatur, ſolius Junonis. Cùm enim olim Juno turbata , quòd animadvertiſſet Jovem percuſſo capite , ſine feminæ commercio procreâſſe Minervam , verſus *Oceanum* proficiſceretur , percontatum, quo pacto & ipſa ſine viro parere poſſet , itineréque fatigata, juxta fores deæ *Floræ* , conjugis *Zephyri* conſediſſet ; interrogata ab ea fertur , quam ob cauſam ad Oceanum pergeret : quâ cognitâ , facturam ſe voti compotem deam pollicita eſt, ſi id Juno celaret Jovem. Quod cùm Juno jurejurando promiſiſſet , mox illam Flora monuit , in campis *Oleniis* Achaiæ regionis florem eſſe, quô tactô ſtatim conciperet ſine viro. Id experta Juno , concepit, & peperit filium ; quem Martem nominavit. Dicitur is *Gradivus* , ſive à *gradiendo* in bello ultro , citróque : ſive à gradu militari, quo viginti millia paſſuum, ſeu quinque milliaria Germanica æſtivis diebus ſunt conficienda militi. *Geticis* Mars arvis præ-

sidere fertur, quia apud Thraces potissimùm colebatur, eiúsque sacra humanis hostiis fiebant. Antiquissimum ei templum olim Romæ fuit in *Campo Martio*, qui nomen inde habet. Mars etiam *Vltor* à Romanis cultu religioso afficiebatur, cui templum Augustus exstruxit bello Philippico, quod Cæsaris patris sui ulciscendi causâ susceperat. In aditu ejus templi ante fores ab utroque latere Martis & Veneris statuæ visebantur, de quorum flagitioso congressu, ejúsque manifestatione, in Venere diximus. Nullum etenim scelus tam occultè patratur, quod non protrahatur in lucem seriùs aut citiùs. Neque obscurè Poëtæ per libidinem Martis & Veneris indicare voluerunt, quandoque milites, hujus utriusque Numinis stipendiarios esse.

Ethica.

I. (*a*) *Timor*, *Iræ*, & *Clamor* sunt Martis comites inseparabiles. Ipse curru vehitur cruentam manu vibrans hastam; aurigatur seu regit currum *Bellona*, furiæ propior, quàm deæ. Statius lib. 7. Achilleid.

----- regit ipsa jugales
Sanguinea Bellona manu.

Terror ac *Pavor* juxta aliquos currum trahunt: secundùm alios simul cum Bellona aurigas agunt; aut certè ut Satellites currum stipant. Claud. lib. 1. in Ruffin. inducit Martem loquentem:

Fer galeam, Bellona, mihi, nexúsque rotarum
Tende *Pavor*, frenet celeres *Formido* jugales.

Valerius Flaccus lib. 3. argonaut.

----- Terrórque, Pavórque
Martis equi, sic contextis umbonibus hærent.

Ambitiosiùs Papinius lib. 3. Thebaid.

------- comunt Furor, Iráque cristas:
Frena ministrat equis Pavor aliger, ac vigil omni
Fama sono, varios rerum succincta tumultus
Antevolat currum.

Et Claud. lib. 2. de laud. Stiliconis

------ currum patris Bellona cruentum,
Ditibus exuviis tendentem ad sidera quercum
Præcedit, lictórque Metus, cum fratre Pavore,
Barbara ferratis innectunt colla catenis.
Formido ingentem vibrat succincta securim. Vir-

(*a*) *Martis comites, sunt calamitates belli.*

Virgilius inter comites Martis etiam *Diras* jungit & *Discordiam*, lib. 1. Æneid.

-------- sævit medio in certamine Mauors
Celatus ferro, tristésque ex æthere Diræ,
Et sciſsâ gaudens vadit Discordia pallâ;
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Idem Æneid. 12. Turnum fortissimè pugnantem, cum Marte componens, canit:

Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes
Bella movens, immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos, Zephyrúmque volant: gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circúmque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, Dei comitatus, aguntur.

(*b*) Pingitur autem Martis imago, sanguineis vir oculis, truci vultu, galeato capite, loricato pectore (Horatius tunicam adamantinam ei circumdat) sinistrâ clypeum, dextrâ hastam præferens; quorum concussu equos stimulat, & in cursum impellit. Circumfunduntur ei à latere, à fronte, à tergo variæ pestes, quarum meminimus. (*c*) *Bellona* & ipsa galeata est, capillis passis, sanguinolenta, flagellum dextrâ sustinet, clypeum lævâ, in quo lupus expressus; unde Martius appellatur à Marone 9. Æneid. Nam Marti *canis*, *lupus*, *gallus*, *vultur*, & *picus* sunt sacrati. Canis fidelitatem significat, necessariam bono militi & militari fortunæ: *Lupus* ferocitatem & rapacitatem bellis familiarem indicat. *Gallus* vigilantiam docet: *Vultur* præsagam providentiam; nam olfactu valet: *Picus* constantiam in labore & oppugnatione: picus enim durissimum lignum tamdiu rostro percutit, dum perfringat & perforet. Benè Tullius: Parùm sunt arma foris, nisi consilium sit domi. Huic deo *Equus* etiam sacer est, eique immolari solitus; quia bellicosum est animal, & ad tubæ sonitum exultat in prœlium. De hoc belli signo Maro 3. Æneid. ubi in ipso Italiæ aditu Æneas.

Quattuor hîc (primum omen) equos in gramine vidit
Tondentes campum latè, candore nivali.
Et pater Anchises, bellum ô terra hospita portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.

Bellona præterea tubas inflare & Martem accendere cantu dicitur. Silius lib. 5. Punic. ei facem in manus dat:

Ipsa

(*b*) *Martis effigies.* (*c*) *Bellona.* (*d*) *Marti quæ animalia sacra.*

Ipsa facem quatiens, ac nigram sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

Falcem quoque manu prætendebat. Claudianus lib. 2. in Eutrop.

---------- Quid dudum inflare moraris
Tartaream Bellona tubam? quid stringere falcem
Qua populos à stirpe metis?

Ejus Sacerdotes vocabantur *Bellonarii*, de quibus Lactantius lib. 1. c. 21. Eandem Bellonam vocant, in quibus sacris ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant: sectis námque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes currunt, & efferantur, insaniunt, seipsos ferro sauciant. Iidem vaticinabantur stragem populorum, aut eversiones urbium, ubi semel concepto furore transcurrere cœpissent: iisque maxima fides habebatur. Juvenalis Sat. 4.

--------- Sed ut fanaticus œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat &c.

Coronabatur autem Mars gramine; quòd herbam abductis per bellum agricolis fovere censeretur, cùm patiatur eam latè serpere. Hinc victus herbam olim porrigebat victori: quæ consuetudo à pastoribus profluxit, qui antiquitus cursu aut alio certamine superati, herbam ex eodem statim loco decerptam, adversario porrigebant. Et Plinio testante, *Corona Obsidionalis* dabatur è viridi gramine, obsessos servanti ac liberanti Duci. Nam summum apud veteres signum victoriæ erat, *herbam porrigere victos*, hoc est, terra & altrice humo, ac etiam humatione cedere.

II. (*e*) Haud immeritò *Diræ* adduntur Martis comitatui, Acherontis & Noctis filiæ, animorum, sibi malè conscriorum exagitatrices, & variarum calamitatum invectrices; secundùm etymon sunt quasi *Deorum iræ*; succinctæ serpentibus, & alis ad volandum & celeriter nocendum præditæ. De his Virgilius lib. 12. Æneid.

Hæ Jovis ad solium, sævíque in limine regis
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris,
Si quando lethum horrificum, morbósque deûm Rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.

Servius in hunc locum easdem facit cum Furiis, & in cœlo quidem *Diras* vocari ait, in terris *Furias* & *Eumenides*, apud inferos autem *Stygias canes*. Quod verò Martis sint comites, sapienter perspexere Poëtæ, bellum à Superis & Inferis immitti, idque Furiarum ministerio. Hinc Juno bellum in Italia motura Trojanis 7. Æneid. Lucti-

(*b*) *Belli miseria.*

Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris; cui tristitia bella,
Iræque insidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse Pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum, tot sese vertit in ora.
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.

Audiamus, quid hæc possit Furia:

Tu potes unanimes armare in prœlia fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis,
Funereásque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus:
Disiice compositam pacem, sere crimina belli,
Arma velit, poscátque simul, rapiátque juventus

Unde *bellum* à *bellua* quidam deducunt, quòd belluarum sit, non hominum, in mutuum exitium congredi. Alii bellum καὶ ἀντίφρασιν dictum volunt, quòd nihil habeat neque *bonum*, neque *bellum*. Lepidum est epigramma nostri Bernardi Bauhusii de Anco Velio adolescente, à Pallade ad Martem transeunte. Qui cùm vidisset & audivisset.

Tympana, bombardásque, triumphalésque tonitrus,
Cantricésque tubas níveo ductas argento,
Et cocco rutilas aquilas, rutilásque pyropis,
Tum Tyrias chlamydum luces, & texta sagorum
Aurea, gemmatósque enses, atque omnia magnis
Oblita divitiis; belli puer ictus amore:
Me sine, me, genitor; bellum peto. dixit, at ille
Me sine, mi fili, bellum nego, dixit, & aurem
Vertit.

Exorato denique Velius parente

------- ille volat; bella aurea, & aurea castra
Ferrea mox sentit.

Denique relatus domum paternam egens, pallens, æger,

Is procul illacrimans: pudet, ô pater, & piget, inquit,
Parcito: credideram Bellum miser adjectivum.

Nempe dulce bellum inexpertis; sed galeatum serò duelli pœnitet. Juvenalis in hos Martis pullos Sat. 10.

Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,

Humanis majora bonis creduntur.

Criſtata ſcilicet Martis galea, diſtinctus gemmis baltheus, feralè coruſcans haſta, refulgens auro clypeus, phalerati equi, pictus currus, & in eo ſuſpenſa trophæa, hoſtiles exuviæ & ſpolia, impellunt mortalium animos in vulnera, cædes, funera. Quibus occinas illud Horatianum: lib. Epod. Od. 7.

Quò, quò ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parúmne campis, atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar feris.
Furórne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentésque perculſæ ſtupent.

Lentiùs in arma ruerent homuli, ſi meminiſſe vellent, incertos eſſe belli exitus, Martémque communem. Salluſtius in Jugurtha ait: Omne bellum ſumitur facilè; cæterùm ægerrimè deſinit. Non cujvis in poteſtate initium ejus & finis. Et alius: Initia belli penes Principes ſunt, exitus penes fortunam. Poëtarum ſummus exclamat:

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Idem 1. Georg. de belli tempore:

Tum multæ ſcelerum facies, non ullus aratro
Dignus honos: ſqualent abductis arua colonis,
Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.

Et Seneca:

Tum ſcelera, dempto fine, per cunctas domos
Jere; nullum caruit exemplo nefas.

Item Lucanus:

Stat cruor in templis, multáque rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent: nulli ſua profuit ætas.

Hinc tyrannorum quiſpiam occiſorum capita ramis arborum appendebat in horto ſuo; cujus veſtibulo inſcriptum: *Bellaria Martis.*

III. (*f*) Equidem ut Pax omnium bonarum rerum parens & nutrix eſt; ita Bellum, cujus calamitates per Furias indicari diximus, quidquid eſt lætum, quidquid pulchrum, obruit, extinguit, abolet, omniúmque

(*f*) *Belli effectus.*

umque malorum Lernam in vitam mortalium effundit. Pacis tempore coluntur agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur villæ, exstruuntur oppida, instaurantur collapsa, ornantur & augentur exstructa, crescunt opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret Reipublicæ disciplina, fervet religio, valet æquitas, pollet humanitas, calent artes opificum, uberior est quæstus pauperum, splendidior opulentia divitum; effloresçunt honestissimarum artium studia, eruditur juventus, tranquillo fruuntur otio senes, bonis auspiciis nubunt virgines, laudantur simili prole puerperæ, florent boni, minùs peccant mali. At simul sæva belli tempestas ingruerit, Deum immortalem! quàm ingens malorum pelagus occupat, inundat, obruit universa. Abiguntur armenta, proteruntur segetes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, tot sæculis extructæ florentissimæ civitates unâ procellâ subvertuntur. Civium opes ad milites transferuntur; mœrent domus metu, luctu, & querimoniis: lamentis complentur omnia. Frigent artes opificum, pauperes extrema premit egestas: divites aut ereptas deplorant facultates, aut timent relictis, utroque modo miserrimi: Virginum aut nullæ, aut tristes & funestæ nuptiæ: desolatæ matronæ domi sterilescunt, silent leges, ridetur humanitas, nullum locum habet æquitas, religio ludibrio est, sacri & profani nullum omnino discrimen, corrumpitur omni vitiorum genere juventus: damnant longævitatem suam luctuosi senes: nullus honos est honestis litterarum studiis: in summa omnes delicias, amœnitates, commoda vitæ, ornamenta pacis, Bellona vel sua demetit falce, vel comburit face.

IV. (*g*) Sed quia Mars Deus est, & ex dea ortus, cur non reperiatur in bellis, quod laudari possit? Nam Cicerone teste de Offic. *Suscipienda bella sunt, ut sine injuria in pace vivatur. Cùm tempus, necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti, turpitudinique anteponenda,* S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 40. & 41. postquam multis exemplis ostendit, excelluisse quoque in populo Dei multos bellicæ fortitudinis laude præstantes, deinde his verbis concludit: Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti & decori forma est, quòd mortem servituti præferat ac fortitudini. Quæ res multos accendit, ut leonum instar spirarent Martem; quibúsque dulce ac decorum erat pro patria mori; imò pulchrius pro religione, Deo, cœlo. At bellum multis est occasio cupidè, avarè, crudeliter, impiè agendi: num ideò nullum esse debet?

(*g*) *Cur bellandum?*

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem. Triſt. lib. 2.

Sapienter Thucydides : Ut modeſtia eſt, quieſcere, ſi non afficiaris injuriâ : ita juſtitia eſt, cùm injuriâ laceſſimur, bellum paci anteferre ; & repreſsâ injuriâ, poſt bellum rurſus pacem facere : ne aut ſucceſſu in bellis elati plura appetere, aut pati injurias mollitie & amore otii videamur. Et Salluſtius : Sapientes Pacis cauſsâ bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant.

V. (*h*) Fingitur Mauors inſidere currui, & ſuum ad arbitrium equos flectere. Claudianus deſcribens inſignem belli Ducem, hoc moderamen equorum ad prudentiam militarem refert :

------- Ductórque placebit,
Qui non præcipiti, vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu tumidus : ſpatiúmque morandi
Vincendíque modum, mutatis noſcit habenis.

Livius monet : Priuſquam ingrediare bellum, cùm tuas vires, tum vim fortunæ, Martémque belli communem propone animo. Ageſilaus interrogatus, quid ducem belli præcipuè exornaret ? reſpondit, adverſùs hoſtem audacia, & in oblata opportunitate conſilium. Ut navis ſine gubernatore ad ſcopulos impingitur & colliditur ; ſic militaris expeditio ſine prudentia in præceps fertur. Paucis equidem temeritas in gloriam aut felicitatem ; plerisque in exitium ceſſit. Temerariorum conatuum documenta habemus in Flaminio apud Traſimenum lacum : in Varrone apud Cannas, cùm quadraginta millium cæde litatum temeritati eſt : in C. Manilio, & Q. Cæpione contra Cimbros & Teutonas, octoginta millibus deſideratis : in Hoſtilio Mancino triginta millibus à tribus Numantinorum millibus ſuperatis, fœda etiam caſtrorum deditione : in Calpurnio Piſone, exercitu ejus à paucis oppreſſo : in Craſſo contra Parthos, ſeptem legionibus, cum equitum quatuor millibus, totidémque velitum, cúmque ipſo duce, ducíſque filio cæſis aut fugatis. Quorum exempla docent, ut, qui bellica laude, felicitatéque excellere volunt, meminerint, feroces & exultantes generoſioris animi ſpiritus, ceu rapidos Martis equos adducto cohibere, ac flectere freno. Verè quidam : *Corrigit præſentem lapſus prioris, ac de reprehenſione antecedentis*

(*h*) *Prudentia in ſuſcipiendo bello.*

tis exempli naſcitur emendatio. Pingitur Mars armis horridus, acinacem manu rotans, cum lemmate: *fortiter, ſed cautè*:

Hic licet infeſtis nusquam penetrabilis armis
Securus propria conditione Deus:
At caput Ætneo munit, pectúsque metallo,
Ceu mortem impavidus terreat, ac paveat.
Conſilium cauto Princeps à Principe ſume:
Sint tibi cuncta licet proſpera, cuncta time.

Neque verò prudentiâ tantùm opus eſt in bello inchoando, ſed etiam, & vel maximè in gerendo: cujus rei ſymbolum eſt Capricornus, ſignum cœleſte ſuperiore parte Hircum aut Caprum, poſteriore piſcem referens, cum hoc carmine:

Addita ſideribus radiantia cornua tollit
Squamigero conſtans Piſce, Capróque Fera.
Iras fronte gerit, cauda fluitante timorem,
Anterior terret, poſteriórque fugit.
Hoc Ducis officium, pugnax ut cornua ſumat,
Et ſimulare ſciat lubricus arte fugam.

(*i*) Sed tamen etiam Martiali currui laxandæ non rarò habenæ. Nam juxta Poëtam: *Martis equi ante Notos, Zephyrúmque volant.* Quid hîc ſignificatur? Celeritate opus eſſe in bello. Philoſophi Romani effatum eſt: una rebus ſalus eſt, occurrere ad primos rerum impetus. Alexander Macedo feſtinatione vincebat; qui rogatus, qua ratione tantum ſibi imperium tam brevi tempore comparâſſet, reſpondiſſe fertur: *nihil differendo.* C. Julius Cæſar Dictator, ut ſcribit Suetonius, Pontico triumpho inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum: VENI, VIDI, VICI. Statius Martis currui etiam *Famam* volantem adjunxit: nam bella conſtant celeritate, & famâ. Sæpe quod falsò creditum eſt, veri vicem obtinuit, inquit Curtius. Et Livius lib. 27. Famâ bellum conficit, & parva momenta in ſpem, metúmque impellunt. Accedit Tacitus: Fama in novis cœptis validiſſima eſt: primisque eventibus metus aut fiducia gignitur.

VI. (*k*) Quidam per Martem, deſignant hominem iracundum, & impotem animi. Mars enim inſtar furibundi à Poëtis pingitur. Et quid eſt ira, niſi furor brevis? Mars celeri curru rapitur; nulla ſtabilitas in animo iracundo; ex uno affectu in alium revolvitur. *Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius*, inquit Eccle-

(*i*) *Celeritas in bello.* (*k*) *Martis currus imago hominis iracundi.*

siasticus c. 33. Ex confuso & turbido corde similes cogitationes prodeunt. Quid auribus est ingratius stridente currûs rotâ? quid iracundi clamoribus magis absonum, aut inconditum? Et quales sunt rotæ currus hujus? indomitæ perturbationes, feroces & præcipites impetus, quibus animus in vindictam impellitur. Verè Isaias: *Rotæ ejus, quasi impetus tempestatis.* c. 5. In tempestate, quod est horror & caligo; hoc sunt in iracundo, offusæ menti tenebræ: quot in illa sunt tonitrua; hoc, in isto vociferationes & convitia: quod in illa, fulmina; hoc in isto minæ & intentata verbera: quod in illa ventorum conflictus; hoc, in isto contrariorum affectuum tumultus: quod in illa fluctus, procellæ, naufragia; hoc in isto sunt totius corporis jactationes, & fœda præsertim oris spumantis, facies, & valetudinis ac honestatis extrema labes. Mars manu vibrat hastam; iracundus vindictam, nullo discrimine justi vel injusti.

VII. (*l*) Adulterium Martis, à Vulcano deprehensi & nexibus vincti, notissima res Poëtis est; Ovidius;

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit:
Notior in cœlo fabula nulla fuit.

De hoc figmento eleganter & castè Furius Publicus Fulgentius Episcopus lib. 2. Mytholog. scribit in hæc verba: Venus Marti concubuit; Sol eos Vulcano prodidit; hic catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret. Venus in doloris vindictam, quinque Solis filias amoribus succendit. *Pasiphaën*, *Medeam* (non illam Colchidem, Jasonis uxorem) *Phœdram*, *Circen*, & *Dircen*. Hæc igitur amorum dea, quinque Solis filias, id est, quinque humanos sensus, luci ac veritati deditos, quasi Solis fœtus, hac corruptela fuscat. Unde illis nomina. *Primam* Pasiphaën nempe omnibus apparentem, id est, Visum vocârunt. *Secundam* Medeam, quasi *Auditum*, hoc est, μηδὲν ἰδίαν, nullam visionem. *Tertiam* Circen, id est, *Tactum*, quasi dicerent χείρων κρίσιν, manuum judicium. *Quartam* Phœdram, *Odoratum*, Græcè Φέρων ἡδὴν, ferens suavitatem. *Quintam* Dircen, Saporis indicem, quasi θεινοκρίνη, acrè judicans. Quinque has filias exitiali morbo detentas interiisse ferunt, quô quid aliud innuitur, quàm fœdæ libidinis venenum per sensus in animum instillari, rursúsque ex animo in sensuum exitium, & totius corporis pestem redire? Hæc ille vir eruditus & pius, utique alius à S. Fulgentio, qui inter SS. PP. censetur. De etymo harum vocum non est necesse hîc disputare.

VIII. (*m*)

(*l*) *Quinque sensus sunt quinque Solis filiæ.*

VIII. (*m*) Dum de Marte agimus, *Victoriæ* quoque, quæ Martis currum circumvolat, quæque ab antiquis inter deas colebatur, est mentio facienda. Depingebatur virginis alatæ habitu, vultu liberali & blando, capite laureato, manu dextra protensa lauri ramulum aut coronam lauream, læva palmam ostentante. Per *alas* dubia bellorum fors significatur: unde Ovidius lib. 8. Metam.

Inter utrumque volat niveis Victoria pennis.

Quidam armatam exhibent vultu hilari, sed pulverulento, manibus cruenta spolia gerentem. Vel etiam dextrâ sertum, sinistrâ vexillum tenentem, & globo insistentem. Quibus Symbolis indicatur Virtutem, maximè militarem, adversis probari; neque sudore tantùm, sed etiam sanguine constare belli gloriam.

IX. (*n*) Sed neque *Pacis* imaginem prætereamus, propter quam, ut diximus, bellum geritur. Aliqui eam repræsentant, accensa face armorum cumulum inflammantem; juxta illud psalmi 45. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Alii Virginem pingunt altera manu ramum oleæ, altera vel cornucopiæ, vel caduceum præferentem; quòd omnia hæc pace, defensa, bello violentur. Alciatus pro Pacis emblemate proponit inversam militis galeam, in qua favos & mella conficiunt apes. Idem pro Symbolo Pacis pingit coronam spiceam, uvis circumdatam. Apud Pausaniam in Bœoticis, Pax sustinet in ulnis puerum Plutum: quô significatur, rerum opulentiam à pace foveri. Etiam spicas manu gestat & uvas, quibus frugum designatur copia. Oleâ quoque, lauro & rosis coronatur; ut ostendatur, artium & scientiarum florem à Pace conservari. Sunt qui Pacem in curru olivæ frondibus cincto invehunt, eique comites addunt Religionem, Justitiam, Faustitatem. Tibullus lib. 1. eleg. 10. Pacem sic oculis subjicit.

Interea Pax arva colit; Pax candida primùm
Ducit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum,
Pace bidens, vomérque vigent, ac tristia durî
Militis in tenebris occupat arma situs.

SYM-

(*m*) *Virtus militaris & Victoria.* (*n*) *Pacis emblema, & fructus.*

SYMBOLVM XCVII.

Mercurius.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Vis eloquentiæ. 2. Pacis ſtudium. 3. Mercurius imago Legati. 4. Cur vitulus Mercurio ſacer. Cur ei lingua dicata. Eius cancer. 5. Judicium corruptum. 6. Cur furum deus? 7. Cur mendax, ſimul & furax. 8. Eundum, qua Deus vocat. 9. Indoctus, Mercurius eſt truncus.

IOvis, & Majæ Nymphæ, filius hic deus fuit: ita dictus à *mercibus*, eò quòd Mercatoribus præeſſe exiſtimaretur; Græcis *Hermes* vocatur, ἀπὸ τῦ ἑρμηνεύειν, hoc eſt, ab interpretando. Aliqui putant appellatum eſſe, quaſi *Medicurium*, quòd interpres ſit deorum, & oratio inter loquentes duos currat & reciprocetur. Vel quòd medius inter deos, tanquam ipſorum internuntius currat. De quo Claudianus lib. 1. de Raptu.

Atlantis Tegææ nepos, commune profundis
Et Superis Numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminóque facis commercia mundo.

Idem *Cyllenius* nominatus eſt, vel à *Cyllene* monte Arcadiæ, in quo nutritus & diverſatus eſt; vel quòd omnem rem ſermone ſine manibus conficiat: quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur; ideóque truncus Hermes ſine manibus ſculpitur. In pedibus habet talaria, galerum in capite, in manu virgam (Latinis caduceum, Græcis κηρύκειον) quâ animarum alias orco evocat, alias in Tartara mittit, ventos concitat, tranátque nubila. Virg. 4. Æneid.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimítque, & lumina nocte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat.
Nubila.

Huius ſimulacrum Ægyptii partim atra facie, partim aureâ & clarâ confinxere, quia modò ad Superos, modò ad Inferos adiret. Eiusdem apud

apud eosdem simulacrum conspiciebatur geminum, alterum senili vultu venerandum, alterum florenti juventa, ut significarent eum, qui Reip. munia obire ritè velit, cum animi prudentia debere vires habere conjunctas. Caduceus eius geminis anguibus circumdatur, mare & femina, mutuo nexu circumvolutis, caudísque ad capulum virgæ demissis: quibus concordia significatur. Hunc primum fuisse inquiunt, qui Lyram invenerit; quam etiam Apollini, cùm pax inter illos, post litem ex furto ortam, reconciliata fuisset, dono dedit. Unde *Lyra*, quasi *lytra*, à λύτρω, pretium scilicet redimendis captivis, dicta est. Erat autem testudo, quæ χέλυς à Græcis vocatur, hunc in modum formata, ut ait Lucianus in dialogo Apollinis & Vulcani. Cùm Mercurius testudinem mortuam ad Nili ripas fortè invenisset, brachia adaptavit, ac jugum induxit, calamósque postea agglutinans, & subjecto quodam fundo, ac novem deinde chordas super calamis tanquam ansulis intendens, jucundum quid modulatus est. Hanc testudinem Apollini boves Admeti regis pascenti, & ab eos à Mercurio clàm abactos irascenti donavit: ab eóque vicissim caduceum accepit, seu virgam illa vi præditam, ut facilè pax inter quosvis per eam conciliaretur. Cuius rei cùm vellet facere experimentum Mercurius, conjecit virgam inter duos serpentes, acerrimè inter se dimicantes, qui repentè in concordiam redacti, postea Mercurialis virgæ *insigne* extiterunt.

Varia sunt dei huius officia; præcipuum, quòd deorum sit Legatus & internuntius. Idem *Manibus* defunctorum præest, & *Palæstræ*, & *Musicæ*, & *Eloquentiæ*, & *Astrologiæ*. Primus enim astrorum & siderum cursus obsérvasse, & annos ad certum ordinem redegisse traditur. Rei quoque *mercatoriæ*, & artis *furandi* Præsidem agit, quam ipse à teneris unguiculis exercuit. Nam etiamnum parvulus Veneri cestum seu cingulum subduxit, Jovi sceptrum surripuit, fulmen quoque clepturus, nisi vim timuisset flammarum: Apollini ob furtum, sagittas in eum jaculari paranti, arcum sublegit, & pharetram evacuavit. Argum centoculum Jûs (Inachi filiæ à Jove in juvencæ formam mutatæ) custodem sopivit, sopitum occidit, & vaccam abduxit. Memoriæ proditum est, *Autolycum*, eius filium, Laërtæ patrem, qui fuit avus Ulyssis, omnium propè mortalium pauperrimum, artem furandi à Mercurio didicisse, indéque ditissimum evasisse. Artis certè paternæ tam peritus fuit filius, ut, cùm optimum equum furatus fuisset, asinum scabie corrosum pro illo restituerit: cúmque alteri pulcherrimam sponsam rapuisset, anum edentulam, mucosam, & gibbam reddiderit. Id quod etiam in com-

mutandis mercibus faciebat, non sine præstigiis, quas divinus genitor primas excogitavit. Artem mentiendi & furandi ex avo hauſtam Ulyſſes ſtrenuè proſecutus eſt, præſertim in obſidione Trojæ, & ſurreptione Palladii. Sed & *Sinon* (is, qui Græcis Trojam prodidit) filius Siſyphi, nepos ex alia matre Autolyci, ab avito ſanguine non degeneravit. Meruit ob hoc Mercurius, ut eius ſtatuæ pro foribus domorum ab antiquis erigerentur, quia fur credebatur cæteros fures arcere: cùm tamen juxta proverbium, *fur cognoſcat furem, & lupus lupum.*

Artes Mercurii deſcribit eleganter Horatius Od. 10. lib. 1.

Mercuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formâſti catus, & decoræ
More palæſtræ.
Te canam magni Jovis, & deorum
Nuntium, curuæque lyræ parentem,
Callidum, quidquid placuit, jocoſo
Condere furto.
Te boves olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotos, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Riſit Apollo.
Quin & Atridas, duce te, ſuperbos,
Ilio dives Priamus relicto,
Theſſalósque ignes, & iniqua Trojæ
Caſtra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: virgáque levem coërces
Aureâ turbam, Superis deorum
Gratus & imis.

Quo carmine docet Poëta, Mercurium Elocutionis & Facundiæ deum eſſe; ferámque & agreſtem hominum vitam expoliviſſe non voce ſolùm & oratione, verùm etiam artificio & venuſtate decertandi in palæſtra: eſſe ſolertem, callidum, acutum in artibus tam bonis, quàm malis. Potuit verò Mercurius non ſe tantùm, ſed alios etiam, quos ducebat, inaſpectabiles facere: id quod de *Gygis* annulo, & *Orci* ſeu Plutonis galea dicitur. Hinc adoleſcentis indutâ perſonâ, Priamo ſe ducem

cem præbuit ad Achillis naves per media Græcorum castra eunti, & Hectoris filii corpus, sepeliendi causâ, ab Achille redimere cogitanti.

Ethica.

I. (*a*) Per auream, potentémque Mercurii virgam intelligas vim atque virtutem Eloquentiæ, seu facundæ Sapientiæ, quæ mirum habet in mortalium animos imperium. *Qui sapiens est corde*, ait Salomon Prov. 16. *appellabitur prudens: & qui dulcis est eloquio, majora percipiet.* Id est, præclariora præstabit. Neque enim satis est, eloquentiam corde contineri, nisi suavi, nervosóque depromatur eloquio. Quid est enim Mercurium alas habere in pedibus, nisi virum sapientem & disertum velocissimo cogitationum volatu per diversos argumentorum locos ferri ad rem verosimilem reddendam? Quid concitare ventos, quàm dominari in varios hominum affectus? Quid sopire vivos, & excitare mortuos, quàm orationis efficaciâ in omnem partem impellere audientes? ut sive bellum sit ineundum, omnes conclament arma; sive pax eligenda, gladium dimittant omnes. Quid enim, inquit Tullius lib. 1. de Orat. tam potens est atque magnificum, quàm populi motus, Judicum religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quàm tenere arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus? Hæc ille. Credebatur hic idem deus animas orco evocare, hoc est, ex locis illis obscuris & tenebricosis in lucem producere. Hoc ipsum est, quod potest eloquens Sapientia, quæ intellectum auditorum illuminat, mentis tenebras discutit, & ad veritatis cognitionem, amorémque virtutis perducit. Vis *Soporifera* huic virgæ indita, valet ad sedandas animorum perturbationes ac concitationes, mortuósque, hoc est, sceleratos à flagitiis ad vitam homine dignam revocandos. Quidam per *talaria* intelligunt negotiantium, alii medentium celeritatem, quæ adhibenda, sive quæstum facere, sive morbos depellere velis. Sunt autem Medici, qui animas ad inferos mittunt, & iterum revocant; dum eorum alii desperatos à morbis exsuscitant; alii non desperatos ad orcum demittunt.

II. (*b*) Mercurius, Caduceator seu Caducifer, legati pacifici exemplar est, quia *medius*, imos, summósque deos conciliat, & pugnantes

(*a*) *Vis Eloquentiæ.* (*b*) *Pacis studium.*

inter se serpentes, virgâ interpositâ, in pacem & amicitiæ complexum rursus conjungit. Silius canit:

--------- Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est. Pax una triumphis
Innumeris potior.

Et Seneca:

Pacem redusi velle, victori expedit,
Victo necesse est.

Nulla suada dulcior est, quàm quæ dissidentes conciliat, & iras in mansuetudinem vertit.

III. (c) Mercurio per limen utrumque Superûm & Inferûm via patet. Eadem est Legati, jure gentium securitas, & sacrosancta immunitas. Et quia multum in ûtramque potest Legatorum efficacia, censentur Superos adire, quando prudenti agendi ratione, & humanitatis sensu avertunt à vivis (qui etiam superi vocantur) bella, clades, funera; ad inferos verò se conferunt, cùm sanguinis aviditate discordias Principum concitant, fovent, augent, & vivos per varias strages præcipitant in orcum. Mercurius atra & aurea facie pingitur; Legatorum multi, (sive alios Principum internuntios & ministros aulicos intelligas) corrumpuntur muneribus: hinc obscuris, ac perplexis dictis, responsis, relatis, vera falsis, & falsa veris involuunt, nebulásque iis, à quibus missi sunt, offundunt. Quò fortassis etiam *Galerus* seu petasus, latior Mercurii pileus, alludit; nam obumbrante illo tegumento denotatur *Simulatio*, quam fronte & vultu sustinent homines versuti ad orationis fallacias tegendas facti. Possis etiam dicere, legatum Mercurali petaso tegendum; ut meminerit, negotia sibi commissa in secreto habenda. Significatur quoque galero hoc, per eloquentiam homines defendi, atque ab injuriis protegi. Pingitur insuper Mercurius dextram obarmatus gladio falcato, quam *harpen* vocant, capútque galea, chlamydéque, ac brevi accinctus tunica, qualis Argum occidisse fertur. Quibus rebus indicatur, eloquentiam armis junctam, plurimùm adversùs hostes, qui sæpe ratione sola ac voce non moventur, valere. Item, ut discas, si pace (quæ per caduceum denotatur) frui volumus, exercendam harpen, hoc est, bellum esse gerendum. Ciceronis in 7. Philipp. dictum est: Si bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Et axioma polemicum est: cùm tractatur de pace, metus faciendus est hosti; ne ignavum & vile aliquod animal videare. Vetus verbum est, meliùs sub clypeo succedere

(c) *Mercurius imago Legati.*

re pacis nègotium ; ut verè pax ea ſit, non pactio ſervitutis. Hinc eſt, quòd Mercurius cum Hercule palæſtris dicatur præeſſe : eſt enim prudentia jungenda viribus. *Iuventus* verò & imberbis Mercurii facies ſignificat, Oratori opus eſſe ingenio vivido & vegeto. *Gallus* etiam gallinaceus ſolet Mercurio appingi, quô innuitur, opus eſſe vigilantiâ ad opes aut ſapientiam aſpirantibus. Facies illa partim atra, partim aurea, de qua ſuprà, docet, eloquentiam tam improbis, quàm probis impertiri. *Hermæ* ſtatua, quadrato lapidi vel inſidens, vel inſiſtens, ſignificat, *rationem & veritatem*, perinde ut forma quadrata, erectam ſemper ſtare. Nam rationis & veritatis quoque deum fuiſſe Mercurium antiquis, ait Pierius. Ingenioſiùs per baſin quadratam Artes ſignificantur : quæ quia certis conſtant præceptis, & nunquam fallentibus, earum ſtabilitas per figuram cubicam explicatur. Deinde ut fortuna inſiſtit globo, quippe inconſtans : ſic ars, doctrina, ſapientia ſolidatur in quadrato lapide ; ut, ſcias, arti, non fortunæ, innitendum. Præterea, quemadmodum figuræ cubicæ ſpecies, quoquoversùm jacta, verſatáque fuerit, recta ſemper conſiſtit, ita vir Sapiens, ad omnia fortunæ tela ſemper eſt idem. Pingitur etiam Mercurius (aliis Hercules Gallicus dicitur) cum aurea ex ore catena defluente, & hominum auribus implicita, eos ad ſe trahente ; quô quid aliud, quàm ſæpius dictæ vis eloquentiæ exprimitur, quæ per aures in animos hominum illabitur, eósque dicentis ad nutum trahit ? Quidam in Mercurium caduceo inſtructum, & avolaturo ſimilem ita feſtivè luſit :

Excellit triplici, quem cernis, Dote Miniſter,
Callidus & velox, Eloquióque potens.
Huius ab ingenio Regum fluxere Miniſtri,
Quos & Mercurios Aula diſerta vocat,
Attamen haud iſto conſtat perfectio *trino* :
Mentiri accedat dos niſi quarta tribus.

IV. (*d*) Mercurio *vitulus* mactabatur, Ovidio canente 4. Metam.

Dis tribus ille focos totidem de cæſpite ponit,
Lævum Mercurio, dextrum tibi bellica Virgo,
Ara Jovis media eſt. Mactatur vacca Minervæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme deorum.

Et cur vitulus ? ut docearis, à puero operam eſſe dandam ſapientiæ, primámque ætatem ſtudiis virtutis ac bonarum artium dedicandam. Huc facit illud Poëtæ :

(*d*) *Cur vitulus Mercurio ſacer ?*

Dum tener est natus, generosos instruere mores.

Salomon de se ipso Prov. 4. *Nam & ego filius fui patris mei, & unigenitus coram matre mea; & docebat me, atque dicebat: posside sapientiam, posside prudentiam.* Mercurio præterea non vino, sed *melle* & *lacte* sacrificabatur: vinum enim immodicè potatum, est inimicum sapientiæ, &, quod citatus Salomon ait, *apostatare facit sapientes.* Mel verò & lac Symbolicè sapientiam indicant. Hinc idem Prov. 24. Comede fili mi mel, quia *bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo: Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ.* (e) *Linguæ* etiam Mercurio sacrabantur, inque sacrificiorum eius fine cremabantur, ad ostendendum, quantùm sapientiæ interfit expedita & versatilis lingua. Sacer paræmiographus testatur Prov. c. 15. *Lingua sapientum amat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.* Quocirca Tullius lib. 3. de Orat. Eloquentia, inquit, nihil aliud est, quàm copiosè loquens sapientia. Atque, ut alibi testatur idem, eloqui copiosè, modò prudenter, melius est, quàm vel acutissimè sine eloquentia cogitare. Porrò lingua Mercurio ideò etiam dicata est, quòd conveniat illam subditam & obtemperantem esse rationi ac prudentiæ, ut nec nimis præcipitanter procurrat, nec æquò tardior cunctetur. (f) Hinc Mercurius nudus supra *cancrum* marinum considens, galero, caduceóque instructus, ac sinistra chelam seu acetabulum prehendens, docet, considerate agendum, & festinandum lentè.

V. Dicunt adhæc Poëtæ, Mercurium à Junone in judicium vocatum (quod etiam Marti in Areopago accidit) quòd Argô occisô, primus cæde manus inquinâsset: sed à diis ipsum absolutum, projectis ad pedes eius niveis suffragiorum tesseris, atrisque; quoniam æquum fuerit, Jovi id jubenti obsequi. Ubi disce, justitiam potenter à potentibus premi:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas. *Juven.*

Jupiter enim postquam Inachi fluvii filiam *Io* violavit, ut flagitium celaretur Junoni, puellam transformavit in juvencam, adeóque ex homine bestiam fecit. Argum præterea, custodem juvencæ à Junone appositum, per Mercurium interficiendum curavit. (g) Mercurius homicidium in auctoritatem imperantis rejecit: Dii Jovis indignationem veriti, absolverunt patratæ cædis Mercurium. His gradibus ascendunt crimina. Verissimè sapientissimus Rex Prov. 19. *Multi colunt personam potentis.* Et Siracides c. 7. monet Judicem: *Ne extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Scilicet ob respectum iniquum deflectendo à recto justitiæ tramite. Severè, justéque Deus præcepit Mosi

ob

(e) *Cur lingua Mercurio dicata?* (f) *Cancer Mercurii.* (g) *Judicium corruptum.*

ob scandalum Hebræorum Magnatum, idolum Beelphegor publicè adorantium. Num. 25. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis*: ut qui populo fuere duces sceleris, sint exemplum supplicii.

VI. (*h*) Sed quare mercatorum, impostorum, furum Præsidem ac Patronum antiqui putârunt esse Mercurium; eiúsque collo sacculum nummarium appenderunt? Respondet Natalis Comes, hoc ideò factum, tum quia eloquentia cum malo & flagitioso ingenio conjuncta multas fraudes invexit in genus humanum; tum quia quibus Mercurii planeta in ortu dominatur, illorum ingenia dicuntur ad furta, & ad omne astutiæ ac nequitiæ genus accommodata. Nam cùm siccus & calidus sit hic planeta, versutos facit & facundos homines, atque ad omnem calliditatem celerrimos: tot enim habet Mercurius in cælo motuum varietates, & tergiversationes, quot simul omnes reliqui planetæ. Nam modò procedit, modò retrocedit: modò sublimis est, modò depressus: modò celerrimus, modò stare videtur. Ego verò crediderim; Mercurium fallaciarum inventorem ac concinnatorem ideo factum à Poëtis, quia, cùm in furtis ipsa delectet ars fallendi & furandi, opus est ingenio ac solertiâ: unde furtorum optima, quæ ingeniosa. Certè Magnus Augustinus narrat. lib. 3. Conf. c. 4. se puerum cum sociis sublegisse pira ex alieno horto, non ob ipsa pira, sed ob artem & fallaciam in piris furandis adhibitam. Ritus erat, inquit, quasi titillato corde, quòd fallebamus eos, qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. (*i*) Quod autem Mercurius Superos adierit ac inferos, etiam ad mercatores pertinet, quibus ad sua lucra per terræ, marísque per vitæ mortísque pericula tendendum, adeóque limen utrumque vitæ ac mortis terendum. Poëta canit:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

Quid, quòd Mercatorem disertum esse oportet, & Mercuriali instructum lingua, ut emptores sibi comparet. Horatio teste,

Laudat, venales qui vult extrudere merces.

Et utinam tantùm laudet, non etiam vitiet, & quas vitiavit merces, obtrudat pejerando. Sacculus è collo Mercurii pendens, ostendit, opes malè partas, in jugulum redire parantis, eúmque strangulare. Prov. *Qui congregat thesauros lingua mendaci, impinget ad laqueos mortis.*

VII. (*k*)

(*h*) *Cur Mercurius furum deus?* (*i*) *Cur Mercatorum?*

VII. (*k*) Mercurius à parvo puero mentiri conſtuevit & furari: ſcilicet qualis parens, talis filius. Ut numerus iniri ſtultorum non poteſt, ſic mentientium. In hac ſchola, Alphabetarii, & qui cubitò tergunt naſum, robuſtiſſimis valent mendaciis. Talis fuit puer ille, *Aper* nomine, de quo Bauhuſius lib. 3.

Unguibus à teneris, primáque à veſte genarum
Mentiri didicit Cretibus ortus Aper:
Succrevere doli barba creſcente: biſulca
Quæ fuerat puero, lingua triſulca viro eſt.

Notus eſt apologus de puero furunculo (nam à mendaciis proximus ad furta tranſitus, doctor in utrisque eſt Mercurius) qui cùm plura in diem, ac majora creſcentibus annis, matre probante, furaretur; proximus patibulo, ſimulato cum matre colloquio, auriculam ei mordicus abſcidit. Accuſatus non furti modò, ſed etiam impietatis in parentem, reſpondit, ſe ultionem repetiiſſe de perditionis ſuæ autore. Si enim caſtigâſſet me, inquit, mater, cùm ei librum detuli, clàm condiſcipulo ſublatum, nunquam futurum fuiſſet, ut tam infamis mortis damnarer. Sic è funiculis torquentur funes, quibus denique implicatur & frangitur gula.

VIII. (*l*) Meliora doceat juventutem Mercurius biceps, aut etiam triceps; cujus ſtatua duplici, aut triplici capite prædita, olim in biviis ac triviis collocabatur, ad indicanda viarum diſcrimina. Statuis hiſce ſolebant viatores lapides accumulare, Deum hoc modo remuneraturi, ut lapidum aggeſtorum acervò fieret ejus effigies & cultus prætereuntibus notior ac religioſior. Meminit hujus moris Salomon Prov. 26. *Sicut qui lapidem mittit in acervum Mercurii: ita qui tribuit inſipienti honorem.* Ethicè monemur, ea tantùm ſequenda eſſe, ad quæ Deus & natura nos reddit idoneos; cùm ſummæ fatuitatis & dementiæ ſit, aliquid invitâ, quod aiunt, Minervâ ſuſcipere & proſequi. *Neque enim è quovis ligno fit Mercurius.* Et quia mentis humanæ tanta eſt cæcitas, ut quâ viâ ſit eundum, planè ignoret, recurrendum eſt ad eum animo ſupplice & demiſſo, qui eſt, *Via, Veritas, Vita.* Certè Socrates apud Platonem aſſeverat, eâ ſolùm eſſe pergendum viâ, quâ Deus ducit. Hinc adagium: *Mercuriô dextrô*, id eſt, propitio & favente aliquid aggredi. Extat de hoc acervo Mercurii elegans epigramma apud Alciatum, hoc lemmate: *Quà dii vocant: eundum.*

In

(*k*) *Qui mendax, & furax eſt.* (*l*) *Eundum, quà Deus vocat.*

In trivio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurii est igitur facies; suspende viator
Serta deo: rectum qui tibi monstret iter.
Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

Docemur insuper hoc emblemate, nihil nos, quodcunque vitæ genus eligamus, posse proficere, nisi magistrum aliquem probum, doctúmque nobis ad imitandum proponamus, qui sit instar alicuius *Hermæ*, viæ dux & director. Eius statua facta est pectore tenus; quia nihil præter consilium, exigitur à præceptore; cætera præstanda discipulo, & monitis obtemperandum; qui suspendit serta deo, si docilem se præbeat & gratum.

IX. Sed redeamus ad Salomonem, cuius proverbium sic explicari potest. (*m*) Sicut Mercurius vivus, fuit inventor & præses artium ac sapientiæ, & eloquentiæ, ac proinde honore dignus; statua verò Mercurii, utpote lapidea & inanimis, nec fari, nec sapere potens, nullo est cultu & honore afficienda: Sic pariter Sapiens, quasi unus Mercurius, honorem & venerationem meretur; insipiens verò, & iners, etsi propter genus aut opes prostet adorandus vulgo, quasi fictus & pictus Mercurius, non est capax honorationis. Hinc Prisci olim statuam Mercurii, manibus, pedibúsque mancam truncámque efformabant; imò deformabant, atque homines stupidos pardos, insulsos & insipientes vocitabant Mercurios saxeos, ligneósve: unde Juvenalis in quendam stolidum. Sat. 8.

------- At tu
Nil nisi Cecropides, * truncóque simillimus Hermæ:
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Ergo ut miremur te, non tua; primùm aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
---- miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.

Hîc observa ex adducto Salomonis proverbio, nonnunquam in SS. Scriptura nominari deos gentilium, & ad earum fabulas alludi. Ut hîc Mercurii meminit Salomon. Et Judith. c. 16. Nec percusserunt eum

(*m*) *Indoctus, Mercurius truncus.* * *Athenienſis ſolis Cecropis, Conditoris urbis, laudibus ſuperbiens.*

(Holofernem) filii Titan. Et Job. ult. Pro cornu stibii, quod erat nomen filiæ Job, Septuaginta vertunt: *Cornu Amaltheæ*, id est, Cornu copiosum, dives, rerum omnium affluentiâ abundans. Sapienter advertunt Expositores, cùm Scriptura Cornucopiæ, Sirenum, Orionis, Lamiarum, aut Gigantum mentionem facit, tantùm utilitatem illis fabulis significari, non verò falsitatem ullam nobis propinari. Quod suo modo ego de hac Ethica Symbolica intellectum velim, & in præfatione, pluribus monstravi.

SYMBOLVM XCVIII.

Vulcanus, ignis deus.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Quid sit lampada tradere. 2. Fabrorvm labor, & eius expositio Ethica. 3. Opifices industrii. Imperiti & improbi. 4. Vulcanus cælo & convivio deorum excluſus, quid indicet. 5. Cæcus amor nubentium.

VUlcanus, teste Servio dictus est, quasi *Volicanus* quòd flamma per aërem volet. Varro autem à majore vi ignis & violentia hoc ipsum accepisse nomen tradit. Appellatus etiam est *Mulciber* à mulcendo ferro: mulcere enim, inquit Festus, est mollire, sive lenire. Ex diis etiam hic deus est ortus, Jovis quippe & Junonis filius, quem parentes ob deformitatem cælo dejecerunt in *Lemnum* Ægæi maris insulam, ubi ab Euryone, *Oceani* filia, & *Thetide* nutritus est; vel, ut aliqui volunt, à *simiis*. Eo autem casu, quo ex olympo decidit, fregit pedem, & claudus est factus. Officinam habet in memorata insula una cum *Cyclopibus*, ministris suis. In *Ætna* quoque montis cavernis subterraneis, perpetuo exæstuantibus igne: itémque in *Lipara*, una ex Æoliis insulis, ferrum, ad incudem cum operis suis fabrilibus exercet. Virgilius eius laboribus, *Hieram* insuper insulam, Siciliæ proximam, Ætnæque & Liparæ vicinam attribuit. 8. Æneid.

Quam subter specus, & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnea tonant, validisque incudibus ictus

Auditi

Auditi referunt gemitum : ſtridúntque cavernis.
Strictúræ chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Dei huius, operarii ſocii, immani ſunt robore & lacertis validiſſimis præditi, de quibus Maro loc. cit.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Brontésque, Steropésque, & nudus membra Pyracmon.

Quid cuderint, nomina ipſorum docent. Nam *Brontes* à tonitru dictus eſt, ἀπὸ τῆς βροντῆς. *Steropes* à fulgetro, παρὰ τῆς στεροπῆς. *Pyracmon* ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ ἄκμονος, ab igne & incude. Eorum officia idem Poëta ibidem proſequitur

------- alii ventoſis follibus auras
Accipiunt, reddúntque: alii ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum, verſántque tenaci forcipe maſſam.

Eſt autem Vulcanus deus fabrorum, & faber deorum, qui Jovi fulmina, diísque cæteris arma adversùs gigantes cælo imminentes fabricavit. Ad menſam tamen deorum, credo propter deformitatem & fuligínem non eſt admiſſus. Quin etiam, cùm Minervæ nuptias expetiiſſet, repulſam inhonoratam tulit. Virgilius eclog. 4.

Nec deus hunc menſâ, dea nec dignata cubili eſt.

Tandem neſcio quâ fortunâ uxorem nactus eſt Venerem, quam in flagitio cum Marte deprehendiſſe, & ambos adamantinis catenis colligâſſe, alibi diximus. Cæterùm quidquid artificiosè ex metallo fuit unquam fabricatum, ad hunc autorem refertur. Quo in genere ſunt Monile Hermiones, Menelai filiæ, Corona Ariadne, Currus Solis & Martis, Palladis Ægis ſeu Clypeus, Achillis & Æneæ arma, aliáque eius opera non pauca. De fulminis procuſione Virgilius loc. cit.

Tres imbris torti radios, tres nubis aquoſæ
Addiderant: rutili tres ignis, & alitis Auſtri.
Fulgores nunc terrificos, ſonitúmque metúmque
Miſcebant operi, flammísque ſequacibus iras.

Ubi, ut hoc παρέργως inſeram, innuit Poëta toto anno jaci fulmen maximè in plagis calidioribus: nam per has periphraſes oſtendit anni tempora, quæ & quatuor eſſe, & ternos menſes habere, manifeſtum eſt. Unde dicit *tres imbris torti radios*, hoc eſt, grandinis, ſcilicet imbris con-

ſtricti & coacti in grandinem, quæ abundat per *Hiemem.* Deinde *nubis aquoſæ*, id eſt, *Veris*, quo tempore frequentes ſunt pluviæ. Addit, *rutili tres ignis*, hoc eſt, *Æſtatis. Et alitis Auſtri*, hoc eſt, *Autumni*, quo ventorum crebra ſunt flamina. Hæc Servius.

Celebrabantur olim in honorem Vulcani, certamina currentium cum accenſis facibus, quæ dicebantur *Lampadophoria.* Erat horum certaminum conſuetudo, ut currentes ſummo ſtudio conarentur accenſas faces ad metam usque deferre; at cui fax eſſet extincta, ille cum infamia ceſſabat à curſu. Siquis autem cum accenſa face fuiſſet à ſequente ſuperatus currendo, lege certantium cogebatur ſequenti lampadem accenſam tradere, quam rem indicavit Lucretius, lib. 2. ita ſcribens:

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.

Ethica.

I. (*a*) Siquis rectè conſideret, huic certamini ſimillima videbitur vita mortalium. Nam juxta adagium *lampada* dicuntur *tradere*, qui decedentes, quaſi ſucceſſione, partes ſuas alius in alium transferunt. Illuſtratur hoc ex proverbiis Salomonis c. 20. *Qui maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Eſt enim lucerna ſeu lampas Symbolum vitæ, famæ, nominis, gloriæ. In vitæ hujus ſtadio omnes decurrimus; faces, quas tenemus manibus, & alter alteri tradimus, ſunt opes, honores, & ſpiritus, quem ducimus. Hunc cenſentur à parentibus accipere liberi, dum ipſis poſt Deum vitæ ſunt auctores: & hi iterum abibunt è vivorum curriculo, & poſt ſe natos relinquent. Idem accidit in honorum & divitiarum catadromo; poſtquam perventum eſt ad votorum metam, jubet mors vaſa colligere, & facem nominis illuſtris cum funebri tæda permutare. Succedunt in avitam vel gloriam, vel opulentiam heredes, & poſt aliquot annos in hoc vitæ ſtadio decurſos, committunt lampadem nepotibus. Et quia lucerna ac lux Symbolum eſt lætitiæ, proſperitatis, & felicitatis, juxta illud Jobi c. 18. *Quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris*, id eſt, quando proſpera utebar fortuna, quando copioſus eram, felix & fortunatus: Ideò lucerna *maledici* in parentes, extinguitur in tenebris, cùm in impietatis pœnam Deus illi proſperitatem adimit, eámque commutat in calamitatem, & felicitatem in infelicitatem; dum ſcilicet efficit, ut omnia ei cadant infeliciter, ac

(*a*) *Quid ſit lampada tradere.*

ac in caput maledicum resultent, quod patri suo insultare non est veritum. *In tenebris* ergo, id est, per tenebras, cùm scilicet gravissimæ tenebræ eum obruent; id autem fit, tum in morte, quæ omnem claritatem & felicitatem impiorum tollit; tum in tempore vitæ, quo divina ultio, quæ per tenebras significatur, eum persequitur. Contrà de justo dicitur; *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Isa. 58. Sed propiùs ad Vulcanum. Censentur cum ardenti face spatium vitæ decurrere, qui bonis artibus & morum honestate præditi, transigunt vitam sine labe, & optima prælucent exempla aliis. Turpiter facem extingui sinunt, qui in vita nihil egerunt aliud, quàm ut dicerentur vixisse; vel qui initio curriculi, putà, in teneriore ætate præclara specimina dederant indolis, sed in procursu annorum hanc lampadem fœdis extinxerunt vitiis. Geminas, ternásque aut plures in cursu accendunt faces, qui alios sapientia & virtute longissimè antecellunt. Tradunt autem, decursô spatiô, lampadem aliis, qui post se relinquunt discipulos, filios, heredes, iisdem artibus & vitæ probitate imbutos. Et hoc dicebant veteres λαμπαδευειν, lampadem ferre, quod fieri solebat in Promethéis, in Vulcaniis, & Panathenaicis (Minervæ institutis à Theseo ludis, Latinè Quinquatriis) In his tribus ludis currentes facem gestabant: de his Chiliastes. Creditur Prometheus primus hoc ludorum genus instituisse, hunc quidem ad modum: ut facem defatigatus proximo in manum daret; is autem defessus alii, ac deinceps alius alii, Successione tradebant invicem (Historiæ, seu fabulæ Promethéæ quasi simulacrum repræsentantes) quasi ejus ferulam ventilantes, quâ cœlestem ignem exceperat, ne rursus extingueretur, perpetuo motu illam jactando. Itaque *lampadem tradere* dicetur, qui jam vel delassatus, vel emeritus, in alios munus gerendum abs se transfert. Et invicem censentur lampada tradere, qui, quod ait Terentius, tradunt operas mutuas, & aliis alii vicissim suppetias ferunt. Hæc ille.

II. (*b*) Fabrorum omnium Præses est Vulcanus, quos graphicè depingit Siracides c. 38. *Faber*, inquit, *ferrarius sedens juxta incudem, & considerans opus ferri: vapor ignis urit carnes ejus, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis oculus ejus. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia suâ ornabit in perfectionem.* Primò *sedet juxta incudem*, magister operis, forcipibus tenens, versánsque ferrum supra incudem, ut à ministris malleo feriatur, & ad ejus libitum efformetur. Deinde *considerat opus ferri.*

(*b*) *Fabrorum labor.*

ri. Nam artificis est scire, quale & qua ratione opus sit faciendum. Tertiò, *vapor ignis urit carnes ejus.* Est namque fabri ferrarii, posse ignem pati. Hinc Vulcanus dicitur deus ignipotens. Quartò, *in calore fornacis concertatur.* Certat enim faber contra calorem ignis, contráque ferri duritiem, ut illud igniat, ignitúmque crebris malleorum ictibus molliat & figuret. Unde Virgilius.

--------- Multa vi brachia tollunt
In numerum.

Quippe ad artem pertinet, sic vibrare malleorum ictus, ut ad mensuram incudem pulsent. Certè à fabrorum numerosis ictibus Pythagoras proportionem Musicam inveniisse fertur. Unde quintò dicit Siracides: *Vox mallei innovat aurem eius.* Id est, novis & repetitis malleorum pulsibus ac sonoribus feriuntur aures fabri, dissilientibus interea scintillis, & sonitu concentum quendam fabrilem edente. Sextò, *contra similitudinem vasis oculus eius.* Faber enim sæpius exemplar, ideam, & typum operis formandi inspicit. Denique, *cor suum dabit in consummationem operum*, ut scilicet rectè perficiat, quod sibi laborandum sumpsit. (c) *Ethicè* docemur 1. Nihil esse tam durum, tam asperum & arduum, quod non constans labor evincat. 2. Incus sub crebris malleorum ictibus perstans & perdurans, designat constantiam in malis incumbentibus. Unde proverbium in undique pressos: *inter malleum & incudem versari.* Hinc emblema *Incus*, & juxta *malleus*, cum lemmate: *durabo*, nempe inter adversa. Et Græcorum adagio fertur.

Ἄκμων μέγιστος ἀ φοβεῖται τὸν ψόφον.
Incus maxima non metuit strepitus.

Excelsus animus non commovetur minis, aut fortunæ sævientis procellis; sicut incus non mollescit, etsi super eam tonitrua, fulmináque procudantur à Cyclopibus. Et ipsi grandium malleorum & malorum ictus dum sonorum edunt concentum, ostendunt, animo non tantùm forti, sed & hilari adversa esse patienda. 3. *Eandem* dicuntur *incudem tundere*, qui indefatigabili assiduitate in operis alicuius studio perseverant. Convenit etiam in magistros litterarum, quibus sine fine eadem sunt inculcanda pueris, ut hæreant. 4. Malleus cum inscriptione: *ut cudam, antè cudar;* significat, eos, qui aliis rectè imperare, aut formare alios velit, debere priùs ipsos formari, & imperium ferre. 5. Apud Ciceronem dolere se ajebat Cato, si quando opificum, quales sunt imprimis fabri, antelucanâ victus esset industriâ. Idem Cicero 4. Tuscul. quæst. de

(c) *Ethica expositio laboris fabrilis.*

de Demosthene affirmat. Id quod litterarum, studiosis sæpius inculcandum. Quos non pigebit, juxta adagium *incudi reddere*; id est refingere, mutare, corrigere, & iterum ad limam revocare, quidquid perfunctoriè scriptum aut dictum fuit. Horatius:

Et malè tornatos incudi reddere versus.

6. Discant liberalium artium Clientes, quàm nullus labor subterfugiendus sit, ut sapientia comparetur; si mechanici opifices tantum sudoris lucrando pani quotidiano impendunt. Et tamen sua sorte contenti vivunt, felicésque se putant, si vires & robur suppetant ad incudem pulsandam. Nimirum ut rosa, flos omnium gratissimus, de spinis nascitur; sic è tristibus & asperis, laboris fructus capitur jucundissimus. Quàm indignum est igitur, eos otio & inertiæ deditos esse, qui labore minimè operoso, sine lacertorum contentione, sine grandium malleorum vibratione possent sapientiæ laudem, felicitatem vitæ, claritatem nominis, gloriam posteritatis adipisci!

III. Notanda sunt illa Vulcani apud Maronem loc. cit. verba.

-------- nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra;
Præcipitate moras. Nec plura effatus: at illi
Ocyus incubuere omnes, paritérque laborem
Sortiti.

(*d*) Habes hîc exemplum tam magistri, laboris socios acriter adhortantis, quàm operarum dicto mox audientium, strenuéque imperata facientium. Putent hoc sibi dictum opifices, quibus non satis est vires omnes contendere, nisi accedat *ars magistra*, ita, ut opus ipsum loquatur artificem: nam veteri dicto: *Quod ex arte non fit, laude caret sua.* Interest reipublicæ, quales opifices in civitatem recipiantur: quidam enim laborant affabrè, scitè, venustè, politè, solerter, operosè, probè & pretio parabili; alii infabrè, insciè, impolitè, futiliter, perfunctoriè, levique brachio: & tamen non verentur plus justò & æquò petere & exigere. (*e*) Quorum aliqui helluones, gulones, decoctores, lucellum diebus operariis acquisitum, diebus feriatis compotando absumunt. Hujusmodi homunculi tantùm abest, ut summo manè, aut medio noctis abacto, cum Vulcano opera ad fabrilia surgant; ut non rarò crapulam in multam exhalent diem, lurcones potiùs, quàm lucriones, improbissimi; qui post abliguritam pecuniam, post exinanitos loculos, domum reduces è cauponis, inflatum cibo potúque stomachum exonerant in

(*d*) *Opifices industrij.* (*e*) *Opifices improbi.*

in uxorem & liberos ; inque obvios clamoribus, furiis, minis, verberibus debacchantur; magis Lyæum, quàm Vulcanum in cornu gerentes. Nec pauci horum inveniuntur contribulium, qui Vulcanum in hoc uno gnaviter imitari ſatagunt, quod Virgilius de illo ſcribit. Nimirum ubi Venus in officinam ferrariam venit, & niveos in amplexum lacertos obtulit fabro, continuò is cerâ mollior, opera incepta relinquit, & ſocios quoque hortatur:

Tollite cuncta, inquit, cœptósque auferte labores.

Sic iſtæ viles animæ, ubi congerronum aliquis ad officinam acceſſerit, & vel chartulas pictas, vel cyathum Baccho, coctáve ſpumantem Cerere oſtenderit; vel blandior aliqua *Niſa* in conſpectum *Mopſi* venerit, relictis Jovis & Martis miniſteriis (quod Vulcanus fecit) hoc eſt, locatis & conductis laboribus in longum dilatis, ad oblata ſe gaudia convertunt, & tabernam fabrilem cum vinaria commutant: mentiendo, de die in diem procraſtinant tam opera facienda, quam operum promiſſa præſtanda. Et hinc eſt, quòd non Vulcanus tantùm claudus ſit, ſed ii quoque, qui Vulcani artem factitant; & præter hos, qui ad minorum deorum tribus pertinent, ut ſunt Sutores, Sartores, horúmque ſimiles; qui juxta Plautum, claudicant, ſi non pede, certè lingua, quam in perjuria venalem habent. Quorum opus ac labor ſæpius tam eſt perfunctorius, rudis, atque inſcitus, ut meritò dici poſſit *claudicare.*

IV. Vulcanus ſummo deo, ſummáque dea natus, deæque ſuperbiſſimæ, *Veneris*, maritus, cur non eſt admiſſus ad deorum epulas; & quod amplius eſt, cur tantorum parentum proles è cœlo præcipitata? Reſponſio ſuppetit non una: expediam paucis. (*f*) Vulcani dejectio patrio ex olympo ſignificat, heroum quoque filios eſſe noxas, quod alibi explicamus. Deinde deformem, hoc eſt degenerem moribus prolem è cenſu liberorum & heredum expungendam. Tertiò, aliquando à parentibus liberos, tanquam ignobiles, & clauſtris abdendos eliminari; qui tamen non ideò dii & divi eſſe deſinunt, etſi vilibus miniſteriis cum Vulcano addicantur. Quartò, Vulcanus claudicans ex caſu, dicere potuit, quod Lacon ille in prælio enervatus crure altero, ſe ad ſingulos paſſus meminiſſe virtutis in bello oſtenſæ, Vulcanus verò ſtirpis ſuæ è cælo ductæ, aut: non ſuo, ſed parentum ſe vitio claudicare. Sed quid? Vel propter uxorem, ſcilicet Venerem, meruiſſet Vulcanus epulis accumbere Divûm. Notate hoc opifices, quicunque uxores ambitis, patrimonium ſuum in vultu & veſte circumferentes; felices vos putatis, ſi Cyclops aliquis

(*f*) *Vulcanus epulo deorum & cœlo excluſus, quid ſignificet.*

quis Polyphemus, aut, quod in hoc symbolo tractamus, Vulcanus fuligine obsitus *Galateam* quampiam venustiorem domum duxerit. Nolite superbire; ubi prima nuptiarum blandimenta elanguerint, pro Venere habebitis multorum liberorum matrem, quæ Jovis filium, faciet Iri, Codrique nepotem; tot murium patrifamilias, aridus erit rodendus panis, & frigente foco, dura toleranda paupertas.

V. (*g*) Et quid est, quòd Venus dearum pulcherrima nupserit claudo, & atrore squalenti fabro? Nempe cæcus est amor; sine oculis capit amantes. Nam oculi, quos Cypris habet, non sunt oculi, sed oculorum spectra. O quoties cum risu nox conjunxit, quos sibi mutuò dies sero cum gemitu ostendit! Coaluit in tenebris infausta copula, quam nullæ dissolvent in sole querimoniæ. Et si tam infelix maritus obtigit Amorum matri, quidquid melius sperent ejusdem gynæcei nymphæ? Quamquam excusari possit dea, quæ magis videtur ingenium mariti, quàm formam in consilio habuisse. Quid si ad has nuptias Venerem etiam permoverit præstantia generis: Vulcanus enim erat Jovis & Junonis filius, scilicet ut jubar minores stellas obtegit, sic prosapiæ claritas non rarò præstringit oculos, ut vitia corporis, animique cerni non sinat; *placet simius in purpura.* Habent etiam, quod discant hîc illi, qui nobili sati stirpe, nihil dignum gerunt suo stemmate. Nam ad quid genus illustre, quid origo cœlestis, qualis Vulcani fuit, si *claudicet* virtus, si claritudini generis aspergatur pessimorum fuligo morum?

Salsè de imparitate nupturientium Epigrammatarius lib. 9. epig. 4.

In Paullam.

Nubere vis Prisco, * non miror, Paulla, sapisti:
Ducere te * non vult Priscus: & ille sapit.

Et libro 8. epigr. 12.

Ad Priscum.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere * nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fuerint femina, vírque pares.

(*g*) *Cæcus amor nubentium.* * *Diviti.* * *Infamem.* * *Nolo subjici uxori, quæ propriè nubere dicitur: vir autem ducere.*

SYMBOLVM XCIX.

Æolus, ventorum Deus.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Laudati Principis officium. 2. Affectuum suorum moderator. 3. Feminarum imperium. 4. Suspicio parens irarum. 5. Plus potest moderatio, quàm impetus. 6. Ventorum Symbola. 7. Quinam sint Æoli.

FUit Æolus Jovis, & *Sergestæ*, seu *Alcestæ* filius, nepos *Hippotæ* Troiani, unde dictus *Hippotades*. Sedem habuit in insula *Æolia*, inter Italiam & Siciliam interjectâ. Hac in regia *Ventis* imperat, quos vasto inclusos antro, & omni vi conantes erumpere.

Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

Indignantur illi quidem, impatientes custodiæ, magnóque cum murmure circùm claustra & portas fremunt, sed incassùm. Æolus sceptro potens compescit reluctantes, & furentium cohibet impetum, ne perfringant feras, emoliantur exitum, & in mundum rabiem suam effundant. Sin' aliter visum, & placeat frena remittere flabrorum turbulentiæ, cuspide sceptri cavum, quem inhabitat, montem concutit, in latus impellit, laxatóque per immanem hiatum spatio, fores & viam aperit prorumpere gestientibus. Illi igitur patefactâ portâ, ocyus veluti facto agmine prorunt, & tanto perflant terras turbine, maria quoque & æthera, ut videantur omnia ab imis sedibus convellere, ac evertere. Hinc exitia non modò singulorum hominum & locorum, sed etiam populorum ac regionum. Nam arbores à radice extirpantur, silvæ ac nemora prosternuntur, classes disijciuntur, naves confringuntur & discerpuntur, mœnia cum turribus diruuntur & solo æquantur.

Hic est ille Deus, qui mortalibus ventorum flatus pro libitu dispensat; hic à septentrione jubet avolare rigidum *Boream*, cui nomen ἀπὸ τῆς βοῆς, seu sono, & *Aquilo* dicitur ob velocitatem aquilæ volanti parem; qui de se gloriatur. 6. Metam.

Apta

Apta mihi vis eſt, vi triſtia nubila pello,
Vi freta concutio, nodoſáque robora verto,
Induróque nives, & terras grandine pulſo.
Idem ego cùm fratres campo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,
Ut medius noſtris concurſibus inſonet æther,
Exíliántque cavis eliſi nubibus ignes.
Idem ego cùm ſubii convexa foramina terræ,
Suppoſuíque ferox imis mea terga cavernis,
Sollicito manes, totúmque tremoribus orbem.

De eodem Claudianus:

Cùm gravis armatur Boreas, glaciéque minaci
Hiſpidus, & Getica concretus grandine pennas.

Huic procelloſo, violento, & barbitio glaciato, horrenti Flamini, occurrit è regione, & adverſa fronte decertat nebuloſus *Auſter*, quaſi *Hauſter*, ab hauriendis aquis. *Notus* etiam appellatur, ἀπὸ τῆς νοτίδος, ab humore. Poëtæ ipſum *Pincernam* pluviarum nuncupant. Alis volat madidis, vultu caliginoſo, barba umbroſa, pennis & capillis rorantibus; tempore maximè autumnali auras & terras infeſtat, ac morbos creat.

Idem Æolus pro regia ſua poteſtate *Eurum* ſeu *Vulturnum* pennarum remigio nigrantem ab Oriente emittit; nomen habet ab ἕω & ῥέων, quòd ab aurora fiet, & trux inſibilet auris. *Vulturnus* dictus à vulturis volatu, quoniam altè reſonat. Hic ventus flammeo halitu ſolet fructus adurere, & fluctibus obruere rates. Poëtæ ipſum petulantem, protervum, immitem, & nimbos agentem vocant.

Omnium placidiſſimus eſt *Zephyrus* ſeu *Favonius*, à favendo dictus; & Zephyrus, quaſi ζοῆς φόρος vitam ferens, aut ζοὴν φέρων, alimoniam, unde victitamus, proferens. Plinius nominat eum, *genitalis humidi Spiritum*. Hic eſt Veris amœni comes & ductor, florum pater; facie juvenili, tempora floribus redimitus, leniter ſpirans, mollis, mulcens, fœcundans, roſeus, odorifer, & placidas temperans horas. Nonnunquam tamen & ipſe cum fratribus certamina miſcet; quidque poſſit animus, cætera mitis, cùm in iram concitatur, oſtendit. De his fratribus Ovidius lib. 1. Metam.

------ vix nunc obſiſtitur illis
(Cùm ſua quisque regat diverſo flamina tractu)

Quin lanient mundum. Tanta est discordia fratrum.

Obstitit tamen illis Hippotades, & imperio continet ac compescit, non minis tantùm ostentatis, & objectis postibus: sed verbis etiam placidioribus, & ad mitigandum aptis. Hinc Maro. 1. Æneid.

----- mollitque animos, & temperat iras.

Idem de eodem canit: quòd

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Ethica.

I. (*a*) Hac habenarum adductione & remissione quid aliud demonstratur, quàm laudati Principis officium; nempe ut in populos subjectos imperium neque durè nimis & inclementer, neque dissolutè & negligenter exerceat. Bonus Princeps, inquit Seneca lib. 1. c. 18. de clement. Similis est patri, & ideò *pater patriæ* appellatur: patris autem est in severitate meminisse indulgentiæ, & in indulgentia disciplinæ. Neque enim minùs Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Sed hac de re nos alibi non uno in loco.

II. (*b*) Æolo similis est quilibet vir sapiens, qui novit moderari affectibus pro opportunitate, & negotiorum præsentium: nunc enim conducit simulare iram, nunc dissimulare; sicut Æolus ventos retinet & emittit, uti libuerit. Quid autem est præclarius & laude dignius, quàm sic in potestate habere permotiones animi, præsertim appetitionis irascentis, ut ad rationis legem & moderamen, velut in antro claudantur, rursùmque, si necesse sit, temperato freno laxentur? Quisquis ita sibi imperare didicit, næ ego hunc potentiorem Æolo dixerim,

------ Cui Divûm pater, atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Appositè huc Tullius. 1. Offic. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortasse & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id tamen sic agendum est, ut ne ea facere videamur irati. Ad hanc rem etiam Salomon Prov. 16. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Quasi diceret: Quis tanto robore & fortitudine præditus est, ut ventosum iracundiæ spiritum sub freno cohibere possit, ne subitò erumpat, & obvia quæque turbine perflet? Ducta similitudo à ventis: scimus autem, iratos naribus

(*a*) *Laudati Principis officium.* (*b*) *Vir sapiens, & affectuum suorum dominus.*

bus efflare ſpiritum ſeu halitum; hinc adagium: *fumantem naſum ne tentaveris.*

Neque verò iræ tantùm impetus ſunt ad rationis moderamen flectendi, ſed cæterarum quoque affectionum humanarum, præſertim cupiditatis, voluptatis, timoris commotiones opus habent Æolo prudenti, qui non ſinat eas temerè velut diſcordes in prœlia ventos procurrere, ſed regat, domet, & premat habenis.

III. (*c*) Notandum eſt, quod Maro loc. cit. Æneid. Junonem inducat blandiſſima verba dantem Æolo, quibus eum ad tempeſtatem in mari adversùs Trojanos concitandam adhortatur. Hoc ſcilicet faciunt Junones iſtæ, ſuperbæ, iracundæ; quibus ſatis non eſt ſolis miſcere cælum terræ, ipſúmque Acheronta movere, niſi viros etiam in partem ſuarum libidinum rapiant. Alexander Macedo ut Perſepolin, nobiliſſimam Perſidis urbem incenderet, Thais ei temulenta facem prætulit. Curt. lib. 5. *Celſa ſedebat Æolus arce, ſceptra tenent;* quis hunc regem de ſua quiete movit; & eum turbavit, qui turbas ventorum ſceptro ſuo domat; quis incitavit ad tempeſtatem in alieno regno, nempe Neptuni, exſuſcitandam? Juno fuit, femineâ fallaciâ blandiens. O quoties fit, ut Ratio, quam in capite, tanquam in Arce poſuit Deus, per illecebras mulierum, aut pravarum libidinum, in graviſſimas perturbationes, & regnorum ac provinciarum peſtes rapiatur? Et quid mollius, ac effeminatius, quàm illud Æoli:

------ tuus ô regina, quid optes
Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Hoc dicunt, agúntque, qui femineis imperiis ac blandimentis aguntur. Cui non eſt lecta hiſtoria de *Nino* Aſſyriorum Rege, qui cùm vel unum in diem uxori Semiramidi imperium permiſiſſet, miſer conjugis mandato in vincula conjectus, & imperio ac vita exutus eſt? Ælian. lib. 7. c. 1. Dio.

IV. (*d*) Subtiliùs fortaſsè per Junonem intelligas *Suſpicionem* ſeu *Imaginationem* injuriæ, quâ homo correptus, inflatur velut Æolus, & turbulentos in omnem partem ventos, hoc eſt, furoris impetus ſpargit. Etenim Seneca teſte, leviſſimis ex ſuſpicionibus graviſſimæ concitationes oriuntur. Et quid ingerit futilis hæc Juno. *Suſpicio* inquam?

Incute vim ventis, ſubmerſásque obrue puppes.

Exere vires, & oſtende, quid poſſit læſa patientia? quid injuria honori & famæ illata? quid utriusque defenſio? Hîc verò feroces ſurgunt

 ſpiritus,

(*c*) *Feminarum imperium.* (*d*) *Suſpicio cauſa iracundiæ.*

ſpiritus, ultionis ſtimulat cupido, irarum flamina non ſecus ac Eurus, Notúsque ruunt, & vaſtos voluunt ad littora fluctus. Grandis oritur tempeſtas, eripitur dies menti, obfuſcatur ratio, recto judicio nox incubat atra, omnes animi facultates procellis involvuntur. Monet Horatius lib. 1. epiſt. ad Lolium:

Ira furor brevis eſt: animum rege; qui niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

V. (*e*) Boream immodicè vires ſuas jactantem ſuprà audivimus: quò denotatur, multa quidem per vim & terrorem obtineri; ſed tamen veriſſimum illud eſſe Salluſtii dictum: *Sævitia plus timoris, quàm potentiæ addit.* Imperia crudelia magis acerba ſunt, quàm diuturna. Sæpiſſimè fit, ut furorem ſuum effundat in ſcopulum Aquilo, & ibi frangatur maximè, ubi maximè debacchatur. Non rarò plus potuit leni flamine Zephyrus, quàm veſano murmure Ventus ille rapidus. Hoc veteri apologo docemur. Fortè Zephyrus & Boreas certamen inter ſe ibant, utrius majores eſſent vires. Placuit experimentum in viatore ſumere, quem, qui prior veſtibus ſpoliâſſet, næ is prævaleret robore. Inſtitit initium facere Boreas, meras efflare hiemes, horrendum furere, & omni flatuum conatu id agere, ut viatoris capiti pileum, aut lateri pallium deriperet. Fruſtra fuit impetus. Hoc enim ut agi viator ſenſit, rei ſuæ ſatagens obniti cœpit pro viribus: pileum, ne volaret, ſtrictiùs ſibi imprimere: pallium, ne viventi abriperetur, brachiis ſubjicere, illóque ſe involuere. Ea in adverſum contentione fractus Boreas, animum deſpondit, alas demiſit. Zephyrus alium inſtituens vincendi modum, orſus eſt quàm molliſſimè ſpirare, tepidulam afflare auram, dulci blandiri ſibilo, placido mulcere ventulo caput & ora viatoris, leniſſimè per ipſas ſubire veſtes, totúmque hominis corpus leniter demulcere. Calebat, jam antè Solis & itineris æſtu viator, arebant fauces, languebant humeri, ſuccidebant pedes, ſudor per artus fluebat; ipſéque jam ſibi grande pondus fuerat, nedum veſtis. Ergo ventilatur ſtrophio vertex, pileus ponitur, ſolvitur ſinus, rejicitur penula; jámque umbraculum proſpectat, ſéque ſubter opacam arborem ſternit humi, ut ſeminudus exciperet blandi flabra Favonii. Ita victoria ceſſit Zephyro. Manſuetudo lene tormentum adhibet animo; tunc vincit maximè, cùm cedere videtur & vinci. Herba, cui nomen ocymus, modicè compreſſa reddit odorem; duriùs attrita, amittit ſuavitatem.

VI. (*f*)

(*e*) *Major eſt vis in moderatione, quàm in impetu.*

VI. (*f*) Varia ducuntur à ventis Symbola; exempli gratiâ, fingitur emblema *Venti*, totam ſilvam, minores, majorésque arbores impellentis. Lemma: *Omnes hac tangimur aurâ.* Leniter aſpirat favor, honoris cupidis, & ultrò inflectit ad obſequia, quando ſuaviorem audiunt ſuſurrum. 2. Ventus incluſus ſub terra, eâ perruptâ emergit in altum. Lemma: *Fit via vi.* In eos convenit; qui per vim graſſantur ad id; quòd concupiſcunt, etſi vertendæ ſint cum montibus urbes. 3. Ventus impellit flammam ab æde incenſa ad vicinas domos. Lemma. *Incendia nutrit.* Unius ambitio hominis quàm latè graſſatur bellorum incendiis! 4. Ventus turres evertit, & arborum majores: opprimit minores. Lemma: *Magna rapit, minora obruit.* Ambitio pares non fert: Minores proculcat; Majores ſternit. 5. Ventus nimius extinguit, moderatus alit ignem in facibus. Lemma. *Omne nimium obruit.* Intra mediocritatem te contine.

VII. (*g*) Atque hæc de Æolo bucculento, & diſcordibus eius filiis. Æoli nomine poſſis illos afficere, qui buccis tumentibus vorant, & malas, vel ut tympana, ſuperingeſtis avidè cibis diſtendunt. Et illos, qui ſaburrati abdomine, animam habent pro ſale, pendent palearia colli, aqualiculus ut promontorium prominet, caput Phœbeæ lampadis inſtar in orbem protuberat, os & nares auram, ut bubali reciprocant. Et illos, qui mendaciis aſſueti, nihil niſi fumum & ventum exhalant, aut, quod in proverbiis eſt, *ventos paſcunt.* Vide plura Symbolo 66. in Ethica n. 3. Daniel Bartolus in Geographia Politico-morali, cap. 1. Æoli antrum comparat Spei Aulicorum, quos cernas intumeſcere, fremere, circumvolare inquietos, turbidos, violentos, inter ſe depræliantes flamine occultarum calumniarum, aut turbinibus apertarum inimicitiarum, tanto cum furore & fremitu, ut Æoli poëtica ſpelunca nec tertiam veſaniæ huius partem figmento ſuo æquârit. Quæ tempeſtates & concuſſiones æmulorum, cùm in ſublime evolant ii, qui in fundo jacuerant; & in præceps eunt, qui in apice ſteterant! Quoties vidit Roma hiſtrionem quempiam, citharœdum, libertum uno die ad tantos honores perveniſſe, quantas eodem Patri eius aliquis, Senator, aut Conſularis amiſerat; hereditatem nempe, à pluribus retro ſæculis majorum induſtriâ congeſtam. Quid dicam? quòd Aulicorum vota & ſpes alia quoque ratione ventis ſunt perſimiles, quòd naturâ ſuâ pendere, naſci, & conſiſtere ſoleant in aëre, ſpirare, & pænè vivere ex aëre. Ut adeò nulla reperiatur Aula, in quam non quadret nomen illud: *Domus Ventorum.* Hæc ille. SYM.

(*f*) *Symbola à ventis deſumpta.* (*g*) *Quinam ſint Æoli.*

SYMBOLVM C.

Iuno, Regina Divûm.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Juno emblema imperiosæ mulieris, 2. Et impotentis, 3. Et Superbæ, 4. Et iracundæ, 5. Et garrulæ. 6. Fortunæ blandienti non fidendum. 7. Vir constans, 8. Refert, quæ nuttrix, sit pueri.

DE hac dea, etsi non semel eius meminerimus suprà, plura nobis hoc loco tractanda sunt. Fuit Saturni, uti memoravimus, & Opis filia, Jovis soror & conjunx, dea regnorum & divitiarum, nubentium quoque & parturientium; unde *Pronuba*, *Lucina*, *Conjuga*, Ilithya vel Ilithyia, ἀπὸ τῦ ἐλίσσεσθαι ab evoluendo, scilicet partu, vocatur: altera manu facem præferens, quia lucem fœtibus adfert. Etymon eius nominis est, quòd unà cum Jove *juvet*. Pro ancilla & nuntia habet *Iridem*: utitur quatuordecim nympharum famulitio. Ei consecrati sunt *pavones*, currum ipsius trahentes: Anser quoque illi sacer esse fertur. Homerus lib. O. Iliad. canit, hanc deam aliquando à Jove in medio suspensam æthere, pedibúsque illius duas appensas incudes, aureô manibus vinculô injectô; graviter quidem ferentibus id diis, neque tamen nodum solvere valentibus. Filia ei unica *Hebe*, Jovis pocillatrix, quam comestis silvestribus lactucis concepisse narratur. Vulcanum ex Jove peperit. Poëtæ fabulantur Jovem aliquando Herculem, filium nothum, nempe ex Alcmena susceptum, dormientis Junonis uberibus admovisse; sed hunc ab ea expergefacta rejectum fuisse, partémque lactis in cælum cecidisse, viam signasse *Lacteam*, quam Græci γαλαξίαν nominant; partem in terram defluxisse, & liliis candorem induxisse, cùm priùs croceo colore fuerint prædita. Cæterùm ubique à Poëtis Juno inducitur superba & iracunda. Apud Maronem 5. Æneid. memor spretæ à Paride formæ, & prælatæ sibi Veneris, misit Irin ad feminas Trojanas, easque concitavit ad naves Æneæ comburendas. Et 1. Æneid. verbis arrogantiæ ac vindictæ plenis indignatur acerbissimè, plus posse Palladem ad perdendos Græcos, quàm se ad pessundandos Trojanos. Existima,

te

te videre Ipsam per Olympi regiam inambulantem, ansatis utrinque manibus, & minas illas, quas Poëtarum Latinorum princeps patheticè refert, non ore tantùm, sed toto corpore spirantem:

Aſt ego quæ divûm incedo regina, Jovísque
Et soror & conjux, una cum gente tot annos
Bella gero? Et quisquam Numen Junonis adoret
Præterea? aut supplex aris imponat honorem?

Quid fastuosius? quot verba, tot tonitrua. *Ego*, ait; & qualis illa? Regina Divorum, Jovis ter Maximi soror & conjunx. Ille orbis est utriusque dominus; ego sum domina. *Tot annos bella gero.* Dea cum hominibus, immortalis cum mortalibus, regina cum subditis. Potuit dea longè me inferior, Pallas inquam, inimicos suos, & quidem victores (nempe Græcos) vincere: ego dearum suprema, & majestate supereminens homines victos (scilicet Trojanos) vincere nequeam? *Incedo regina.* Quâ pompâ, quô gynæceo, qua veneratione Cælicolûm. Omnes mihi genu curuant, omnes sua obsequia substernunt. Et tamen! Trojani. Qui? Exules, profugi, laris incerti, me spernunt, meas iras lacessunt. Quid indignius?

Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea?

Quis ulla deinceps veneratione prosequetur me à vilissima Phrygum gente superatam, despectam, irrisam? Quis mihi adolebit thura hæc patienti, hæc ferenti? Expetam ultionem, quæ Junonem deceat; ostendam, quid sit Jovis conjugem lacessere, quid dominam Olympi in arma vocare. Sentient, sentient impiata capita, quàm gravi feriat ictu, quæ fratris & conjugis, parata habet ad manum fulmina. Hæc illa ibi. Nec mitiora aut demissiora apud alios poëtas loquitur. Ex paucis collige plura.

Ethica.

I. (*a*) Rectè igitur per Junonem intelligitur femina impotentis animi, iracundi, superbi, divitiis ac honoribus inflati, Zelotypiâ abrepti. Ex fabulis constat, quibus & quàm duris imperiis Juno Herculem exercuerit, & per mille discrimina circumegerit, non alia de causa, quàm odio novercali. Nec contenta virum fortissimum aliis atque aliis monstris objecisse, Eumenidas insuper ex orco evocavit, & in Alcidem immisit, à quibus furiatus, suammet uxorem cum filiis interemit. In qua re multas

(*a*) *Imperiosa mulier.*

habet æmulas Juno, iracundiam ſuam, etiam vocatis in auxilium inferis, effundentes. Miſerum virum, cui mulier dives & ſuperba dominatur. Monet Eccleſiaſticus c. 9. *Ne des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.* Ut ſcilicet jus tuum, auctoritatem, & imperium maritale ſibi uſurpet, téque contemptibilem reddat. Cato ſenior objurgans ſummam uxorum Romæ licentiam & potentiam: Omnes, inquit, homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores. Idem apud Livium lib. 34. monet viros, ne uxores ſibi æquari ſinant: extemplò enim, inquit, ſimul ac pares eſſe cœperint, ſuperiores erunt. Deſperate, iſtas modum licentiæ facturas, niſi vos faciatis. Hæc Cato Romanorum ſapientiſſimus. E SS. litteris Salomonem habemus, qui ſceptrum regium muliebri dominatui ſubjiciens, ad deteſtabilem idolorum cultum pertractus eſt. De mulierum imperio graviſſimè I. Lipſius in Monitis & exemplis politicis lib. 2. c. 2. Vir, inquit, ad virtutem & regimen natus: animo, corpore, voce, viſu robuſtior, & quem magis vereare, aut venerere. In femina omnia levia, mollia: quæ amorem, non reverentiam creent. A natura ipſa timidæ magis ſunt, quàm timendæ: non igitur hîc auctoritas. Jam in viro prudentia & conſtantia: in illis calliditas aut argutiæ, imbecillitas deinde judicii, & in decretis, ſenſibúsque curipus. Septies in die mutant. Rarò etiam altum aut honeſtum ſpirant; ſunt in vanis & vilibus curis: non ergo ad ſceptrum, & publicum decus idoneæ. Duæ etiam virtutes principum primæ, Juſtitia & Fides, firmiter vix ſunt in iſtis. Non prior, quia inclinant facilè, & miſerantur: facillimè & gratiæ aut affectui obſecundant. Non altera, quia mobiles ingenio ſunt, & mutant, ut ventus. Ne Clementia quidem ſit, quæ putetur: & benignior ille vultus, neſcio quomodo, ſævum ſæpe animum & vindicem celat. Quid de laſcivia aut luxu dicam? utrique vitio opportunas ſcimus, & pudorem atque opes prodigere; præſertim cùm ſui juris & ſortis fœnum non habent, quod adſtringat. Hæc vir doctiſſimus de imperioſis Junonibus.

II. (*b*) Sicut ex opibus naſcitur arrogantia, ſic ex arrogantia oritur iracundia, communiſſimum feminarum vitium; cuius proles impatientia, præcipitantia, furor. Namque ſexus hic facillimè concitatur in jurgia, verba & verbera, ferrum & necem tam ſuam, quàm ſuorum. Teſtatur Juvenalis Sat. 6.

------ Quoties facit ira nocentem

Hunc

(*b*) *Mulier impotens.*

Hunc sexum, rabie jecur accendente, feruntur
Præcipites, ut saxa jugis abrepta.

S. Chrysostomus homil. de decoll. S. Joan Bapt. Mulier, ait, cùm injuriâ afficitur, insanit. Et alius: Irritabile & vindex est mulierum genus, præsertim si opibus & nobilitate virum superet. Siracides dicit c. 25. *Mulier si primatum habet, contraria est viro suo.* Videlicet adversa & rebellis, eidémque contraria volet, & imperabit. Unde Martialis lib. 8. epigram. ad Priscum.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

Huc facit & illud Poëtæ recentioris:

Unum est conjugis utriusque velle,
Miror, non benè convenire vobis.

Vult scilicet uxor idem ac maritus, dum uterque dominari, & caput esse cupit.

Clarè Aristoteles 8. Ethic. c. 10. Dominantur uxores propter amplitudinem patrimonii. Et Comicus: Argentum dote accepi, imperium vendidi. Eleganter quidam feminarum litigia omnibus cæli injuriis comparat. Dum clamant, inquit, tonant: cùm probra & maledicta jaciunt, fulminant: cùm contendunt & litigant, nimbos & tempestates cient: urunt, cùm querulæ sunt: & cùm rigidas se, ac minimè amantes exhibent, glaciem effundunt. Ut proinde *Beatus sit, qui habitat cum muliere sensata.* Eccli. 25. v. 11. Carolus Scribanius in Institutione Politico-Christiana lib. 2. c. 4. docet, quomodo maritus imperium sibi perpetuum in uxorem sit paraturus. Videlicet, si primis matrimonii mensibus, dum adhuc verecundia & modestia amori miscentur, ad viri mores uxor componatur, & obsequi assuescat, ut amare sciat & revereri. Auctoritas indulgentiâ vilescit. Qualem primis diebus uxor virum senserit, talem habebit: si remissum & indulgentem contemnet, semel si contempserit, perget: nec ad cultum sine ingenti conatu revocabitur. Non est uxor habenda ut ancilla, nec ut domina. Indulgentior tamen erit vir prudens in conjugem, quàm in prolem; & dum agnoscit sobolis suæ matrem, se meminerit patrem, & imperio natum. Hæc contra imperiosas Junones vir ille sapientissimus.

III. (c) *Pavo* Junoni sacer est, animal superbum, ambitiosum, alta petens, variis coloribus ornatum. Feminæ divitis & fastuosæ est hæc avis imago splendida, tunc præsertim cùm pennarum syrma explicat,

(c) *Pavo imago superbæ feminæ.*

& ſeſe ſpectantium oculis oſtentat. At cùm ſqualidos pedes intuetur, mox picturatam illam rotam contrahit, ſtellatámque eandem, pudore ſuî, demittit. Facerent & feminæ, ſi meminiſſent ſordium, quibus nunquam ſatis purgantur. Sapienter Theophraſtus dicebat: ſub formoſa ſpecie, quàm multa turpia deliteſcunt! In adagiis eſt: *mulier laudata pavone ſuperbior.* Repetimus ex Juvenalis Sat. 6. quod alibi attulimus.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extenſis magnos committit elenchos.

Graviter Tertullianus lib. de habitu mulier. c. 4. Habitus feminæ, ait, duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum. *Cultum* dicimus, quem mundum muliebrem vocant; *Ornatum*, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis. Non poſſum facere, quin hîc exhibeam picturam pavonis Junonii ad vivum expreſſi. Contemplare. Nobilis ac dives eſt hæc puella, amplæ familiæ ſpes, & heres unica, quò meliore forma fulgens, hòc faſtu vaniore turgens. At ecce illam! commodùm ab rheda illa inaurata prodit, imago ad ſpeculum ficta, officina delitiarum, exemplar levitatis abſolutum. Cernis, ut tumet vanitatis ſimulacrum, ut ſe circumſpicit ſuperba, ut ſe venditat arrogans, ut collum erigit, greſſúmque frangit, oculósque torquet circumcumquaque, non tam ut videat, quàm ut videatur. Viden', ut purpuream trahit cum oſtentatione laſciviæ, defluentem luxuriâ tunicam auro, gemmísque radiatam: ut detracto molliter criſpo bombycino à leviculo vertice, protendit, jactátque cerviculam; ut capillos ambitioſiùs comptos, cincinnatósque velut in cidarim, hinc inde ſparſos explicat, leviſſimæque ventorum agitationi permittit, quaſi captans ab aura gloriolam. En ut niveæ ſplendent armillis manus, ut aures micant inauribus aureis, ut collum gemino torque rutilat, ut crebro coma ſcintillat adamante, ut malæ ſunt ceruſſatæ &c. Pinxit hanc tabellam, non abſolvit Franc. Pomey in Candidato Rhet. progymn. 9.

IV. (*d*) *Pavo*, præterquam quod ſuperbum ſit animal, facilè irritatur, & in obvios iracundè involat. Quid irritatius hoc genus Junonibus? Capillus unus non ad legem compoſitus, cibus non ad palatum conditus, unguis digiti malè ſectus, catellus imprudenti pede calcatus, janua

(*d*) *Et iracunda.*

janua cum stridore clausa, famium vasculum rimâ pertusum, emota loco suo acicula, synthesis non satis à sapone candens, cyclas minùs decorè in plicas aptata, ruga in mappa mensæ instrata, superi! quas non rarò tempestates in his dominis excitant! quantùm efferveſcunt, quantùm spumant! quàm tonant & fulminant, totámque à sedibus imis domum evertunt! Malè illi, qui contrà mutire ausit. Ardet bile jecur, quæ non in famulos duntaxat ac famulas, sed in maritos quoque effunditur & evomitur. Hîc bonus vir, si sapit, palliolum suum humeris pacatè injiciet, & silente pede se tectis efferet, ne novus Socrates novam Xantippen sentiat. Atque hos animos addit feminis genus & opes; ad quæ si accesserit forma, tum enimverò actum est de imperio. Cede Junoni Jupiter, & alicubi *Sosiam* age; domina cœlum obtinet, & regnat. Hinc à pedibus & officiis ancillaribus est ei Iris, Thaumantis (ab admiratione sic nominati) filia alata, versicolore cultu; quódque fuit Mercurius Jovi, hoc erat Iris Junoni; nisi quòd Mercurius ad concordiam, Iris ferè ad discordiam curandam mittitur, ut observat Jac. Pont. in 5. Æneid. v. 606. & lib. 9. v. 2. Juxta illum Iris, quasi ἔρις, *lis*, vocatur, quanquam alii ab ἰρεῖν loqui malunt deducere. Nempe qualis hera, talis pedisequa, admirationem à superba forma & colore vestium vario quærens; de quo Virgil. 4. Æn.

Mille trahens varios adverso sole colores.

Prompta ad rixas concitandas: loquax ad sermones differendos: levis, vaga, volatica.

(*e*) Volebam hîc præterire anserem, Junoni sacratum nisi importuno clamore suo se proderet, & vellet dici. Loquacitatis hanc avem esse symbolum, quis nescit? Admittamus igitur Junonis inter pedisequas inquietum animal, & collum ejus sublime applicemus ad Junonium, quem exagitavimus, fastum; streperam verò linguam garrulitati, doti feminarum propriæ, dicemus, dedicemus. Illud in anserino genere lepidum est observatu; cùm per januam quantumvis altam volucris hæc ingreditur, inclinat caput, ne scilicet illud ad postes superiores impingat. Nempe collum longiusculum putat esse colossum Rhodium, aut equum Trojanum, quem portarum angustiæ non capiant. Genius hic est superbiæ, præsertim femineæ, quæ cùm caput crinitis ædificat turribus, cœlum sibi vertice tangere videtur.

V. (*f*) Per pavonem opulentiæ symbolum homines denotari divites, Pierius testatur: & ideò pavo consecratus est Junoni, quòd divitia-

(*e*) *Cur anser Junoni sacer* (*f*) *Ala pavonis & pedes.*

tiarum hæc sit præses Tutelaris. Divitiæ plerumque conjunctæ sunt cum fastu, & spectari volunt, ut pavus; qui si admiratorem nullum habuerit caudatas opes contrahit. Per oculos in syrmate pavonino variegatos Mythologi ostendunt, magnas fortunas multis opus habere custodibus, ne surripiantur; & superbiam opulentorum detumescere, si considerent pedes, id est, finem, quem amplæ divitiæ habere solent. Nemo horum beatorum felicitate sua securè gloriatur; terrent vicissitudines fortunæ, & ab externis insidiæ. Quis fortunatior olim Polycrate Samiorum tyranno? etiam projectum in mare annulum per piscem recepit, quasi ne studio quidem siniſtram posset accersere fortunam. Sed eventus ostendit, quô locô humana felicitas sit posita. Ab Oræte enim Darii Persarum regis præfecto, in summo Mycalensis montis jugo, cruci affixus est. Quod suprà diximus. Ne fide; dum fortuna sæviens in alios, parcit tibi; suspectam habe, usuram exiget moræ. Hoc cauda pavonis, hoc docent pedes.

VI. (*g*) Per Junonem in medio ætheris pendulam, (ut demus hoc figmento Homerico) & injectis à Jove vinculis, nulla deorum vi solvendam, intelligitur, virum bonum, neque avaritia, neque ambitione, quod per Junonem indicatur, à recto dimoveri posse: quemadmodum Jupiter neque per Junonis opes, nec per eloquentiam Mercurii, neque blanditiis Veneris, neque Martis minis, neque omnium deorum machinis permoveri potuit, ut plus possent illi in Junone solvenda, vel in terram detrahendâ, etsi ponderibus gravatâ, quàm ipse in ea alliganda, aut retinenda. Mythologus.

VII. (*h*) Junonio lacte niveam in cœlo stellarum viam signatam esse, & in terris candore lilia picta, denotat, plurimùm interesse, quæ sugat infans ubera, an cœlestis sit succus ille & divinus, nimirum à dea, qualis erat Juno, propinatus; an viperinus & orcinus à vipera aut Furia quapiam Acherontica lactenti instillatus. Ille liquor rigabit indolem ad altiora & cœlestia aptam: castam, virgineam, labes & sordes exosam: hic despumabit virus olentis malè Veneris, & animi impurati, inque vitia à primis cunabulis projecti. Felix illa mater, felix proles, cui hæc Lucina faverit; infelix, cùm Lamia lactaverit fœtum!

Plura de hoc argumento locis aliis.

SYM-

(*g*) *Vir constans.* (*h*) *Refert, qua nutrix sit puero.*

SYMBOLVM CI.

Diana, dea multiformis.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Varia Lunæ seu Dianæ symbola. Somnolentia. 2. Dianæ inferæ cultrices sagæ. An plures venefici, an veneficæ? 3. Diana venatrix Castitatis exemplar. Commendatio venationis.

Mirè variant in hac dea describenda Poëtæ, sive nomina spectes illius, sive munia. Horatius lib. 3. Carm. Od. 21.

Montium custos, nemorúmque Virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimísque letho
Diva triformis.

Quibus versibus exprimitur, ipsam esse *venatricem*, & silvarum, nemorúmque deam. Item *parturientium* Præsidem, & *Lucinam* vocari, quòd partum in lucem proferre crederetur. Quo nomine, suprà diximus, etiam Junonem appellatam, quia scilicet puerperas in enitendo partu juvet. Parùm refert, sive hæc, sive illa dea, sive utraque obstetricandi officium in se suscipiat; cùm satis utrique laboris in hoc suppetat officio. Mythologus lib. 3. c. 18. ait, Dianam ideo puerperis præfectam, ut intelligeret, quantum malorum cumulum devitasset, cùm virginitatem expetivit. *Dianam* aiunt vocari, quia noctu quasi diem efficiat: nam eadem in cœlo est *Luna*, in terris *Diana* & apud inferos *Hecate* seu *Proserpina*, seu Juno inferna. 6. Æneid. adeò liberales sunt Poëtæ, sive velint augere deos, sive minuere. *Triviæ* quoque nomine appellatur Diana, vel quòd præesset triviis: solebant enim statuæ ejus poni in trivio, ibíque sacrificia fieri. Vel quòd tria haberet capita; dextrum caput *canis*, siniſtrum *equi*, medium *hominis*, aut suis agrestis, seu *apri*. Vel quòd in cœlo, in terra, apud inferos eadem polleret potestate; hinc versiculi:

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras, sceptro, fulgore, sagitta.

Vel

Vel quia triplicem visitationem habet Luna. 1. Cùm surgit in cornua, & falcata dicitur. 2. Cùm dividua seu dimidia est. 3. Cùm orbe circumacta plena est. Hæc igitur in cœlo dicitur Luna, sive quod noctu *una*, hoc est, sola, & sine fratre luceat: sive quod lumen à sole accipiat, quasi luce lucens aliena. Eadem *noctiluca* vocatur: & Phœbe, Jovis filia ex Latona, eodem cum Apolline seu Phœbo partu edita. Nomen *Deliæ* habet ab insula natali Delo. Atque ut Sol de die quadrigis, ita ipsa de nocte bigis per cœlum invehitur. Virgil. lib. 10.

Jámque dies cœlo concesserat, almáque curru
Noctivago medium Phœbe pulsabat olympum.

Equos alii discolores, alii candidos ejus adjungunt currui. Ovidius:

Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.

Currus ipse & vestitus deæ ex argento est. Creditur præesse veneficiis, & ideò cum Hecate, vel ut Hecate, invocari à sagis, cœlóque deduci. Pastor Virgilianus eclog. 8.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

In qua arte maximè excelluisse dicuntur mulieres Thessalicæ. Videtur hæc opinio nata, quòd in speculis rotundis sublustri cœlo, Lunæ redderetur imago; vel quòd terra se inter solem & lunam interponente, lumen ipsius eclipsin patiatur; quo tempore putabant antiqui, æris tinnitu, & luminibus altè sublatis, Lunæ fulgorem revocari posse. Cornelius Tacitus lib. 1. scribit, quosdam populos æris sono, tubarúmque & cornuum concentu, Lunæ nubibus obductæ, aspectum sibi & propitium lumen revocare solitos. Inde fortasse moti, quòd non nescirent, miram Lunæ in hæc inferiora vim inesse. De ea Plinius lib. 2. c. 9. Hæc, inquit, afflatu suo terras saturat, accedénsque corpora implet, abscedens inanit, ideóque cum incremento ejus augentur conchylia: sanguis etiam hominum cum ejus lumine augetur ac minuitur: frondes quoque ac pabula vim ejus in omnia penetrantem sentiunt: ferarum occisa corpora in tali cursu, víque cieri, variari, regi, ac moderari, & antiquitus, hodiéque multis est probata sententia. Hæc ille solers naturæ indagator. Xenophanes credidit Lunam à quadam gente inhabitari, ibíque locum esse multarum urbium. Montes in luna inveniri, sunt etiam hodie qui asserant. Porrò Lunæ sacrificabatur olim à viris veste muliebri, à mulieribus virili indutis. Spartianus in Caracalla narrat, olim in *Carrhis*, urbe Mesopotamiæ, Lunæ masculæ & feminæ unicum gemino capite simulacrum extitisse; Qui *Lunum*, id est, Lunam masculam coluissent, imperium

imperium in uxores impetrabant; qui verò Lunam feminam adorâſſent, uxoribus ſe obnoxios eſſe profitebantur. Lunam laudans Siracides. c. 23. vocat eam *vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cœli reſplendens gloriosè.* Sicut enim ſtellæ vocantur *caſtra & militia cœli*, divinis in litteris; ſic Luna incedit inter eas, quaſi regina, luminis & pulchritudinis admirandâ gloriâ. *Secundus* philoſophus interrogatus ab Hadriano Imp. Quid eſt luna? reſpondit: Cœli purpura, ſolis æmula, noctis oculus, maleficiorum inimica, ſolamen iter agentium, præſagium tempeſtatum.

Ethica.

I. (*a*) De Luna fabellam narrat Cleobulus Philoſophus in convivio Sapientum. Petiit à matre Luna, ut ſibi tuniculam congruentem texeret; mater verò reſpondit: Quî poſſum verò, ô filia? cùm te jam plenam, mox in cornua attenuatam, rurſum dimidio orbe, videam? Quô ſignificatur, Lunam eſſe ſymbolum inconſtantiæ. Homo námque fatuus & vitioſus, levibus momentis in varios affectus impellitur: modò iratus eſt, modò lenis, modò triſtis, modò hilaris, prout diverſæ rerum imagines animum perculerunt. *Stultus ſicut luna mutatur.* Eccleſiaſtici c. 27. 2. Luna ſemper averſis à Sole cornibus, ſi creſcat, ortum ſpectat: ſi minuatur, occaſum. Fons lucis Deus eſt: vis, ut conſilia & cœpta tua felicem habeant progreſſum, ortum ſpecta, actionum initia à religione auſpicare: quòd ſi humanis tantùm rationibus molitiones tuas metiare; tendes in occaſum, & *evaneſces in cogitationibus tuis.* 3. Luna cùm nobis lucet, ſuperioribus cœli partibus haud fulget; quia de loco ſuperiore lumen non recipit, ſed inferiore.

Nimirùm graviter laborat cerebro, qui apud homines ſplendere cupit, & apud Deum obſcurus latet. 4. Luna tunc maximè ſplendet, cùm maximè diſtat à ſole; obſcuratur, cùm fit propinquior. Nempe, quò quisque ad divinam lucem magis acceſſerit, magis ipſe ſibi vileſcit; quò longiùs ab illa recedit, hôc magis inanem & evanidum fulgorem ſpargit apud homines. 5. Luna ſplendens de nocte, ſignificat, virtutem maximè in adverſis eluceſcere. 6. (*b*) Phœbe in *novilunio* allatratur à canibus, ejus lucem non ferentibus, ſed illæſa. Virtus quò illuſtrior, hôc plurium appetitur calumniis; nihilominus intaminata fulget. 7. Veterum Romanorum nobiliſſimi, Lunæ imaginem in calceis geſtabant: nam extrema

(*a*) *Varia Lunæ Symbola.* (*b*) *Plenilunio.*

trema pars calcei lunulam referebat; ut illo symbolo nobilitatis & excellentiæ, memores redderentur inconstantiæ rerum humanarum, ait Plutarchus quæst. Rom. 76. 8. Proverbiò fertur: *Lunam de cœlo detrahere.* Quod sibi fingunt, qui non intelligunt, quid sit lumen Lunæ obstaculo terræ obtenebrari. Convenit in eos, qui ubi Deus aliquem rebus adversis exercet, & quasi obscurari & deficere permittit, continuò sibi persuadent, Lunam esse de cœlo detractam, actum esse de felicitate & salute hominis, sed splendidè falluntur; uti falsi sunt amici Jobi, ærumnas viri patientissimi iram divinam interpretantes. Nam, ut ipsemet de se testatur cap. 11. *Cùm te consumptum putaveris, orieris mane ut lucifer.* 9 (*c*) Endymionem, puerum pastoritium Luna adamabat; eique à Jove impetravit, ut quidquid is optâsset, obtineret. Optavit Endymion, ut perpetuum dormiret somnum, sub Cariæ montis specu abditus. Inde adagium: *Endymionis somnum dormis.* In eos quadrat, quorum tota vita & voluptas est otium & somnus. Cicero lib. 5. de fin. differens, id maximè, ait, nobis insitum esse à natura, ut agamus aliquid: itáque ne si jucundissimis quidem nos insomniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis nolimus dari, idque si accidat, mortis instar putemus. Simile huic adagium est: *Vltra Epymenidem dormis.* Fuit is poëta Epicus, patria Cretensis, qui puer à patre in agrum ad pecus custodiendum missus, in quodam antro obdormivit septem & quinquaginta annis. Plin. lib. 7. c. 52. Applicatur hoc Sophistis & vanis Dialecticis, qui tantam inanium somniorum, distinctionum, divisionum, præcisionum, captionum copiam invexerunt in orbem, ut longissimo sit opus, & plurimorum annorum somno ad eas species agitandas. Chiliastes. 10. Luna cum suo pusione matrem refert, nimis molliter filio indulgentem, cui pœnam pro munere poscit à diis, cùm sanum magis & adipatum somno corpus, quam sanam petit mentem. Peccavit etiam Epimenidis pater, *Agiasarchus* nomine, quòd filium ad custodiam pecoris missum, negligenter conquisierit, & à somno non excitârit. Plurimorum hæc culpa parentum est; qui parùm habent sibi curæ, quid sex, septem, & ampliùs annis filius in scholis proficiat, quomodo rerum suarum satagat, an plus temporis somno & desidiæ, quàm studiis & labori impertiat; modò niteat pueri cuticula, & pingueſcat Epicuri de grege porcellus.

11. (*d*) Hæc de Diana, quatenus appellationem & officium Lunæ habet. Nunc consideremus eam, ut reginam apud inferos agentem, nominque *Proserpinæ* & *Hecates* obtinentem. De Proserpina egimus symb.

(*c*) *Somnolentia.* (*d*) *Diana infera, seu Proserpina, aut Hecates, cultrices sagæ & striges.*

symb. 27. & 79. Modò de Hecate fabulemur; quæ sic dicta est, quod *centum* victimis placetur, aut quòd centum annos errare faciat insepultos. *Tergemina* nuncupatur, quod tria habeat, ut diximus capita, canis, equi, apri. Noctis alii filiam fuisse volunt, alii Cereris. Hanc terribilem aspectu, procceritatéque corporis, vel ad dimidii mensuram stadii, excurrentis; pedésque habuisse ad serpentis formam, & vultum Gorgonum figuræ simílem, Poëticis tabulis traditur. Pro coma, densissimi dracones & viperæ visebantur; quarum aliæ in cincinnorum morem contortæ, aliæ collum amplexatæ, aliæ per humeros sparsim demissæ, ut Lucianus testatur. Canes eam plures sequebantur latrantes & rabidi; eidem deinde immolari soliti. In triviis ei cœnam exponebant opulenti, quod sub noctem absumebant pauperes; tanquam Hecate comedisset. Unde *Hecates cœna* in adagium abiit, quòd esset sordida & præparca; in qua scilicet maluæ, porrum, fabæ apponebantur. Proverbiò quoque dicitur: *Hecatæ sacrum facere*, id est, inanem & sine fructu sumptum facere. Siquidem in hujus deæ sacris, ii qui cœnam inferebant, ipsi nihil inde degustabant, nec quidquam auferebant, præter tumultum & fumum, ut inquit in Sympoſiacis Plutarchus. Præerat autem Hecate veneficiis, & invocabatur ab exercentibus artem magicam. Ejus sacrificiis peractis, apparebant spectra quædam, quæ *Hecatéa* nominata, eáque in varias formas se convertebant. Reperit hæc dea aconitum, venenosissimam herbam. Mulieres illi cum ululatu sacrificabant, & hâc magistrâ discebant fluviorum cursus retrò vertere, segetes aliò transferre, montes in profundum dejcere, astra de cœlo deducere, tempestates ciere, & varias pestes in homines ac bestias spargere. Unam ejusmodi aliquam, quales etiam hodie de nocte volatum per aëra exercent, depingit Ovidius lib. 1. Amor. eleg. 8.

Est quædam (quicunque volet cognoscere sagam,
Audiat) est quædam nomine *Dipsas* anus.
Ex re nomen habet: nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magnas artes, Æaáque carmina novit,
Inque caput, liquidas arte recurvat aquas.
Scit benè, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus * amantis equæ.
Cùm voluit, toto glomerantur nubila cœlo:
Cùm voluit, puro fulget in orbe dies.

* *Hippomanes.*

Sanguine (si qua fides) stillantia sidera vidi,
Purpureus lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
Suspicor, & plumâ corpus anile tegi.
Suspicor, & fama est: oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.
Evocat antiquis proavos atavósque sepulchris,
Et solidam longo carmine findit humum.

Hoc genus mulierculæ, quàm multæ, quàm maleficæ sint, ostendit Delrio in Disquis. Mag. Illæ cum Hecate in varias figuras & spectra abeunt; tot viperis & serpentibus cinctæ, quot nocendi cupiditatibus correptæ. Cum Luna ipsis est negotium, nam striges de nocte volant. Stipantur rabidis canibus, id est, orcinis spiritibus, à quibus in varia veneficiorum genera impelluntur. Tria habent capita, equinum, caninum, aprinum; quia in his, & aliis bestiarum formis aspectabiles se præbent. In feles non rarò, bubones, picas se vertunt, ut docet exemplis P. Georgius Stengelius tom. 2. de Judiciis diu. c. 60. & tom. 3. c. 64. Quo in loco inter alia, hoc narrat. Fui, inquit, in loco, ubi juvenis studiosus, cùm animi gratiâ nescio quò vellet equitare, ocreas situ marcidas in culinam extulit: ibi laridum quærens, quo eas inungeret, emollirétque; incidit propè focum in angulo quodam in ollulam pinguedine ignota plenam, quam ad ocreas perungendas aptissimam arbitratus, corio alterius ocreæ strenuè infricuit. Quam ubi adipe jam Saturatam putavit, non procul à prunis in foco deposuit, ut concalefacta unguen magis imbiberet. Interim dum ocrearum alteram arripit, itidem omento imbuendam, prior illa, quasi calorem sentiens, & ab igne animata, cœpit à se moveri, erigere cervicem, & repentè de foco per caminum evolare; quam nulla vociferatione juvenis potuit retinere, aut ad se revocare. Nempe ea ipsa ollula, erat ad furcam ungendam deputata. Hæc ille vir eruditus & religiosus. Dignissimæ profectò sunt istæ, Hecates pedisequæ, quæ paranympho carnifice, tædam præferente Vulcano, sertum è viperis & serpentibus imponente Tisiphone, epithalamium canentibus bubonibus, thalamum è pice & stramine adornante Hecate, tanquam *Pronuba*, reclinentur super struem ligneam, & per illustrem rogum subvolent cum fumo in regiones illas, quas antea super bicorni rutabulo, aut substrato hirco inequitârunt.

(e) Hîc quæstio (ut hoc ἐν παρόδῳ) movetur Ethica, plurésne sint vene-

(e) *An plures venefici an venefica.*

veneficæ, an venefici? Reſpondet Cornelius à Lapide in cap. 12. Prov. v. 4. Plures eſſe veneficas. Rationem addit: Quòd mulieres ſint timidæ & imbecilles, quæ quod vi & robore nequeunt, hoc fraude & veneficiis peragunt; non aperto Marte, ſed ex inſidiis inimicos appetentes & perdentes. Et verò paupertina Hecates cœnula non paucas ad deſperationem agit vetulas, ſuadétque nocturnas volitare per umbras, penetrare cellas, & inempto vino ſe ingurgitare.

III. Reſtat, ut aliquid de Diana Venationum Præſide dicamus. Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum conſortia fugiſſe, &, ut à ſe libidinis pruritum amoveret, venando ſilvas incoluiſſe, paucarum virginum comitatu contentam. Quanquam non deſunt, qui comites ei ſexaginta nymphas adjungunt. Sed & *Oreades*, id eſt, deæ *montium* eam ſequuntur, glomerantúrque, cùm illa choros exercet; quia montes omnes in poteſtate Dianæ ſunt. Quæ niſi venabatur, ſaltare videbatur. Unde adagione fertur: πότ' Ἄρτεμις οὐκ ἐχόρευσε; *quando Diana non ſaltat?* Arcum ferebat & pharetram, ſuccincta ſemper incedens, & cothurnis ſuffulta. Æneid. 2.

Virginis os, habitúmque ferens, & Virginis arma.

Quam ob cauſam vocatur à Poëtis *innupta*, *intacta viro* quæ

Nec quid Hymen, quid amor, quid ſint connubia, curat.

Virginitatis amorem non tantùm ipſa intemerata colit, ſed ſocias circa ſe habet virgines, quas ſic alloquitur:

O ſociæ, mecum thalami quæ jura peroſæ,
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Expertes thalami.

(*f*) Quô indicatur, egregiam caſtimoniæ imaginem fuiſſe in Diana expreſſam. Nam 1. fugiebat hominum conſortia, & in altis montibus frequens verſabatur, ubi purior cæli hauſtus, & minus à malorum contagione periculum. Romanus ſapiens epiſt. 7. Inimica, inquit, multorum eſt converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Similis eſt caſtitas vaſculo cryſtallino; minimo alliſu frangitur. Diana pernicitate pedum valuiſſe fertur. Pudicitiam tuentur pedes fugaces: Venus fugiendo vincitur. Quærit illa ex Cupidine apud Lucianum, cur ſaltem Dianam ſuis non figat jaculis; ſiquidem Muſas & Minervam non poſſit; cui Cyrius reſpondet puer: Hanc ego deprehendere nequeo, quippe perpetuò per montes fugitantem. Deinde alterius cuiusdam Cupidinis illa tenetur amore, nem-

(*d*) *Diana, Caſtitatis exemplar.*

pe venatu cervorum & hinnulorum, quos insectatur ut capiat, vel telis trajiciat.

2. Diana honesto se labore, nimirum venando, exercebat, & ideò virgo, quia procul ab otio. Apud virginem hanc, & eius castissimum cœtum malè audiit *Salmacis* nympha, quæ cæteris perpetuò in opere desudantibus, sola sequebatur umbras, & ignavas occupatiunculas; & vel crines pectebat, vel vultum erugabat, vel genas stibio fucabat, vel speculum consulebat, vel in veste plicas emendabat, vel flores legebat, vel odorifero succo se perungebat. Et tamen videbatur sibi, plus omnibus agere, dum nihil agebat: & quia magis occupabatur, credi volebat occupatissima. Venustè de illa Pelignus vates. 4. Metam.

Sæpe suas illi, fama est, dixisse sorores,
Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia misce.
Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras,
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.

Unde factum est, ut non modò pudendis amoribus ipsa implicata fuerit, sed etiam in fontem conversa sit, qui undis suis, lavantium in ipso, aut ex eo bibentium, corpora probrosam in mollitiem effeminavit. Adeò venenum libidinis fluit ex otio; & per otium transfunditur in animos, quos magis delectant Salmacidis specula, quàm Dianæ spicula.

Non absimilis Salmacidi fuit Callisto, de qua Symb. 10. quam non perinde castitas, ut oris pulchritudo, dignam effecerat Dianæ contubernio. Desidiæ erat dedita. Hinc Naso Metam. 2.

Cùm subit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas,
Exuit hîc humero pharetram, lentósque tetendit *
Arcus: ínque solo, quod texerat herba, jacebat,
Et pictam posita pharetram cervice premebat.

Ecce ignaviam, ecce pulvinar, in quo periit pudor & integritas. Nam quid sequitur?

----- oscula jungit
------ non sic à virgine danda.

Et cum osculis ac basiis, otio marcida, virgineum honorem Jovi, personato amasio, turpiter vendidit ac prodidit.

3. Altiùs succincta incedebat Diana. Castitatis & hoc est Symbolum. Etenim apud Romanos quemadmodum *Cinctus*, armatum, strenuúmque virum significabat; sic *Discinctus* & *Dissolutus* imbellem ac effeminatum.

* *Id est, remisit.*

feminatum. Et constat, virginitatem ac integritatem cingulo designari. Hinc *virginalem Zonam solvere*, est pudorem virgini auferre. Divinum est monitum. Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* In quæ verba S. Gregorius. Tunc, inquit, lumbos restringimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coactamus. Atque ut cingulum cohibet vestes, ne diffluant; sic castitas coërcet cupiditates, ne exorbitent. Homo præcinctus expeditior est ad iter; castus animus aptior ad virtutis, cælique viam. Imaginem rei huius exhibuit angelus ille personatus, in quem *stantem in foro*, offendit Tobias, *splendidum, & præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Tob. 5. Nempe splendida res est castitas, & angelis amica ac vicina. Matrona illa, Proverb. 31. laudatissima *accinxit, fortitudine lumbos suos.* Quomodo fortitudine? quia robur accedit viribus à continentia, quas exhaurit & enervat libido. Hinc *castra* militum fortium, nomen habent à *castitate.* Zona in conviviis olim adhibita hoc ipsum docet: temperantiæ admonebantur, qui cincti accumbebant; quam zonam si qui solvebant, heluones, bibones, *Discincti nepotes*, appellabantur. In Zodiaco, lato illo cæli baltheo, inter *Libram* & *Leonem*, *Virgo* constituta, docet, castimoniam hinc leone, inde libra tuendam. *Leo* indicat pro castitate conservanda pugnandum ac luctandum fortiter: *Libra* significat, homini continentiæ amanti, temperantiam cordi habendam; revocandos ad trutinam labores, ne otietur: socios, ne seducatur: sermones, ne in iis excedat: mensam & vestem, ne lasciviat: oculos, ut custodiat: peccandi occasiones, ut fugiat. Diana certè

Nimium sævi Diva pudoris. Seneca.

4. Diana cothurnos gestabat, hoc est, calceamenta corio suppacta, aut subere sublevata. Quod ipsum etiam symbolicum castæ mentis ac corporis est argumentum. Corydon pastor apud Maronem elog. 7. vovet Dianæ statuam, canens:

------ lævi de marmore tota
Puniceo stabis sura evincta cothurno.

Et de Virginibus Tyriis 1. Æneid.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureóque altè sura vincire cothurno.

Altè, dicit; ut intelligas, eas velavisse crura, ne pars aliqua pedum nuda cerneretur. *Altè* quoque, ne sordibus calcati luti aspergerentur. Nam cùm homo ex corpore & animo sit compositus, fieri non potest, quin ambulanti per terram aliquid adhæreat terreni, sed leviter

tamen

tamen, & imo pede tenus, quem cothurnus ſuffulcit, ne profundiùs lutuletur.

5. *Pharetram & Arcum* Diana ex humeris ſuſpendit; quod indicat, Caſtitatem oportere eſſe armatam, & ſemper ad pugnandum paratam. Habet tela ſua Cupido, nunquam non ad feriendum intentus; habet & Caſtitas arma ſua ad vim vi repellendam. Ille ſagittas torquet blando veneno illitas; hæc, mittit ſpicula, aculeo timoris divini præmunita. Arcum Dianæ ſenſit, pudicitiæ eius inſidiator gigas immanis, *Orion* nomine, quem telis ſuis confodit, & monſtrum è terra natum, latè in terra porrexit. Horatius de eo lib. 3. od. 4.

Teſtis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ
Virginea domitus ſagitta.

Quid, quòd virago hæc ne oculis quidem impudicis ſe peti ſuſtinuerit, quod in Actæone explicavimus, Symbol. 18.

6. Diana cum ſuis virginibus frequens ſaltatorium orbem verſabat ſed pede graviore, nempe cothurnato, non laſcivo & levi. Choreas exercebat ſine virorum attactu ſine modulis Feſcenninis, ſine libidinis irritamentis: non mimicas, non pudorem profanantes, ſed exercitio honeſto eum defendentes. Argumentum erant gaudii caſti; & teſtes jucundi conſcientiæ integræ.

7. Dianæ currum cervi trahebant, fugax utique animal, & timoris hieroglyphicum. Meticuloſa res eſt caſtitas, & minimo ſtridore terretur, ut columba. Sollicitè cavet inſidias, & plagas ac retia ſibi poſita, prudenter declinat. In imaginibus figuratis *Cerva* pingitur candida, inter lauros, cum monili, adamantibus & topaziis ornato. En typum *caſtæ* virginis, quàm laurus indicat, de qua ſymb. 1. *Puritas* denotatur per topazium gemmam, ſemper viridem, ſemper pellucidam. *Fortitudo* & conſtantia caſtitatis, exprimitur adamante, cujus durities ne malleis quidem frangi poteſt. Hæc dos eſt virginum, potiùs *mori*, quàm *fœdari*.

Atque hæc in laudem Dianæ Virginis, & ejus aſſeclarum ac comitum. Quæ dea quoniam ſoror eſt Apollinis, quis non intelligit, ſapientiæ ſedem in animo caſto collocari? Ad candida tecta columbæ, ad pudicum pectus Muſæ advolant.

(g) Cæterùm in commendationem Venationis alibi diſſeruimus, quibus

(g) *Commendatio Venationis.*

quibus hîc quædam adjungere placet. Et primò quidem, eis, quos delectat pudicitia, fugitur otium, quod diximus, per exercitationem honestam, qualis est venatoria. Ejus rei pulchrum exemplum Hippolytus fuit, de quo symb. 65. Deinde venatio firmat corpus, & animum reddit tolerantem, alacrem, & audentem ad subeundas difficultates. Tertiò eadem, est utilissima disciplinæ bellicæ præmeditatio. Siquidem assuefacit diluculò surgere, frigus ac calorem pati, itinera conficere, animo præsenti hostibus occurrere, & dolos venatorios, belli tempore à belluis in homines transferre. Quartò valetudini venatores consulunt, tardiùs senescunt; sunt temperantes, & illaudatas voluptates aversantur. Enumerat Xenophon heroas multos, qui sub magistro Chirone venatibus operam ab ineunte ætate dederunt, itáque in rebus gerendis animosi, ac strenui evaserunt, ut simul καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν, *benè intelligere*, *loqui*, *& agere* didicerint.

SYMBOLVM CII.

Satyri, & cæteri dii agrestes.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Juvenculi lascivi Satyris comparantur. 2. Petulcus Satyrorum calor. 3. In corpore deformi formosus animus. 4. Panicus terror. 5. Centauri quid significent. Cur diaboli monstrosi? 6. Dæmon in tentando homine Centaurum agit.

MEritò post Dianam subjungimus cæteros deos, nemorum incolas, quales sunt *Satyri*, Latinè *Fauni*, semidei numina Silvarum habiti. Formam eorum si requiris, capite erant humano, sed cornuto, pedibus caprinis, rubente vultu, naso simo, auribus asininis, toto corpore villosi, frondium latebris gaudentes, lascivi comprimis, & in Venerem proclives. Plinius eos animalia fuisse asserit, simiis haud absimilia; qui sive quadrupedes, sive recti (hoc est, in duos pedes erecti currant) tanta velocitate feruntur, ut nisi senes aut ægri, capi non queant. Vnum horum à Sylla captum Plutarchus memorat; & interro-

gatum per multos interpretes, quisnam esset, ægrè vocem edidisse, quæ intelligi non posset, sed asperam, ac mixtam ex hinnitu equino, hircíque balatu; eáque territum Syllam, abominatum à se dimisisse. Hæc ille. At Pomponius Mela in descriptione Græciæ refert, eundem coactum, hanc protulisse vocem. *Optimum non nasci, aut quàm celerrimè interire.* Pausanias in Atticis scribit, Satyros, homines esse ferino, trucíque aspectu, corporibus hirtis, pilorum colore subrufo, caudis equinis. D. Hieronymus in vita Pauli primi eremitæ, describens iter Magni Antonii, hæc habet: Conspicit Antonius hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum *Hippocentauro* vocabulum indidit: quô visô, salutaris impressione signi armat frontem, & heus tu, inquit, quanam in parte hic servus Dei (Paulus) habitat? At ille, barbarum nescio quid infrendens, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora, senis blandum quæsivit alloquium, & dextræ protensione manûs cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis evanuit. Verùm hæc utrùm diabolus ad terrendum eum simulârit, an (ut solet) eremus monstrosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Sic S. D. Equidem non est negandum, inquit Stengelius de Judic. diu. tom. 2. c. 48. sæpe, qui Centauri, Satyri, Fauni putabantur, malos dæmones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, ut terriculamento essent hominibus. Quidquid hoc sit, superstitiosa Antiquitas hos Silvanos, deos aut semideos esse credidit, quibus non solùm lucos consecravit, sed etiam scenas illis in frondibus, speluncis, montibus, gramine, reliquisque agrestibus rebus in topiarii speciem construxit, & varios cultus adhibuit; eósque saltantes ac tripudia agitantes finxit, gesticulatione ridicula, lasciva, petulante, procace, salaci. Inter Satyros, qui seniores erant, appellabantur *Sileni*; quorum unus fuit educator Bacchi, caluus, simus, asino plerumque utens, brevis staturæ, corpore obeso ac ventricoso, auribus magnis & arrectis, tremulus & innitens baculo. De quo Ovidius lib. 2. Amor.

Ebrius ecce senex pando delapsus asello,
Clamârunt Satyri: surge age, surge pater.

Et lib. 4. Metam. de comitatu Liberi:

------- Bacchæ, Satyríque sequuntur,
Quíque senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.

In

In hac silvestrium deorum turba *Pan* facilè primas obtinet: nam & nomen habet ab *omni*, quasi omnia valens. Is est inventor fistulæ septemplicis, de quo Maro eclog. 2.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviúmque magistros.

Ejus uxor est *Pales*, dea pabuli, sicut maritus deus pastorum: illius festa *Palilia*, seu *Parilia* appellata, quia pro partu & salute pecorum ei sacrificabatur. Gestabat autem Pan altera manu fistulam, alterâ baculum incurvum. Nam pastoris est, non tantùm ovium, sed etiam populi:

Et cantu mulcere greges, & pellere virga.

Severitas miscenda est clementiæ. Rectè verò pro uxore deam pabuli habet Pan. Neque enim officium suum facit Pastor, si plenam ipse sedeat ad mensam, & vacua gregibus præsepia linquat. Oves tondendæ sunt, sed saturæ, non macie confectæ.

Ethica.

I. (*a*) De Bacchi comitibus Satyris meminimus in navi ejusdem Bacchi; hîc adjungimus. Vitia ebrietatis ac impuræ libidinis sociata sunt; id quod Bacchus, & ejus stipatores, silvestres isti deastri, cornigeri, & capripedes significant. Silenus enim, præcipuus illorum, asello vectus, & malè hærens in illo, quid aliud indicat, quàm hominem poculis exhauriendis deditum, esse inertem, stupidum, nihil molientem homine dignum, asino simillimum? Et petulci Satyri, quid aliud referunt, quàm juvenculos leves, petulantes, visæque mulierum formæ adhinnientes? caprarum inter ac hœdorum per Veneris prata lascivientes ac luxuriantes? Monstra sunt hi Satyrica, diversis è bestiis, hoc est, libidinibus composita, angulos sectantur, & specus obscuros, & frondosas umbras; ut tantò sit impudentior lascivia, quantò est occultior.

II. (*b*) Satyrum graphicè depingit, & ad mores traducit eloquens scriptor in hunc modum. Prometheus cùm ignem cœlesti è regione primò detulisset, obvium habuit è lustris prodeuntem Satyriscum (hoc est, parvum Satyrum) hirsutum illum, capripedem, & loco cincinnorum, cornua de fronte retorquentem, ut summa pariter & ima parte caper esset, aut hircus. Hanc tam elegantem faciem, in modum silvæ barba hispida, incompta, quaquà rigida, & longissimè excurrens cingebat.

(*a*) *Juvenculi lascivi Satyris comparantur.* (*b*) *Petulcus Satyrorum calor.*

gebat. Caput ipsum & tota cervix jubatissimis cincinnis inundabatur. Istud ergo barbarum & barbatum monstrum, aspecto igne inassueto, ex Prometheo, quid esset interrogavit. Ille, ut disertus erat, vim, usum, & utilitatem ignis cœpit ad longum percensere. Qua oratione ita Satyrum incendit, ut velut ipso igne, in ignem arderet, alioqui sua luce, ac proprio splendore allicientem. Ergo ambabus manibus ignem amplectitur, & avidissimis labris flammam exosculatur. Sed illicò vim ignis sensit, mentum occupantis. Námque *olli ingens barba reluxit, Nidoremque ambusta dedit*, indéque argumentum incendii pustulas undique, circa fœdum os, & barbæ stolones reliquit, ut è vestigiis dementia amantis agnosceretur. Igni similes sunt omnes res creatæ, benè utentibus sanè utiles, & ita claræ, ut in eis divina potentia manifestè resplendeat. Sed imprudentes & intemperantes nonnulli cùm in eas incidunt, stolidè nimis involant, amplectuntur, osculantur. Ergo subinde tam deformes recedunt, ut Satyri instar, non solùm circa os amatoriiis floribus, pustulisque tumeant, sed etiam toto corpore sint scabiosi, & contagiosi. Georg. Stengel. P. 1. Labyr. c. 10.

Equidem amorem impurum Salomon ipse comparat igni, dum 6. Prov. ait: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Ignis in sinu, est cogitatio ardentis libidinis in mente; ambulatio super ignitos carbones est consensus in peccatum. Utraque flamma rapitur à lascivo comptæ mulieris aspectu. Hinc idem Sapiens ibid. *Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Formosa species urit & accendit. Huc facit emblema Amoris, quô pingitur ipse, cum tæda cerea, quæ admotø igne torretur, remoto liquatur, subjecto hoc lemmate:

Proxima fax igni flagrat, atque remota liquescit:
Me procul ipse liquat, me propè torret amor.

S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 13. & 14. Gravis, inquit, ignis est, fœda concupiscentia, & ideò non demus alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur delitiis, vino accenditur, ebrietate flammatur. Verba petulantis mulieris cupiditatum sunt retia; manus ejus, amoris nodus est. Ne capiaris, solve nodum: ne cremeris, excute scintillam. Hoc si audirent multi procaces adolescentes, non tam petulantes prurirent in flammam cum Satyris, nec stolidè amplexarentur cum illis ignem, sinúque foverent, aut super eum ambularent. Non incongruè

gruè huc ſervit, quod narratur de tribus juvenibus, genere illuſtribus, qui ludos in Bacchanalibus daturi, ſeſe in horridos Faunos efferârunt. Veſtis erat linea, villis undique ſetísque hirſuta, arente ſtupa ac pice illita. In illam fortè ſcintilla è facula daduchi pueri inciderat, & omnes tres, flammam reſtinguere fruſtra conantes, ferali incendio involvit, lentóque igne miſerabiliter torruit & aſſavit. Jacobus Bidermannus lib. 3. Acroam. c. 7. Hoc eſt agere Satyros, & ſuum pariter ignem & exitium in ſinu, in veſtibus, in geſtibus, in verbis, in ludis & jocis circumferre.

III. (*c*) Adagiographus, Chiliade. 3. centuria 3. ex Platonis convivio, de Silenis commemorat, quod eruditionis causâ juvat hîc apponere. Alcibiades apud Platonem, Socratis encomium dicturus, eum Silenis ſimilem facit, quòd is multò alius eſſet propiùs intuenti, quàm ſummo habitu, ſpeciéque videretur. Quem ſi de ſumma, quod dici, ſolet, cute quis æſtimâſſet, non emiſſet aſſe. Facies erat ruſticana, taurinus aſpectus; nares ſimæ, mucóque plenæ: Sannionem quempiam, bardum ac ſtupidum dixiſſes. Cultus neglectus, ſermo ſimplex ac plebejus, & humilis, ut qui ſemper aurigas, fullones, cerdones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè ſumebat illas ſuas inductiones, quibus urgebat in diſputando. Fortunæ tenuis uxor, qualem ne viliſſimus quidem carbonarius ducere vellet. Videbatur ineptus ad omnia reipublicæ munia; adeò, ut quadam die neſcio quid apud populum adorſus agere, cum riſu ſit exploſus. Denique jocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis ſpeciem. Cùm ea tempeſtate ad inſaniam usque ferveret inter ſtultos profitendi Sapienriam ambitio, neque unus eſſet Gorgias, qui ſe nihil neſcire jactitaret, & ardelionibus huiusmodi nusquam non referta eſſent omnia, ſolus hic homo, *unum ſe ſcire*, dictitabat, *quòd nihil ſciret*. Atqui ſi Silenum hunc explicuiſſes, videlicet Numen inveniſſes potiùs. quàm hominem; animum ingentem, ſublimem, ac verè Philoſophicum omnium rerum, pro quibus cæteri mortales currunt, navigant, ſudant, litigant, belligerantur, contemptorem; injuriis omnibus ſuperiorem, & in quem nullum omnino jus haberet fortuna, & usque adeò nihil timentem, ut mortem quoque nulli non formidatam contempſerit; in tantum, ut cicutam eodem biberit vultu, quo vinum ſolet; útque jam moriens etiam in Phædonem ſuum (ſcriptum à ſe dialogum) locaretur; & ſapiens, oraculô, imò omnium mortalium ſapientiſſimus pronuntiaretur. Hunc talem facie vilem, pectore incomparabilem Alcibiades cum Silenis ideo contulit, quia olim Sileni ſtatuæ ſectiles fuerunt, & ita concinnatæ, ut

(*c*) *In corpore deformi formoſus animus.*

diduci & explicari poſſent. Clauſæ ridiculam ac monſtroſam tibicinis ſpeciem exhibebant ; apertæ, ſubitò Numen oſtendebant, ut artem ſculptoris gratiorem jocoſus faceret error. Ita nimirum multi hominum habitu, vultúque longè minus præ ſe ferunt, quàm in animo clauſum geſtent. Quidquid in omni genere rerum præclarius eſt, id minùs in conſpicuo eſt, ait Seneca. Hoc inter alios in Æſopo, ſapientiſſimo illo fabulatore, natura oſtendit ; in quo ſub deformi vultu pulcherrimus latebat animus, ſicut lucidiſſimus unio ſub aſpera clauſus concha. Præſtantiſſimo ingenio non rarò pro domicilio corpus obtingit diſſimillimum; & viciſſim, formoſi corporis ſæpe hoſpes eſt ſtupidiſſimum ingenium.

IV. (*d*) Inter adagia circumfertur : *Panicus caſus*, *Panicus metus*, nempe ſubitus animorum tumultus ac metus. Veteres enim exiſtimabant, *Panem* deum, repentinos terrores & animi conſternationes immittere, lymphaticis ſimillimas, usque adeò impotentes, ut non ratione modò, verùm & mente careant. De Panico hoc timore loquitur Salomon Prov. 28, *Fugit impius nemine perſequente : juſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit.* Eſt enim animoſa innocentia ; & pavet omnis animus malè ſibi conſcius. Sapient. 17. *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis : ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia.* Improbitas ipſa ſibi ſupplicium ſtruit ; éſtque ſceleris in ſcelere ſupplicium. Vir ſapiens & probus ad nullius pavet occurſum, inſtar leonis. Quòd ſi venantium multitudini cedere cogitur, ſenſim, pedetentimque diſcedit, crebrò ſubſiſtens atque reſpectans. Pana formidabilem fecit miniatus vultus, & cornua in capite ſurgentia. Has ſibi larvas fingunt timidi, maléque conſcii ; ad quævis pallent fulgura. Verè Poëta : *Degeneres animos timor arguit.* Virtutem fugiunt ipſam tanquam ſpectrum, quibus præter nomen, nihil eſt de ea cognitum.

V. (*e*) Ad genus ſilveſtrium deorum pertinent etiam *Centauri*, Ixionis è nube filii, quam pro Junone amplexabatur, unde *nubigenæ* dicti ſunt. Theſſaliæ populi fuiſſe feruntur : qui quoniam equos domare, & ex iis pugnare primi cœperunt, factum eſt, ut à vicinis populis, membra partim humana, partim equina habuiſſe crederentur. Et quia equeſtres eorum turmæ procul aſpicientibus, inferiùs formam equorum, ſuperiùs manus, vultúsque hominum exhibebant, duabus ex naturis conſerti videbantur. Quorum ſemideorum & ſemiferorum aliquis (*Pelethronium* vocant) frenum reperit & calcaria, quibus tardiores aut celeriores equi vel retinerentur, vel impellerentur. Vide de his Symbol. 40. 75. 81.

Nomen

(*d*) *Panicus terror non cadit in virum ſapientem.* (*e*) *Centauri unde?*

Nomen Centauris est à κεντέω vel κεντάω, *stimulo, pungo.* In cursum scilicet calcaribus stimulabant equos; in hostem pugnabant sagittis, in amicum poculis. *Hippocentauri* sunt appellati, quippe ex equo & homine conflati. *Onocentauri* sunt dicti, ex asinina scilicet & humana forma coaliti. Isaiæ c. 34. De his monstris Virgilius 6. Æneid. in descriptione Tartari.

-------- Centauri in foribus stabulant.

(*f*) Benè *stabulant*: non enim semibestiis aliud diversorium convenit, quàm stabulum; intellige homines, qui belluino more, vivunt secundùm partem inferiorem, & sua aliquando receptacula apud inferos cum Centauris habebunt. Neque mirum est, cacodæmones monstrosis huiusmodi formis illudere hominibus: cuius rei exemplum luculentum in Anachoreta Antonio habemus, quem variis spectrorum imaginibus incessiverunt, ut terrore foris objecto, intus percellerent animum, quem exteriore assultu vincere non potuere. Est enim hoc impurissimorum spirituum strategema, ut quem illecebris pervertere desperant, terroribus sternere nitantur. Hinc pleraque idola sunt ad metum incutiendum facta, & atra instar æthiopum, capite bovino, hircino, canino, vultu sævo & minaci, oculis ingentibus & scintillantibus, fronte taurina, & subinde cornuta, naso thrasonico, labris crassis & porcinis: oris deducto rictu, veluti canis ringentis, ore patulo & hiante instar lupi, ingenti, & in modum furni concavo, ut scilicet in eo faciliùs dæmon voces articulatas formaret, responsa & oracula redderet. Qualia Romæ, præsertim in Vaticano, permulta conspiciuntur. Cornelius à Lapide in c. 13. Sapientiæ. Ex quibus dignoscas, quali serviant domino, qui, veluti Centauri, semihomines sunt, & semibestiæ.

(*g*) Qui subtiliùs de insidiis diaboli differunt, eum Centauro comparant, prima fronte, & superiore corporis parte hominem præferenti: facit id cacodæmon; primò aggressu speciem lætam, etiam sub figura angeli, objicit animo; deinde magis ac magis inserpens, ubi blandiore forma mentem cœpit, repentè in belluam (putà calcitrantem, & ferocientem equum, ut in Centauris videtur) se vertit, miserique hominis pectus velut elisis ungulis impetit & infestat, ut, quod primò blanditiis emollivit & decepit; ad extremum, tanquam de salute jam actum esset, trepidatione compleat, in perplexitatem conjiciat, & in ultimam desperationem adigat. Præterea per *nubigenas* Centauros, intentis arcubus armatos, licet intelligere vitiosas mentium humanarum impressiones, nescio quas

(*f*) *Cur diaboli monstrosi?* (*g*) *Diabolus in tentando homine centaurum agit.*

quæ tela jam iræ, jam amoris vibrantes; quæ tamen, si *Rationis* lumen accedat, è nubibus & vanis imaginationibus ortum habuisse deprehendentur, repentéque nubium instar evanescent. Quòd si imbecillior sit animus, & originem jaculorum non pervideat, sternetur à sagittariis illis, hoc est, semiferis *concupiscentis irascentisque* appetitus concitationibus subjicietur, & proteretur, quasi equinis Centaurorum calcibus.

SYMBOLVM CIII.

Castor & Pollux, Amicitiæ idea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Castor & Pollux cur in cælo? 2. Vera amicitia. 3. Helena pestilens fidus. 4. Lubrica amicitia. 5. Concordiæ bonum.

FRatres erant hi, Jovis ex Leda, *Tyndari* regis *Oebaliæ* filia, quam Imperator ille cælicolûm sub cygni forma vitiavit. Exin ipsa peperit ova gemina, è quorum altero *Pollux* & *Helena:* ex altero *Castor* & *Clytemnestra* excluſi fuere. Sororum utraque, scilicet Helena & Clytemnestra turpissimis sese voluptatibus implicuit; ut appareret, qualem matrem habuissent: & quis partus sequeretur ex concubitu cygneas inter plumas commisso. Fratres à matre dicti sunt *Tyndaridæ*; qui postquam adoleverunt virtutem suam inter undas probavere, mare piratis liberârunt: meritíque sunt, ut ob id inter deos pelagi adscripti, & *Apotropæi*, hoc est, malorum *Depulsoribus* Divis sint annumerati; Græci eos διοσκόρους, id est, *Jovis filios* appellant. Subinde in Colchos cum Argonautis navigarunt: qua in expeditione Pollux *Amycum*, Bebryciorum regem, omnes peregrinos secum decertare cogentem, interfecit. Domum reversi, Helenam sororem etiamnum puellam à Theseo raptam, recuperarunt, *Aphidnâ* urbe, Theseo absente, expugnatâ; neminique vi illata, præter *Æthram* Thesei matrem, quam captivam abduxerunt. Inde effectum est, ut reges & principes aliorum *Servatores*, ob eximiam clementiam *Dioscuri*, ab Athenis vocarentur. Horum alter fratrum, nempe Castor, equitandi peritissimus, arcum invenit & canes venaticos; Pollux pugil præstantissimus, auctor fuit artis certandi cæstu. De quibus Horatius lib. 2. serm.

Castor

Castor gaudet equis ; ovo prognatus eodem
Pugnis.

Cúmque Castor à *Lycæo* quodam cæsus fuisset, ferunt Pollucem, quem Jupiter immortalitate donârat, à parente petiisse, ut fratri quoque vitæ æternitatem indulgeret : quod cùm obtinere non potuisset, rogâsse denique, ut dimidium suæ felicitatis, id est, partem immortalitatis Castori impertire liceret : qua re impetratâ, alternis mori & reviviscere cœperunt. De quibus Maro 6. Æneid.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties.

Id est, per vices ab inferis ad superos, & iterum hinc ad illos commeat. Cui fabulæ occasionem dedit *Geminorum* in Zodiaco natura, quorum siderum altero oriente, alterum occidit. Meminit eorum Venusinus lib. 1. od. 12.

Dicam & Alciden, puerósque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem : quorum simul alba nautis
Stella refulsit :
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiúntque nubes :
Et minax (quod sic volvere) ponto
Unda recumbit.

Sunt enim amica nautis & propitia sidera, mitissimæque tempestatis indices, ideóque navigantium servatores & liberatores habiti, & equis albis invehi crediti. Fluxit hæc opinio inde. Ingens fortè tempestas Argonautas in Sigæo Troiadis promontorio invaserat ; cúmque pro illorum incolumitate Orpheus, navigationis comes, vota concepisset, geminæ flammæ circa Castoris & Pollucis capita apparebant. Secuta est paulò pòst admirabilis tranquillitas maris, & ventorum : quocirca creditum, inesse quandam juvenibus his divinitatem, & ignes illi cùm postea navigantibus apparerent, Castoris & Pollucis arbitrio & numine putati sunt illucescere. Atque hæ flammæ cùm geminæ radiant, salutiferæ existimantur vela facientibus ; secus, si una tantùm spectabilis est : tum enimverò dira pestis portenditur nautis, quam ipsi *Helenam* vocant. Sacrificabantur autem his diis agni candidi, tanquam Numinibus bonis, fastis, felicibus ; tantáque veneratione à veteribus colebantur, ut solerent per ipsorum nomina jurare. Hinc *Pol*, jurantis est adverbium ;

nempe per *Pollucem* dicta firmantis: erátque juramenti genus cùm viris, tum mulieribus commune. At *Ecastor*, *Mecastor*, *Percastor* apud Comicos proprium erat feminarum jusjurandum, quasi per ædem Castoris asseverantium; sicut *ædipol*, erat fidem adstringere per Pollucis ædes, quæ Romæ extabant, & religiosè colebantur.

Ethica.

I. (*a*) Magnam Ethicæ doctrinæ segetem profert hæc fabula: Percurrendo, metamus aliquot manipulos. Primò fratres hi duo cœlum obtinuerunt justitiâ, fortitudine, constantiâ. Testatur Horatius lib. 3. Od. 3. quem locum adduximus Symb. 51.

Mythologus lib. 8. c. 9. Dicti sunt, inquit, Castor & Pollux in deos relati ob beneficia, quæ in homines contulerunt; cùm multos sceleratos de medio sustulerint, & in populos, quos subjugârant, singulari clementia sint usi. Concordiam quoque propinquorum diis esse gratissimam, antiqui per hanc fabulam demonstrare voluerunt. Hæc ille.

II. (*b*) Ex ovo cygni provenerunt fratres hi; in qua ave candor laudatur & cantus. Nimirum fuco caret sincera amicitia, & nescit esse colorata; & quis est concentus suavior, quàm benè consonantes amantium affectus? Castor & Pollux ita se amabant mutuò, ut alter pro altero vitam poneret, reciperétque. Ejusmodi *Gemini* fuere Pylades & Orestes, Pirithous & Theseus, Achilles & Patroclus, Æneas & Achates, Nisus & Euryalus, Damon & Pythias, Alexander & Hephestion, Epaminondas & Pelopidas, Scipio & Lælius, & in sacris litteris, Jonathas & David. De Lucano & Tullo conjunctissimis fratribus eleganter Martialis lib. 1. epig.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent.
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quòd pro fratre mori vellet utérque prior.
Diceret, infernas si quis prior isset ad undas:
Vive tuo frater tempore, vive meo.

Plutarchus in commentario de amicorum multitudine, ait, binos semper amicos fuisse memoriâ proditos. Est enim amicus animal unà quidem degens, sed non in armento, & graculorum caterva. Quod amicus dicatur *alter ego* vel *alter ipse*, id nihil significat aliud, quàm binariam

(*a*) *Castor & Pollux cur in cœlo?* (*b*) *Vera amicitia.*

nariam esse amicitiæ mensuram: etenim amare valdè, amarique, inter multos locum non habet. Sed sicut amnes in multos divisi alueos fluunt imbecilles & tenues: sic vehemens amor in animo, si dissipetur in multos, enervatur. Unde fit, ut ea animalia fœtum suum magis ament, quæ unum tantùm gignunt. Et Cicero in Lælio: Quanta autem vis amicitiæ sit, ex hoc intelligi maximè potest: quòd ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita concreta res est & adducta in angustum, ut omnis charitas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur. Et ibidem: Est autem adeò rara ista inter duos eximia, & perfecta videlicet amicitia, ut ex omnibus sæculis vix tria, aut quatuor numerari amicorum paria possint. Rara sanè fuit hæc duorum fratrum conjunctio, ut alter pro altero tam paratus esset mori, quàm vivere. Nec immeritò Castor & Pollux crediti sunt salutare navigantibus sidus, præsertim quando *simul* se præbent aspectabiles. Vis hæc est *Concordiæ*, miram affert serenitatem animis, & aliis quoque tanquam benigni sideris radios impertit, inque amorem allicit omnium rerum, ait Tullius lib. 1. de finib. quas ad beatè vivendum sapientia comparavit, nihil est majus amicitiâ, nihil uberius, nihil jucundius. Quid dulcius, quàm habere, quocum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Et Seneca: Quantum bonum est, ubi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat, quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas: quorum sermo solitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, aspectus ipse delectet. Deinde cùm vita nostra instar maris variis agitetur procellis, hos solos amicos veros dixeris, qui quantiscunque fluctibus & tempestatibus jactetur navis, non sinunt se dissociari; perstant in adversis, ulli fortunæ cedere nescii. Larvam amicitiæ gerunt, quos sola felicitas jungit, junctósque conservat: Queritur de his Pelignus vates. 4. Pont.

Dum mea puppis erat validâ fundata carinâ,
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc quia contraxit vultum Fortuna, recedis;
Auxilio postquam scis opus esse tuo.

Arragonum rex Alphonsus hoc genus vertumnos volucribus marinis comparabat, is enim ex Sicilia domum navigans, vidénsque aves circumvolantes triremem, & cibum exspectantes, escam eis projecit. Quâ certatim discerptâ avolârunt. Atque his similes sunt, inquiebat, qui obsequiorum tamdiu sunt studiosissimi, quamdiu novis beneficiis inhiant;

inhiant; quibus Saturati avolant, donec ad officium revocentur necessitate. Antisthenes apud Laërtium lib. 2. c. 8. ait: Vasa explorantur pulsu & tinnitu; amicorum fides rerum adversarum incursu. Amici temporarii comparantur pallio viatorio; quod in serenitate abjicitur.

Et quia supra inter raros amicos numeravimus Nisum & Euryalum, de quibus patheticè Maro 9. Æneid. quædam ex eo ad officium amicitiæ pertinentia breviter sunt animadvertenda. Nisus conspicatus Euryalum sub hostili ferro laborantem, ut amicum neci subduceret, sese ipsum succidaneam hostiam obtulit, dum clamavit:

Me, me: adsum, qui feci: in me convertite ferrum,
O Rutuli.

Atque ut vitam ei exoraret, aliam adjecit causam juvenis dimittendi:

Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.

Quasi diceret: amicitiæ legibus ductus (quid à culpa remotius, imò quid ex officio honestius?) in hac se mihi infelicitate comitem præbuit: mei, inquam, ductus amore, non odio vestrî. Hic tantùm illius error est, quem, quia totus est ab amicitia, condonate. Cùm verò nihil his proficientibus, aspiceret Euryalum morientem, sumpta de ejus interfectore ultione,

Tum super exanimem sese projecit amicum
Confossus, placidáque ibi demum morte quievit.

Maximæ virtuti æternum elogium maximus Poëta cecinit:

Fortunati ambo: si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

De Pylade & Oreste mentionem fecimus Symbol. 52.

Damonem & Pythiam Pythagoreos laudibus effert Cicero de offic. quos ait hoc animo inter se fuisse: ut cùm eorum alteri Dionysius Siciliæ tyrannus diem necis destinâsset: & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causâ postulâsset: vas factus est alter ejus sistendi: ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi: qui cùm ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus vitam utriusque servavit, & ut se tertium ad amicitiam inscriberent, petivit. Hæ sanè vires, amicitiæ: inquit hæc memorans Valerius Max. lib. 4. cap. de amicitia, mortis contemptum ingenerare: vitæ dulcedinem extinguere: crudelitatem mansuefacere: Odium in amorem convertere: pœnam beneficio pensare potuerunt: quibus penè tantum venerationis, quantum deorum immortalium ceremoniis debetur. Illis enim publica salus: his privata

con-

continetur: atque ut illorum ædes sacra domicilia, ita horum fida hominum pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt. Hæc ille. Amicum, ut Aristoteles scribit lib. de virtutibus, oportet esse liberalem, hospitalem, comem, facilem moribus, humanum, misericordem, benevolum, omnibúsque gratiosum. Unde versiculi:

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi;
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Si ulla in re, certè in amicorum opus est delectu. Seneca epist. 3. *Delige, quem diligas.* Pythagoræ dictum est: *Ne cuivis dexteram injeceris*, id est, ne temerè quemlibet in familiaritatem admiseris. Effatum Divi est Hieronymi: *Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficilè servatur.* Monet adagium: *Nemini fidas, nisi cum quo modium salis absumpseris.* Vide, cui fidas; & arcana tua credas. Alexander Hephestioni amicissimo oculos sensim ad litteras arcanas admoventi, non prohibuit quidem, sed annulum sigillarem ori appressit. Plutarch. Juxta Horatium, Amicus est animæ dimidium, juxta Aristotelem: Amicus est anima in duobus corporibus: & Amicus est *alter ego*; igitur qui amicum non habet, se non habet. Et ut Petrus Blessensis ait: Amicitia est divitibus pro gratia: pauperibus pro censu: exulibus pro patria: imbecillis pro virtute: pro medicina ægrotis: mortuis pro vita. Amicitiæ symbolum quidam in pomo declaravit, quod qui æqualissimè divideret, verus esset habendus amicus; qui majorem ejus sumeret partem, utilitatis suæ studiosus: qui minorem, adulator esset censendus.

In amicitia maximè requiritur æqualitas, & officiorum communio. Pollux dimidium immortalitatis cum fratre Castore communicavit. Conqueritur Poëta de raritate amicorum Romæ.

Quòd non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdúsve dabatur Oresti:
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris:
Non minùs ingenua est & mihi, Marce, gula.
Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis tu purpureum, Marce, sagatus amem?
Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem:
Hoc non fit verbis: Marce, *ut ameris, ama.*

Castor & Pollux virtute excelluerunt: nam illa demum vera amicitia est, quam probitas conciliat. Eligendi sunt boni, evitandi mali, non minùs ac scopuli, ad quos si alliditur navis amicitiæ, mergetur. Etiam spinæ colligantur in fasciculos, sed non alia de causa, quàm simul ut accensæ crepitent inter flammas. Præ aliis tibi fugiendos putes (juventutem alloquor,) qui feroces sunt & intractabiles: qui judicio suo pertinaciter insistunt; qui vafri & aliorum secreta rimantes, sua consilia occultantes, sermone ambiguo utentes, & simulantes ignorare, quod sciunt. Item arrogantes, & qui despiciunt, quidquid à se alienum esse cernunt; iracundos, & pronos in lites, loquaces, sanniones, maledicos, importunos, nugatores, blaterones, thrasones, & ante omnia lascivos verbis & factis, impudentes, mendaces, blasphemos, aleatores, potores, refractarios, dissolutos, pietatis osores; & illos nominatim, qui, ut vir doctissimus Ludovicus Cressolius scribit, parentum & præceptorum liberati custodiâ, & in omnem effusi voluptatem, aut in popinis hærent, aut nocturni grassatores volitant, aut pudicis foribus insidiantur, aut choreas ducunt, Trossuli & formosuli amatores, vino & deliciis fracti, odoribus languidi, muliebribus nugis soluti, vitio elumbes, & invereundi: nam veteri versiculo:

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

Ut morbi corporis, sic animi, facillimè communicantur. Platonis familiares gibbum ipsius, Aristotelis amici linguæ hæsitantiam: Alexandri convictores flexam ejus cervicem & asperitatem vocis imitabantur. Atque ut vitia per convictum & societatem, sic virtutes per consuetudinem ducuntur. Quòd si nulla bestia tam fera & truculenta cernitur, quæ diuturno cum hominibus commercio feritatem non exuat; longè minùs ad illaudatas actiones sese dabit, qui cum benè moratis frequens est. Confirmat hæc omnia sapientissimus Hebræorum Prov. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum furioso: ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* Et Prov. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.*

III. (*c*) Diximus Castorem & pollucem, quando simul apparent, salutares esse navigantibus flammas; secus, si una tantùm videatur; eámque vocari *Helenam* haud dubium tempestatis imminentis signum. Quid hinc ad mores? feralem esse facem, mulierem discordem & rixosam; quæ nec pacem ipsa pati possit, nec sinat alios quiescere; turbatricem non modò concordiæ domesticæ, sed etiam non rarò publicæ. Exempla

(*c*) *Helena pestilens sidus.*

pla docent, quas tempestates concitaverint exitiales hæ faces. Ut Troia incendio deflagraret, quis ignem subdidit nisi Helena? quæ quot radios ex oculis, tot faculas jaculata est, quibus in amorem & odium fortissimorum virorum pectora incendit, & Priami regnum funditus evertit. Clytemnestra verò Helenæ soror, qualis furia extitit? Ægisthi propinquitate conjuncti, fœdissimis amoribus capta, ut liberiùs cum adultero consueseeret, redeuntem ex bello Trojano maritum Agamemnonem per insidias interfecit, idem factura Oresti filio, nisi eum Electra soror certissimæ neci eripuisset. Quid pestilentius ac dirius his flammis? quæ aspectu primo videntur esse sidera ob venustatem formæ; sed nimiùm ferale lucent, instar cometæ:

------- non illum navita tutô,
Non impunè vident populi.

IV. (*d*) Animadversione dignum est, quòd Castor & Pollux ex ovo fragili prodierint: qua re ostenditur, quàm lubrica sit hominum etiam conjunctissimorum fides & amor. De Carolo VII. Galliarum rege memoratur, ipsum aliquando è familiarium suorum charissimo scisscitatum, quid ejus cum rege amicitiam infringere aut labefactare possset? illúmque respondisse intrepidè, *un affront, Sire.* Unus contemptus, domine. Constantiam amicitiæ expressérunt veteres hoc emblemate. Pingebatur juvenis formâ vegetâ, detecto capite, tunica rudi indutus, in cujus fimbria scriptum erat: *Mors & Vita.* In fronte: *Æstas & Hiems;* habebátque latus apertum usque ad cor, cui inscriptum: *Longè & Propè.* *Forma juvenilis* indicat amicitiam semper virentem; *nudum caput*, fidele obsequium; *rude indumentum*, tolerantiam laborum; *æstas & hiems* prospera & adversa; *latus & cor apertum*, simplicitatem & sinceritatem; *longè & propè*, amoris in omni loco constantiam.

V. (*e*) Castor & Pollux inter ἀλεξικάκους, seu *malorum depulsores*, sunt numerati. Nec immeritò. Nam qui concordes sunt inter se, & pacis amantes, etiam alios ad voluntatum conjunctiones inducunt, eáque, quæ discordiam, & mala inde orientia invehere possent, amoliri studeut & averruncare. Superiùs meminimus, *Discordiam*, unam esse inter furias, Martis currum stipantes. Ejus imaginem pingit Petronius:

Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis: contusáque lumina flebant:

Stabant

(*d*) *Lubrica amicitia.* (*e*) *Concordia bonum.*

Stabant irati scabra rubigine dentes;
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque intra toto laceratam pectore vestem
Sanguineam, tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

Quale monstrum hoc atque portentum? Hi sunt effectus disjunctionis animorum; hi fructus; livor, iræ, odia, jurgia, rixæ, cædes; alimenta furialis *lampadis*; & mille calamitates aliæ; quæ omnia mala, benigno *geminorum* Siderum, Castoris & Pollucis, influxu, veluti maris insana tempestas, depelluntur & dissipantur.

De Cyllaro equo à Polluce insesso, & cum eo in cælum translato, ubi Equiculus seu Equus minor vocatur, extat epigramma:

Fraterno ut junxit Pollucem Jupiter astro,
Te quoque sidereis, Cyllare, junxit equis.
Atque ibi tot fessum stadiis, bellique cruentum
Pulvere, cum Domino te quoque nectar alit.
Turpe est emeriti senium non pascere servi:
Non eget hoc dominus: verùm eget hic domino.

SYMBOLVM CIV.

Momus, deorum omnium irrisor.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Libido carpendi & obtrectandi. 2. Osores hominum. 3. Censores aliorum. 4. Sutor, ne ultra crepidam. 5. Maledicentia redit in autorem.

CÆteros deos ac deas, denique sequitur *Momus*, Deus ipse, quamquam Divorum omnium reprehensor & carptor. Progenitus est patre *Somno*, matre *Nocte*. Proprium ejus naturæ, ipsum quidem nihil operis edere, sed aliorum deorum acta & opera curiosis oculis contemplari, & siquid est omissum, aut perperam factum, id summa cum libertate carpere: unde & nomen accepit; nam μῶμος Græcè, *reprehensionem* Latinè sonat. Is inter deos Neptunum, Vulcanum, Minervam de artificio contendentes, judex delectus, omnium opera reprehendit.

hendit. Etenim cùm Neptunus *taurum* effinxiſſet; Minerva *domum* exſtruxiſſet, Vulcanus *hominem* efformâſſet; nihil non reprehenſione dignum invenit. De tauro cenſuit, rectiùs acturum fuiſſe ejus compoſitorem, ſi cornua infra oculos animali inſerviſſet, quò illis certiùs uteretur juxta directionem oculorum & ductum; deinde ſi cornua in armis potiùs tauri, quàm capite collocâſſet, videbatur multò majore vi percuſſurus fuiſſe, toto enim corpore in pugnas ac vulnera incubuiſſet. In hominis autem fabrica culpavit, quòd in pectore deeſſet feneſtra, quò receſſus illius abditi pervideri poſſent; cùm conſtet multos alia loqui, alia ſentire. Minervæ domum vitii arguit, quòd eam non effeciſſet truſatilem, quæque facilè poſſet circumagi, ſi fortè malum haberet vicinum. In Venere quidem, dearum omnium venuſtiſſima, cùm aliud vituperare nihil poſſet, reprehendit ſtrepitum & ſtridorem ejus ſandalii; unde locus adagio factus: *Momo ſatisfacere:* cùm vita alicujus eſt inculpatior, quàm vel Momus ipſe poſſit carpere.

Ethica.

I. (*a*) Quòd Momus Venerem à Divis omnibus laudatam maledico dente admorderit, ob ſtridulos calceos, ſignificatur, rudes plerumque & obſcuros Noctis filios illa carpere in aliis, quæ nullam reprehenſionem merentur; quid enim vilius, quàm ad ſtridorem ſandalii attendere? Nimirum, quæ ſuo nequeunt ipſi ingenio aſſequi, tanquam vitioſa perſtringere non verentur; judicio quidem tam præpoſtero, ut riſum moveant, aut indignationem prudentibus. Momus aliorum deorum carpebat opera; ipſe interim nihil elaborabat laude dignum, id commune vitium eſt illis, qui ſtantes in littore, contemplantur in alto navigantes, examinant conſilia, ventorum exceptiones, velorum obliquationes, clavi moderamina, remigantium laborem, fluctuum aſſultus, navis concuſſiones, & omnia criſpa nare traducunt; quibus objicias illud Comicum: *Tu ſi hîc ſias, aliter loquare.* Aliud eſt remum ducere, aliud remiges cenſere. Nec temerè Momus dicitur eſſe *Somni* filius; nam quidquid hujusmodi malè feriati carptores ſomniant, id pro oraculis habent, unde turbinato capiti ſuo reſponſa petunt & argumenta ad maledicendi virulentiam ore, calamóve ſpargendam. Momus, teſte Mythologo, cognomine vocabatur *Stygius* à στυγέω, *odi*, quòd diis pariter & mortalibus ſummè eſſet odioſus, parceret nemini, & dentem in

(*a*) *Libido carpendi & obtrectandi.*

in quosvis stringeret, sacra pariter, humanáque ludibrio habens. Qualis obtrectator & religionum derisor fuit *Lucianus* ille Samosatensis, qui vixit sub Trajano Principe; primò Christi cultor, postea deterrimus fidei orthodoxæ desertor: improbitatis scurrilis meritas dedit pœnas, quando canum morsibus dilaceratus, in eo, in quo peccavit, punitus est: vindices dentes *mordendo* provocavit. Momi quoque discipulus fuit *Theon* poëta quidam, rabiosæ loquacitatis, & maledicentiæ petulantissimæ: unde *Theonino dente* rodi dicuntur, qui convitiis lacerantur. Horat. in epod.

-------- dente Theonino qui circumroditur.

Zoili quoque mordacitas in proverbium venit. Fuit is Sophista quidam, Ampholitanus patriâ, (ut Ælianus tradit lib. 11. variæ hist. c. 10.) hoc potissimùm facinore nobilitatus, quòd Homerum, poëtarum principem, ausus est libris aliquot in eum scriptis incessere; unde *Homeromastigis* appellationem meruit, id est, qui flagellârit Homerum; sed non minùs stultè & vesanè, quàm Ajax, quando flagello sæviens, putabat se verba intorquere Agamemnoni, & cæteris exercitus Græci principibus; cùm tamen in pecudes furorem suum effunderet. In Platonem quoque & alios stylum strinxit; unde dictus est κύων ῥητορικὸς, *canis rhetoricus*. Tandem in præmium maledicentiæ, jussu Ptolemæi Philadelphi, regis Ægypti, cruci affixus, vel ut alii produnt, Scironiis de saxis præcipitatus est. Aliqui *Smyrnæ* vivum exustum volunt. Ejus malignam naturam & ridiculos mores sic describit Ælianus. Barbam, ait, alebat submissam, caput usque ad cutem radebat, pallium ei supra genua pendebat: studiosus malè loquendi, serendis litibus operam sedulam dabat, καὶ φοτερὸς ἦν ὁ κακοδαίμων, contumeliosus erat & calumniator. Is rogatus, cur de omnibus malè loqueretur, respondit: ποιῆσαι κακῶς βυλόμενος, ἃ δύναμαι ; *malè facere cùm velim, non possum.* Infelix & infame ejus nomen propagatum est in quosvis obtrectatores, invidos, maledicos, mordaces. Ovid. 2. de remed. amoris:

Ingenio magni livor detractat Homeri,
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Martialis sub Zoili nomine homines quosdam sordidos & absurdos diversis in epigrammatis acriter perstringit. Libro 12. in quendam Zoilum falsè ludit.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Est

Est enim vultus plerumque index mentis, & lineamenta corporis argumenta animi; liberalis & honesta facies, liberalem & honestum arguit animum, prava pravum. Qualis in Zoilo primo apparebat, à quo deinde formam corporis, animíque traxere nepotes.

II. (*b*) Ad Momos & Zoilos aggregandus est *Timon*, Atheniensis ortu, cognomento μισάνδρωπος, seu, *hominum osor*. Hic omnibus invidebat, actiones omnium arrodebat, nullorum hominum homo; hominum vestigia quoque vitans; soli Alcibiadi adolescenti familiaris; quod mirantibus, caussámque rogantibus, respondebat: Hic adolescens Athenienſibus suo tempore ingens conflabit malum. Ejus epitaphium hoc fuit: *Hîc sum post vitam miseram, inopémque sepultus: Nomen ne quæras: Dii, lector, te malè perdant.* Arborem is in suo horto consitam habebat, quàm erat succisurus, idcircò priùs evulgari voluit: arborem sibi esse, in qua se aliquot miserorum hominum suspenderint. Nunc illam esse succidendam, ideóque properandum illi, qui sui in ea suspendium cogitaret. Digni me herculè homuli, qui, quod nominatus epigrammatarius imprecatur cuidam:

Omnibus invideas, Nævole nemo tibi.

Alienæ felicitatis invidiâ torqueantur; ipsi verò desperatione meliorum, ringantur ut canes, & cùm malè facere non queant, malè dicendi libidine acerbent vitam.

III. (*c*) Prudentissimè monet poëta:

Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.

Adagione teritur: *longo, vel adunco suspendere naso.* Sed aliud est nasatum, aliud nasutum esse. Irridet Martialis Tongilianum quendam, qui ob carpendi licentiam videbatur sibi nasutissimus; cùm tamen penitùs à judicio aberrârit, totúsque à suomet ipse naso suspensus fuerit:

Tongilianus habet nasum scio: non nego; sed jam
Nil præter nasum Tongilianus habet. lib. 12.

Erat enim homini nasus æquô porrectior; & qui censoriè judicabat alios, ipsi suus ludibrio fuit nasus. In eodem libro exagitat alium, qui nimis uncis indulgebat naribus, & nasum habebat,

Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.

Non ideò tamen emunctæ naris erat, etsi nasonem se posset dicere. Imò illi quoque, qui nasum cubito tergunt, censoriam sibi dicacitatem arrogant. Eodem poëta teste:

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

(*b*) *Osores hominum.* (*c*) *Censores aliorum.*

Aut potiùs proboſcidem, qua videntur ſibi odorari acutiſſimè, ſcilicet, ut vultures cadavera. Neque hoc mirum:

Nam facilis cuivis rigidi cenſura cachinni.

Unde Seneca lib. de conſt. c. 11. Ut quisque contemptiſſimus, & ut maximè ludibrio eſt, ita ſolutiſſimæ linguæ eſt. Pueros quidam ad hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, ac ſub magiſtro habent, qui probra meditatè effundant, nec has contumelias vocamus, ſed argutias. Contemptiſſimum utique & impudentiſſimum genus hominum, quorum audacia ita demum ſibi in convivas jus facit, ſi cœpit à domino. Hunc ubi cenſura parcente & innoxia libaverint, ceteros deinceps audaciſſimè carpunt. Hæc Seneca. Balatrones, ſanniones, ſcurræ, moriones hi, menſis & triclíniis paſſim inerrant, & liberrimè dentes exercent in omnes; nec oſſa duntaxat, ſed famam quoque probroſi paraſiti rodunt. Talis fuit Mamercus ille, de quo Martialis lib. 5. epig. 29.

Ut benè loquatur, ſentiátque Mamercus
Efficere nullis, Aule, moribus poſſis.
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Ruſones,
Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos;
Rubiginoſis cuncta dentibus rodit:
Hominem malignum forſan eſſe tu credas:
Ego ego miſerum credo, cui placet nemo.

IV. (*d*) Calcatum eſt adagium: *Sutor ne ultra crepidam.* Apelles enim, Plinio narrante lib. 35. perfecta picturæ opera proponebat in pergula tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens, vitia, quæ notabantur, auſcultabat, vulgum diligentiorem judicem, quàm ſe præferens. Ferúntque à ſutore reprehenſum, quòd in crepidarum una intus pauciores feciſſet anſas. Tulit hoc Apelles, & tacuit. Cùm verò idem poſtero die prioris admonitionis emendatione jam ſuperbior, circa crus neſcio quid cavillaretur, indignatus Apelles proſpexit, denuntiavítque, ne *ſupra crepidam* ſutor judicaret. Aliud eſt ergo cerdonem, aliud cenſorem eſſe, præſentim in rebus nec acu tangendis, nec ſubula perforandis. Acetum imperitis Ariſtarchis epigrammatarius infricat:

Cùm tua non edas, carpis mea carmina Læli.
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.

Multis

(*d*) *Sutor, ne ultra, crepidam.*

Multis hic ſedet morbus, qui cùm ipſi parùm aut nihil poſſint, cenſendis aliis hoc moliuntur, ut aliquid poſſe videantur; ſed ſuo riſu, non plauſu. Rex Ptolemæus de re muſica copiosè diſſerens, quædam ſibi minùs perpſecta carpſerat. Hic unus aliquis aulœdorum imperterritus: aliud eſt, inquit, ô rex, ſceptrum, aliud plectrum. Rex Macedo Alexander non minùs audaci reſponſo juſſus eſt cenſuram ſubſtringere. Solebat is ad Apellem, quem dixi, chariſſimum ſibi artificem ſæpius reviſere, & varia de pingendi arte garrire, quæpiam etiam imperitiùs cenſere. Apelles ſilentium ei comiter ſuadens: Optime, ait, rex, ſi me audias, hac de re meliùs ſilebis; ne pueri, qui colores terunt, te rideant. Plin. loc. cit.

V. (*e*) Sed ignoſcendum hoc regibus, quorum ſpiritus ad altiora ſurgentes, non habent, cur invideant plebeiæ felicitati. Illi potiùs cuticulæ metuant ſuæ, qui Zoili dentes in alieno figunt corio. Plinius memorat lib. 32. c. 10. Si lucerna infuſo ſepiæ piſcis atramento accendatur, aſtantium vultus terribiles, & planè æthiopicos apparere. Sepiæ atramentum, eſt *obtrectatio*, quæ lucem ipſam (quâ quid purius eſt?) inficit, & præclaros alioquin homines tetra ſpecie induit. Sed non diu ſuccus ille loliginis faſcinat oculos; prævalet ſplendor virtutis ac ſapientiæ, & diſijcit nebulas, quas tenebriones iſti, *Momi* ſcilicet, matre *Nocte* geniti, incautis objecerunt. Redit in autorem calumnia, & veriverbium Salomonis Prov. 14. locum invenit: *In ore ſtulti virga ſuperbiæ.* Per *ſtultum*, maledicum Zoilum intellige, qui (quod ſolent fatui, clavam aut virgam manu geſtantes) eandem præfert linguâ, & obvios quosque convitiando percutit, neſcio quò faſtu & ſuperbia, tanquam ſi cenſoriam virgam ab ipſo Jove accepiſſet. Verùm Momico huic hominum generi non rarò accidit, quod Theagenis, athletæ nobiliſſimi, calumniatori, qui ſtatuam plurimarum palmarum victoris, quadringentis coronis illuſtrem, poſt fatum viri celeberrimi, ſingulis noctibus, gaudebat flagellis cædere: quod cùm ſæpius, validiúsque iteraret maſtix, corruit ſtatua, & nebulonem oppreſſit. Pauſanias in Eliacis. Nimirum, Salomone teſte Prov. 19. *Parata ſunt deriſoribus judicia;* & omnibus illis, quibus cùm volupe ſit malefacere, etiam oblectamento eſt maledicere: quam infamem tribum quidam non inſcitè ſcarabæis comparat, qui teſtante Æliano lib. 4. c. 8.

vivunt in ſtercore, moriuntur in roſis.

(*e*) *Maledicentia redit in autorem.*

ADDITAMENTA QVÆDAM AD ETHICAM SYMBOLICAM.

ETsi non ignoro, primis hisce libri hujus curis, & secundas, & tertias, ac plures etiam accedere posse; putavi tamen manum tollendam de tabula, nec lectoris patientiâ abutendum. Dum paginas impressas absens revoluo, adjeci has additiones, quæ forsan in hac editione à quoquam desiderari possent.

I.

Additamentum ad Symbolum III.

Paginam 13.

QVadrat huc, quod scribitur de Epicteti Stoici Philosophi lychnulo fictitio, quem quidam trecentis emit denariis, sperans futurum scilicet, ut si noctu ad istam lucernam legisset, mox Epicteti sapientiam somniaret, & similis efficeretur venerando seni. Torquetur in eos, qui se pulchros & beatos putant, si doctorum virorum habeant insignia, cùm ipsi sint omnis scientiæ expertes:

Plena omnia gypso
Chrysippi invenias: Nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem, similem vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthes.

Juvenal.

In eodem genere Symboli, speciosum est, quod habet Lucianus adversus indoctum, de Neantho Pittaci Tyranni filio, qui cùm Orphei lyram in templo asservatam, corruptô pecunia ædituo, sustulisset: Sub noctem in suburbium profectus, ut ejus periculum faceret, fides pulsare cœpit, sed tam ferali & incondito carmine, ut canes è vicinia strepitu excitati, infelicem citharœdum dilaniarent.

II.

Ad Symbolum XX. pag. 116. post versum 4.

IDem ibidem:

Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos

Nutrit,

Nutrît, & inventâ per devia rura lacertâ.
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.

Huc facit, quod Servator noster interrogat Luc. 11. *Nunquid (pater)* pro pisce serpentem dabit illi? scilicet filio panem petenti. Quasi diceret. Quis credas hoc facturum parentem? Et tamen parentes hoc faciunt. Venenum, malum est exemplum. Ex ibidis (avis est ciconiæ non absimilis, soli Ægypto peculiaris) ovo fertur prodire basiliscus, quòd avis illa serpentes crebrò devoret. Pierius lib. 17. Isaiæ dictum est c. 14. *De radice colubri egredietur regulus.* Quale semen, talis fœtus.

III.

Ad Symbolum XXXVI. pag. 193. v. 8.

HYmenæus, qui & Hymen, juvenili forma, nuptiarum deus à Græcis habitus est. Hymenæa sunt festa, sive sacra nuptialia. Pingebatur Hymenæus (quod ex Catulli epithalamio colligitur) coronatus floribus & amaraco, dextra facem tenens, sinistrâ flammeum (lutei seu flavi velaminis genus est) in pedibus croceos soccos habens. In nuptiis canebatur illud Plauti:

Io hymen, hymenæe, Io hymen!

Vel, ut Catullus:

Hymen ô hymenæe hymen, ades ô hymenæe!

Flores & amaracus, herba odorifera, ex qua corollæ nectuntur, lætitiæ nuptialis sunt argumentum; *fax* amoris: *flammeum* (quod sic dictum à Flaminis uxore volunt, cui soli inconcessum divortium) continentiæ conjugalis: amaraci sertum perpetuæ fidei signum est: *crocei* in pedibus *socci* (humile scilicet & leve calceamentum comicis ludionibus usurpatum) choreis apti, omnia fausta & hilaria promittunt. Sed quamdiu? dum prima gaudiorum Aurora croceis formosa capillis rubet; affundit sæpius vesper pluvias, & quod in Terei nuptiis contigit, candidæ Hymenæi tædæ in nigras Eumenidum faces, & socci hilares in tristes cothurnos mutantur.

IV.

Ad Symbolum XLVIII. pag. 263. v 3.

DE Invidia extat epigramma Maronis, quod adscribo?

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,

Et

Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quisquis furit, invidetque sorti,
Vt debet: sic pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graves dolores:
Suspirat, fremit, incutitque dentes,
Sudat frigidus, intuens quod odit:
Effundit mala lingua virus atrum;
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suavis illi:
Nec potus juvat, aut sapor Lyæi;
Nec si pocula Iupiter propinet,
Atque hæc porrigat & ministret Hebe,
*Aut tradat Ganymedis * ipse nectar.*
Non somnum capit, aut quiescit unquam,
Torquet viscera carnifex cruentus;
Vesanos tacitè movet furores
Intentans animo faces Erinnys.
Lethalis, Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat, comestque mentem:
Vivit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus levârit,
Nec Phœbus, sobolésve clara Phœbi.

Invidiæ emblema pingitur ab Alciato, mulier exucca macie, lippientibus cæcísque oculis, cor de pectore evulsum mandens, fluentibus ab ore viperis, seminuda, laceróque habitu, spinosum manu fustem sustinens. Nimirum Invidia, cùm in cæteris sit iniquissima, in hoc tamen aliquid æquitatis habet, quòd eum, in quo est, tanquam veneno proprio afficit, perdit, absumit, eúmque ulciscitur primum, à quo concepta & educata fuerit. Vipereas manducat carnes; nam viperam ferunt non prodire in lucem, nisi arrosis matris lateribus. Sic Livor eum primum invadit, & quasi enecat, in quo gignitur. Spinosus baculus significat aculeatam invidorum maledicentiam. De hoc baculo Ovidius:

Indoluit, baculúmque capit, quem spinea tortum
Vincula cingebant.

V. Ad

(*) *Licentia Poëtica.*

V.

Ad Symbolum LI. Pag. 282.

CErva pedes æreos & cornua habens aurea, erat Dianæ sacra, quam cùm Hercules neque occidere, neque vulnerare vellet (sciebat enim ex Junonis odiis, quibus agitabatur, quàm periculosum esset, plures feminarum iras in se excitare) diu est eam insecutus, donec fessam cepit, & Mycenas ad Eurystheum super humeros deportavit. Pierius hoc explicans lib. 7. Hieroglyphic. c. 8. ait, per fugacissimum hoc animal significari, ab Hercule viro fortissimo pavorem è mortalium vita sublatum esse, dum ex urbibus & provinciis flagitiosos & impios homines profligavit. Alii exponunt per alta cervi *cornua* intelligi honores & dignitates amplas: per *aurum* opes ac divitias. Et quia cervina cornua, quod Pierius loc. cit. c. 18. observat, similitudinem referunt lunæ, quæ cornua nunc amittit, nunc reparat, indicatur alios ab ignobilitate modò ad honores evehi: aliòs modò ab honoribus ad ignobilitatem redigi, assiduo fortunæ rotatu, varióque eventu, id quod etiam fugacitas cervi denotat. Hunc igitur *Cervum*, sublimes & auratos in capite ramos gestantem, honores ajo & divitias, quàm multi insequuntur, quanta contentione & quanto anhelitu. Et quàm pauci capiunt! aut si ceperint, conservant! Aliter Hercules; & quicunque vir cordatus ac sapiens; per aspera & ardua, per colles & valles, per dumos & saxa virtutis curriculum prosequitur: neque vestigiis æneis, hoc est, rebus duris, absterretur, quò minùs eò, quò tendit, pertingat: soláque honestate contentus, nec aurum, nec honorem sectatur, & tamen consequitur, quod non quærebat. Et hanc ipsam prædam cum virtute adeptam, non suæ cupiditati & ambitioni, sed publicæ rei Bono impendit, id quod adumbratur per Alciden, captum virtutis suæ spolium in urbem Mycenas ad regem Eurystheum perferentem.

VI.

Ad idem Symbolum Pag. 282.

GEryon Rex Iberiæ trigeminus, & triceps, & tricorpor ideo à Poëtis fictus est, quia tres fratres erant, viribus præstantes, quô denotatur concordia insuperabilis. Andreas Alciatus emblem. 40.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta, simul pietas mutua, & unus amor.

Invicti humanis ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

Concordia, vinculum incolumitatis & pacis, maximas habet vires. Geryon duobus cum fratribus tanto amore, tantáque fide ævum traduxit, ut ii uno nomine Geryones dicerentur: adeóque unicam regni animam & voluntatem ineſſe, quanquam tres eſſent, communis jactabat opinio. Eſt enim unita virtus valentior ſeipsâ diſpersâ. Victi ſunt hi Geryones ab Hercule, poſtquam ſeparati & disjuncti. Diſſolvit autem hoc vinculum avaritia & crudelitas, dum abuſi felicitate & potentiâ ſuâ, injuſta cœperunt arma vicinis inferre, & prædas agere: quod Poëtæ indicare voluerunt per boves ipſorum, hoſpites devorantes, pérque canem bicipitem, & draconem ſeptem capitum, quos velut cuſtodes bobus ſuis appoſuerunt. lib. 7. c. 1.

VII.
Ad idem Symbolum.

INter alia heroica Herculis facinora, hoc quoque eminuit, quòd *aurea mala* ex Heſperidum horto ſuſtulerit. Hanc, quia amœnior eſt, fabulam ſic accipe. Juno cùm nupſiſſet, fertur multas pomos, quæ *aurea* producerent mala Jovi in dotem attuliſſe, hortúmque longè nobiliſſimum, in extrema Mauritania ſitum, cuſtodiendum commiſiſſe tribus Nymphis, Heſperô, qui Atlantis frater erat, genitis, unde Heſperides dictæ ſunt; quarum nomina Ægle, Arethuſa, Heſpertuſa. Atque ut nequod ex arboribus ſacroſanctis ſpolium legeretur, draco inſuper pervigil additus eſt cuſtos, qui prohiberet omnes ingreſſu illius viridarii. Atlas quoque ad præcludendum acceſſum, nemus illud pomiferum montibus, velut muris altiſſimis cinxit; Themidis enim oraculo reſponſum fuerat, futurum, ut filius Jovis eò aliquando accederet, & *aurea mala* (coloris ſcilicet aurei, vulgò aurantia) carperet. Hinc Lucanus de Hercule:

Abſtulit arboribus pretium, nemoríque laborem
Alcides: paſsúsque inopes ſine pondere ramos,
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.

Nempe Euryſtheo Mycenarum regi, à quo mandatum acceperat, illud quoque periculi ſubeundi. Adeò nihil Juno intentatum reliquerat, ut privignum neci daret. Sed virtus Herculis etiam hîc vicit: in hortos penetravit, draconem trucidavit, pretioſos illos arborum fructus aſportavit. Mythol. lib. 7. c. 7. In cujus rei memoriam ac trophæum Herculi

ſtatua

ſtatua in Capitolio Romano (quod Pierius memorat lib. 54. c. 12.) erecta eſt, dextrâ *clavam*, lævâ tria *poma* præferens,

Ad mores hanc ego fabulam ſic refero.

Heſperidum horti delicioſi, ſunt illecebræ & blandimenta variarum cupiditatum; eminent in iis *poma*, aureo colore fulgentia; quia quidquid concupiſcitur, ſub alicujus *boni* aut *pulchri* ſpecie appetitur; unde inter tutelares illas horti virgines prima *Ægle* à *ſplendore* vocatur, nam oculi ſive frontis, ſive mentis rapiuntur in ſplendida, ſed & ſplendidè decipiuntur, ſicut qui contra ſolem intuentur, cæcantur. Hujus viridarii cuſtos draco, & ſurgentes è rupibus muri quid ſunt aliud, quàm mille labores & pericula fruendi optatis? Quid enim? *Draco* ſuperandus eſt, qui halitum habet igneum, afflatum veneroſum, alas, quibus terram & aërem pervolat & inficit, longiſſiméque necat; viſum præterea acutiſſimum, ſquamas inſtar clypeorum conſertas, oris hiatum immanem, oculos terribiles, caudam tam metuendam, ut etiam elephantos (quod Plinius ſcribit lib. 8. c. 12.) eâ complexos opprimat. Atque hoc monſtrum quanto diducit fauces hiatu, quàm multos, ſpe carpendorum pomorum allectos, invadit, ſtringit, devorat! *Avarum* aureus malorum color in perniciem trahit; *libidinoſum* Nymphæ hortenſes illectant; *honoris cupidum* murorum altitudo quò ſublimior, hòc deſiderabilior ad ſcandendum, & nemus hoc poſſidendum invitat. Sed miſeri *concupiſcentiis ſuis abſtracti* Jacobi 1. plerumque mediis in conatibus pereunt, diabolo (quem SS. litteræ variis locis *Draconem* appellant) in prædam cedunt. Vivat ergo Hercules, hoc eſt, vir probus, & malarum cupiditatum dominus; hic quia ſeipſum novit vincere, valet etiam vincere, quidquid perniciosè fulget atque blanditur. Hic quidem ſuâ munitus clavâ, hoc eſt, fortitudine & conſtantiâ, ſternit, & pedibus proculcat, quidquid infirmas mentes dejicit. Nihil in illum poteſt vel *aureus* divitiarum ſplendor: vel lubricus pellacium *Nympharum* aſpectus: vel *draconis* exitialis terror: vel præceps & ardua virtutis via; ſed his omnibus ſuperior, ſpoliat nemus inſidioſis fructibus, & vitiorum pabulum in victoriæ ſuæ monumentum convertit. Atque hic eſt ille Hercules, cui meritò ponenda ſtatua, & *mala* generosè decuſſa, velut trophæum, in manum danda. Atque ut nemo clavam Alcidi è manibus extorſerit, ita poma hæc nulla temporis diuturnitas erodet, nulla invidorum injuria convellet.

Sunt, qui tria hæc *mala* Herculis comparant tribus virtutibus, quæ *Cardinales* dicuntur, *Juſtitiæ* ſcilicet, *Temperantiæ*, *Prudentiæ*; quartam, nempe

nempe Fortitudinem, aiunt indicari per *Clavam*. Rectè, atque ad propositum nostrum. Sunt enim pravæ cupiditates per contrarias virtutes reprimendæ & evincendæ. Sic arbuscula curva in adversam est partem flectenda, ut evadat recta. Et verò ut Herculem te præbeas contra vitia & improbas cupidines, opus est *panopliâ*, prætérque *clavam* fortitudinis, exuviæ quoque leonis gestandæ, hoc est, cæteræ virtutes induendæ, quibus obarmatus, securè *Hortos Hesperidum*, videlicet vitiorum illecebras adeas, & inde victor abeas. Docent quoque *Hesperia* hæc in manu Herculis *poma*, *amaram esse virtutis pugnam, sed dulcem fructum ac victoriam.* Sunt enim hi fructus honoris ac honestatis. Eccli. 24. Et qui sic vincit, *labores manuum suarum manducat.* Psal. 437.

Atque hæc de hisce pomis satis, aut etiam nimis; neque enim necesse est cætera omnia, quæ sunt in fabula, Symbolicè applicare. *Ut enim in fertilissimo agro*, quod sapienter advertit Mythologus lib. 8. c. 22. *Fieri non potest, nulla, ut herba nascatur inutilis, sic in optimis, pulcherrimisque figmentis antiquorum non possunt omnia ad certam mortalium utilitatem perduci: sed quædam ad voluptatem, quædam ad probabilitatem ficta fuisse sunt existimanda. Quod siquis putet hæc ad meliorem partum perducere, meliorèsque explicationes invenire, debet hanc utilitatem cum posteris communicare: omnes enim ad cæterorum quoque commoda nati sumus, ac jubemur à Deo illud talentum exercere pro viribus, quod nobis à divina clementia concessum est.* Hæc ille, & ego cum ipso.

VIII.

Ad idem Symbolum. Pag. 289. versum 4.

COnverti etiam potest fabula in eos, qui licet tenuis fortunæ sint, aut ingenio non perinde valeant, audent tamen potentiores, vel etiam doctiores lacessere, quo ex conflictu nihil reportaturi sunt præter infamiam & detrimentum. Adagio fertur: *Cùm sis nanus, cede.* Forsan credebant hæc hominum frustilla, se Herculi sopito posse impunè illudere, & quod dicitur: *barbam vellere.* Stolidè. Vir sapiens nunquam totus dormit, etsi videatur: erumpit subitò, & vespas circumvolantes mactat. Virtus & modestia abjectissimis quandoque homulis audaciam facit & licentiam probris invadendi in eos, coram quibus si sit consistendum, ne hiscere quidem sustineant. Sed suô malô. Leo apertis oculis somnum capit, & insultantes lepores momentò devorat.

IX. Ad

IX.

Ad Symbolum LX. Paginam. 355.

ALciatus harum avium naturam & nidificationem Symbolicè ad uberiorem ex pace redundantem accommodavit. Fœtificant enim, quod diximus, brumâ, qui dies Alcyonij propter tranquillitatem maris vocantur. Significatur enim optimi Principis officium in id incumbere penitùs debere, ut populum in suis regionibus & provincijs, necessario proventu instructis, foveat, & tutetur, habita primum ratione tempestatum, earúmque calamitatum, quæ solent in dies accidere: Sinátque ventos remittere, & hostium procellas conquiescere, ut securiùs, tranquilliúsque in pace vivatur. Quod enim gubernator est in mari, hoc Princeps est in Republica; in navi licet sine cura, & otiosis esse vectoribus ludere, dormire; non item navarcho. Huic enim necesse est mare ipsum continuò observare, aërem cœlúmque intueri, ad terram aspicere, neque ignorare quæ in fundo sunt, nisi velit allidi ad scopulos, qui in aquis latent. Alijs de nocte stertentibus, ipse unus excubat: interdiu autem si brevem somnum suffuretur, tamen dubius hæret, nec curas in ipsa quiete ponit, jam contrahendi vela, jam clauum sistendi, aut quidpiam tentandi aliud, quò navis integra conservetur, cursúsque navigationis ad destinatum portum propellatur. Idem omnino, & ampliùs est Principi faciendum, ut se, suósque in securo, tranquillóque statu adversus ingruentes tempestates tueatur.

X.

Ad Symbolum LXX. Pag. 409. v. 13.

ELpenor è socijs Ulyssis in porcum à Circe conversus fuit: deinde pristinæ formæ restitutus, vino gravis de scalis delapsus, cervicem fregit; Homerus 10. Odysseæ. Adeò qui semel cum suibus in cœno immundæ voluptatis se versârunt, difficulter redeunt ad mentem, vel in recto ejus statu permanent; nam ratio concupiscentijs abrepta, *& anima infrunita* (ut Siracides loquitur c. 23.) hoc est, impudens, petulans, intemperans, libidini & gulæ dedita, velut in tenebris ambulat, & ex alia in aliam foveam cadit, donec denique cum *Elpenore in profundum venit.* Prov. 18. in quandam scilicet consuetudinem & quasi necessitatem peccandi, velut impos sui, præceps rapitur, & quidquid est honestum, spernit:

spernit: non secus ac porci, luto & sordibus se oblectantes, post lavacrum statim ad cœnum assuetum revolvuntur. Unde adagium: *Canis ad vomitum; Sus lota ad volutabrum.*

XI.

Ad Symbolum LXXV. Pag. 434. v. 5. post erigatur.

CONvenit huic argumento, quod de bucephalo generosissimo Philippi Macedonum regis equo scribitur. Nomen is habuit à bovino capite, quod aspectu torvo & taurinâ formâ referebat. Qui cùm ab equarijs Philippi duriùs & asperiùs esset tractatus, adeo sævus & præfractus est effectus, ut neque sessorem admitteret, neque vocem cujusquam pati vellet; ideóque velut inutilis judicatus est. Videns id Alexander Philippi filius, & indignans equum tam ingenuum regentium insciti perdi, accedens, habenâ eum comprehendit, & contra solem stare fecit, quòd eum ex umbræ metu consternari videret. Tum eô leniter demulsô, repentè insilijt, circumegit, & ad cursum incitavit, adeóque obsequentem reddidit, ut herum insessurum sponte in genua se submittens exciperet. Ita nimia severitas sæpe destruit generosam indolem, quam moderatior institutio erexisset.

XII.

Ad Symbolum LXXVI. pag. 442. v. 16. f. post Æneid.

ALciatus emblemate 74. proponit hominem, qui lapidem in canem conijcit: hic verò ruit in lapidem & frustra dentes in eo fatigat. Additum est lemma: *Alius peccat, alius plectitur.* Sic pueri, quod Seneca lib. 1. de Ira dixit, terram, ubi ceciderunt, verberari volunt, nesciunt cui irascantur, & tamen irascuntur. Hic genius Vindictæ est, cæco furit impetu, & nullo discrimine sævit.

XIII.

Ad Symbolum LXXXVIII. Pag. 528. v. 14. à fine.

POmum Veneris ab Alciato, emblemate 206. per *malum Medicum* explicatur, quæ poma ob aliquam cum auro similitudinem, nomen reperêre,

reperêre, nec inconcinnè dicuntur esse *amoris* nota. Sunt enim coloris aurei, dulcísque & austeri quiddam saporis habent, sed amarum corticem. Ita turpis aut inconcessa voluptas primo blanditur aspectu, tota undique aurea; sed ubi gustu *dulce* dedit, *amarum* ad satietatem usque ingerit, quod Orpheus in suis carminibus γλυκύπικρον, id est, *dulce amarum* vocavit. Serviunt ad hoc Symbolum *Poma Sodomitica*, quæ post urbis illius, & vicinarum civitatum, pluente pice ac sulphure, exustionem, per totam eam regionem cortice quidem ruborem præferebant: intus verò nihil nisi cinerem & favillam includebant.

XIV.

Ad Symbolum LXXXIX. Pag. 540.

LUbet huc addere, quod de Palladis effigie Mythologus lib. 4. c. 5. & Claudius Minos in Alciati emblema 22. commentantur. *Puella*, inquiunt, *armata* virum sapientem adversus omnes animi perturbationes sese armantem, & vitijs animo forti resistentem significat. Vel quod virtutem suis ipsius præsidiis instructam satis esse, intelligimus. *Galeam* habet in capite, quod referendum est ad judicium & constantiam, quâ vel maximè sapientis cerebrum, arx & propugnaculum animi, valeat. Insidet ei *gallus gallinaceus*, quia avis hæc clamore suo Minervæ cultores primo manè excitat & salutat. Additur *crista* cassidî, quia non solis viribus uti conveniat, sed etiam urbanitate & moderatione quadam in rebus omnibus cum ornamento. Cuspis ei tribuitur propter necessarium acumen ingenij: nam qui crasso est *ingenio* à natura præditus, neque, munus Dei præclarissimum, acceperit *judicium*, hunc vel decem Minervæ, ait Mythologus, expolire nunquam poterunt; alij hastam ei longam esse aiunt, quòd oratione percutiat eminùs. *Scutum* præ se fert *crystallinum:* quoniam vir sapiens haud aliter se ipsum intus dijudicat, quàm si in speculo crystallino ea, quæ externa sunt, contempletur; vel quia *veritatem* tanquam in lucidissimo crystallo perspectam habet. *Gorgoneum caput* gestat in Ægide seu lorica, serpentibus horrens, quia sapiens in pectore terrorem habet, quô adversarios afficiat. Cæsios seu glaucos oculos habet Minerva, quia perspicax, & aspectu ipso est formidabilis. Hæc illi.

Porrò de *Olea*, Minervæ sacrata arbore, extat emblema Alciati 24. in quo pingit Olivam, cujus ramis se vites implicant, cum adscriptis versiculis:

Quid

Quid me vexatis rami? ſum Palladis arbor:
Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.

Quæ verba Politianus ex Græco diſticho ſic reddidit.

Quid me implicatis palmites,
Plantam Minervæ, non Bromij?
Procul racemos tollite,
Ne virgo dicar ebria.

Symbolo 20. num. 4. diximus, quàm fœda res ſit mulier ebria; & vinolentiam à ſapiente abeſſe debere, hoc docet Symbolum.

XV.

Ad Symbolum XCIII. Pag. 568. v. 14.

A *Malthéa* dicta eſt ab ἀμαλθέυω, *multiplico, dito, nutrio*, quo nomine afficiunt aliqui *capram* ipſam, quæ Jovi lac præbuit; *Olenia* vocatur, ab Oleno urbe Bœotiæ vel Achaiæ, ubi nutrita fuit. Sunt, qui tradant, ex altero *Amaltheæ* cornu fluere *ambroſiam*, ex altero *nectar*, cibum & potum deorum. Cæterum capra hæc cùm aliquando cornu, quod habebat ampliſſimum, in objecta fregiſſet arbore, ſuſtulit hoc Nympha Amalthea (aliqui ab Adraſte & Ida Jovem nutricatum fabulantur) ac diverſis herbis ac pomis onuſtum ad os ipſius Jovis detulit; cujus beneficij memor jam grandior factus, cornu ſervatum Nymphæ, cujus erat capra, dono dedit, ea virtute imbutum, ut, quod memoravimus, quidquid appeteretur, ex eo cornu protinùs exiliret. Apud Athenæum Philoxenus ſecundam menſam varijs cupedijs inſtructam, *copiæ cornu* vocat. Plutarchus irridens paradoxa Stoicorum, qui ſuo Sapienti tribuunt univerſa, divitias, libertatem, ſanitatem, regnum, *Amaltheam Stoicam* appellat. Nos gratitudinis eximiæ hîc exemplum habemus in Jove, qui non paſſus eſt ſe vinci liberalitate hominum; multo cum fœnore rependit, quod accepit; pro herbis, inquam, pomis & diverſis fructibus, cœleſtia munera, nectar & ambroſiam, retribuit. Et quia beneficiorum optima cuſtos, eſt memoria, Jupiter, reciprocæ beneficentiæ monumentum Nymphis nutricibus impertijt ubertatis omnigenæ *Cornu*: capram verò altricem, in perennem accepti beneficij conteſtationem, poſuit in aſtris, & magno ſplendore coruſcam exhibuit ſpectandam & admirandam,

XVI. Ad

XVI.

Ad Symbolum XCVI. Pag. 597. v. 1.

NEque enim *in bello licet bis peccare.* In alijs rebus si quid erratum est, potest postmodum corrigi, prœliorum delicta emendationem non recipiunt, cùm statim pœna sequatur errorem. Notúmque est illud Africani Scipionis, turpe esse in re militari dicere: *non putâram.*

XVII.

Ad Symbolum C. Pag. 629. v. 12.

IMperium hoc uxorium quale, quantúmque sit, declarat disertissimus M. Tullius, Paradoxo quinto. *Vbi, an, inquit, ille mihi liber videatur, cui mulier imperat? cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil audet? poscit, dandum est: Vocat, veniendum: eijcit, abeundum: minatur, extimescendum? ego verò istum non modò servum, sed nequissimum etiam servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto.* Ita Tullius.

Additamentum ad præfationem facie 5. v. 11. post Hæc S.P.

HIsce *SS. PP. dictis accedit luculentum testimonium Lactantij Firmiani, viri longè doctissimi & disertissimi, qui non minùs verè, quàm eleganter Institut. lib. 1. c. 11. pronuntians de fabulis seu fictionibus Poëticis:* Non *inquit*, res gestas finxerunt Poëtæ: quod si facerent, essent vanissimi; sed rebus gestis addiderunt quendam colorem: non enim obtrectantes illa dicebant, sed ornare cupientes. Hinc homines decipiuntur, maximè qui hæc omnia ficta arbitrantur à Poëtis, nesciunt enim quis sit Poëticæ licentiæ modus: quousque progredi fingendo liceat: cùm officium Poëtæ sit in eo, ut ea, quæ gesta sunt verè, in aliquas species obliquis figurationibus cum decoro aliquo conversa traducantur. Qui autem non intelligunt, quomodo, aut quare, quidve figuretur, Poëtas velut mendaces, & sacrilegos insequuntur. *Ita ille. Quibus verbis innuit,*

innuit, etsi pleraque Poëtarum figmenta nec sint vera, neque verisimilia (in quo differunt fictiones Fabulosæ *ab argumentis Comœdiarum, in quibus exponuntur res quidem fictæ, & nunquam factæ, quæ tamen fieri potuerunt) tamen non ex inani & frivolo capitis malè feriati prolubio, sed ingeniosæ quadam* Veri *per* Fictum *coloratione ac ornatu, ad arcanioris alicuius doctrinæ significationem eruendam excogitata fuisse.*

FINIS.

INDEX.

INDEX.

Rerum præcipuarum.

A.

A Deo operum primordia capienda. 347
A teneris assuescere, multum. 280
Absyrtus à sorore Medea discerptus. 206
Acervus Mercurii. 608
Achelous ab Hercule victus. 270
Achilles quis? 429. ejus educatio. 430. 433. fuit invulnerabilis. 437. clypeus eius 437. hasta. 438. ars canendi 423. 435. lyra. 454
Actæon in cervum mutatur. 84
Adonis puer. 530
Adolescentia lubrica 279. ejus institutio. 339
Adrastea sive Nemesis. 518. 519
Adulator. 85
Adulterium. 188
Æacus Rex. 221. 483. vocatur socer Thetidis, quia Thetis peperit Achillem Peleo, Pelius verò fuit filius Æaci.
Ægeus Rex. 304
Ægisthus adulter. 297
Ægis Palladis. 117. 122. 542
Æmulatio stolida. 242
Æneæ pietas 468. descensus ad inferos. 478
Æolus ventorum Rex. 618. symbolicè. 623
Æson Rex 197. ex sene juvenescit. 206
Æsculapius. 380. 386
Ætates quatuor sive sæcula. 31. seq.
Affectiones animi 202. 287. 620. 621
Agamemnon Rex 297
Aglauros invida femina. 261
Agriculturæ laus. 162
Ajax Oilei filius. 440
Ajax Telamonius. 439. 442
Alæ Dædali. 239
Alcides unde dictus. 281
Alcinoi horti & mensæ 415
Alcithoë & sorores in vespertiliones. 104
Alcmæon Amphiarai filius, patris ultor. 305
Alcon sagittarius excellens. 76
Alcyonum allegoria. 353. & additamento. 9
Alexander M. cantu variè affectus. 323
Αλεξίπακοι. 655
Alter Ego. 650. 653
Althæa saga. 241
Alphesibœa occisum maritum ulciscitur. 305
Amasij stulti. 110. 112. 113. 118. 450
Amazones. 286
Ambitio, ambitiosus. 62. 508. 623
Amicitia. 211. 215. 216. 297. 650. seq. mala 211. 654. falsa 651. lubrica. 655
Amici fideles 650. seq.
Amor conjugalis. 328. 472
Amoris inhonesti exitus. 215
Amor sui. 91. cæcus. 417. 617
Amphiaraus Vates. 304. 311
Amphion mirabilis fidicen. 177. cantu ædificat.
Anchises. 464
Andromeda à Perseo liberata. 118
Androgei cædes. 212
Anima illigata corpori. 368
Animalia cur in cœlo? 231
Anser symbolicè. 629
Antæi & Herculis lucta. 287
Antonius triumvir mulierosus 218
Ἀπάθεια Stoica. 204

Apes Symbolum regiæ dignitatis & beneficentiæ. 568
Aper Calydonius. 211
Apollo 551. ejus laurus, cygnus, tripus, crines. 552. ara in Delo 554. arma & sagittæ. 555
Appetitûs & rationis luêta. 202. 287
Apotheosis Herculis. 293
Aquæ hauſtus 185
Aquila Symbolicè. 571
Arachne puella in araneam. 167
Araneæ labores. 169
Arbor ambulans. 268
Arcadicum germen. 19
Arcanum ſervandum. 246
Areopagus. 292
Arethuſa Nympha. 146
Argonautæ. 197. 324
Argus centoculus. 64. 67
Ariadne. 212. 233
Aries ſymbolicè. 205
Arion citharœdus. 330
Ariſtæus Proteum ligat. 264
Arma juſta & pia. 313
Arrogantia & faſtus 41. 485. 486. 487. 489. 490
Artes liberales. 134. 398. earum oſores. 325. Artes mechanicæ. 398
Artifices mechanici. Vide, opifices.
Arundini qui ſimiles. 21. 68
Aſcalaphus puer in bubonem. 146. 149
Aſinus in pelle leonis 288. ſtolidè blandiens. 525
Aſininæ aures. 19
Aſpectus feminarum. 455. 456. 457. Vide Oculus. Femina.
Aſtræa virginis imago & officium. 36
Atalanta virgo. 241. 341
Athamantis & Inûs conjugum Furiæ. 114
Athei. 40. 41
Atlas. 118. 123
Avaritia. 194. 297. 394. 422
Audacia. 272
Averni deſcenſus. 478
Augiæ ſtabulum. 289
Aulicus. 315. 605. 623
Aurora Muſis amica. 127
Auſter ſeu Notus ventus. 619
Autolycus fur. 602

B.

Bacchi cognomina & ſacrificulæ. 96. navis 97. imago. 98
Baldvini caſtitas. 385
Baltheus reginæ Amazonum 283. 289
Battus, Battologia. 20
Beatorum ſedes. 497
Bellerophon 124. ſeq.
Belli ſemina. 82. cauſa feminæ. 457. calamitates & effecta. 590. 592. 593. 594. cur bellandum. 595. quomodo? 596. 597
Bellona. 591
Beneficentia. 164. 253
Beſſi hirundines. 189
Blatero. 20
Boreas ſeu aquilo ventus. 618
Bos laboris Symbolum. 82. Vide, Taurus.

C.

Cacus latro. 282. 292
Caduceus Mercurii. 76. 600. 601. 604
Cadmus ſeminat milites. 81
Caligulæ ſtultus amor in equum. 21
Calliſto virgo in urſam. 51
Cancer Herculis 292. Mercurii 606
Canes Aulici. 86
Canes Jovis. 194
Canes cœleſtes. 231
Cantus laſcivi. 157. 325. 410
Cantûs vis & potentia. 177. 321. 322. 330
Capillorum retia. 119. vanitas. 120
Caſtitatis præſidia 3. gloria. 4. fuga. 5. inſidiæ 140. 382. præmia. 385. indiget cuſtodiâ. 79. 137. comes ſapientiæ. 133. 545

Casti. 38. 383. 420
Casus. 511
Catella lacrimans & procans. 139
Centauri & Lapithæ 218. 283. 646. 647
Cephalus imprudens uxorem occidit. 228
Cepheus Rex filiam exponit belluæ marinæ. 118
Cerberus triceps canis. 289
Ceres, dea frumenti. 159
Cerva æripes. 282. additam. 5
Ceyx & Alcyone in aves cognomines. 350
Charitas patriæ. 373 378. conjugum. 311, 328
Charites seu Gratiæ. 521. earum nomina, habitus officium. 521. 524
Charon portitor infernalis. 481
Charybdis. 363. 365. 369
Chimera monstrum. 129. 331
Chiron centaurus. 199. Achillis præceptor. 430. 431. symbolum timoris Dei. 435. vigilantiæ. 438
Circe trivenefica. 408
Clava Herculis symbolicè. 288
Clementia. 571
Cleopatra illex virorum. 130. 344. ejus navis. 103
Climene, mater Phaëthontis. 59
Clypeus pro cunis. 433. Achillis. 437. Minervæ. additam. 13. v. Ægis.
Clytemnestra adultera. 190. 297
Cœlum Neronis & Chosroæ. 488
Cognitio sui. 8. 24. 55. 93
Columbæ duces Æneæ. 478. symbolicè quid? Ibid.
Columnæ Herculis. 281. 989
Comessatio. 26
Concordia. 43. 179. 242. 655
Concupiscentia. 28. 122
Conjugalis fides & amor. 328. 350. 354. 420. 472
Conjugium. 29. 30. 83. 123. 254. 342. 345. 350. 616
Conscientia mala, bonáve. 27. 31. 68. 190. 292. 301. 481. 490. 519. 520. 524
Consilium. 42. 200
Copronymi sordes. 452
Corneliæ liberi sunt mundus muliebris. 176
Cornu-copiæ. 270. additam. 14
Cornua Bacchi. 99
Corpus decipit animum. 106
Convitiator 184. Vide Obtrectator
Crater unde dictus. 100
Credulitas incauta. 386. 464. 466
Creon Rex Corinthiorum. 207
Crocodilus. 403
Crudelitas. 407. 564. 594
Culex in cornu tauri. 11
Cultus divini neglectus. 106
Cupiditates malæ. 120. 122. 260. 285. 493. 494
Cupido, amoris Deus, 533. cur puer, nudus, cæcus? 534. alatus, Sagittarius? 535. ejus prava indoles. 536. spicula diversa. 533
Cupidinis & Mortis tela mutata. 535
Curiositas 28. 87. 89. 329. sciendi 27
Custodia pudicitiæ. V. Castitas mulierum. 53. V. Mulier.
Cyclops Polyphemus. V. Polyphemus
Cyclopis donum. 406. Cyclopes Vulcani servi. 404. 610. Cyclopica vita. 407
Cygnus Rex in cygnum avem. 69
Cygnis poëtæ similes 71. Cygnus Symbolum bonæ mortis. 71. Apollinis. 552
Cyllarus equus Castoris. 656
Cyparissus puer in cypressum. 336. hujus Symbolum 339
Cyri Persarum regis castitas. 381

D.

Dædali felix volatus, 232. invidentia. 233. monita paterna. 235
Dæmonum crudelia sacrificia. 371. monstrosæ formæ. 585. 647
Danaë à Jove decepta. 68
Danaidum dolium & perfidia. 459

Daphne virgo generosa. 2
Dearum certamen de pulchritudine. 460
Deformitas. 93
Dejaniræ donum exitiosum. 30
Delator improbus. 149
Delphinus symbolicè. 334
Demetrius castus adolescens. 381
Deo flos ætatis dedicandus. 317. ejus subitum auxilium. 374
Deucalion è lapidibus homines excitat. 53
Diabolus est Proteus. 268. 221. centauris similis. 647
Dialectici. 168
Diana dea. 631. 632. castitatis exemplar. 637. infera. 634. ejus habitus 647
Dii conjugales. 192
Diogenes canis. 86
Diomedis equi carnivori. 286
Dioscori 648
Discipulus 166. 609
Discordiæ pomum. 450. Discordia. 654 655
Disputator acer. 123
Dives infelix. 15. indoctus. 19
Divitiæ 587. 588. 630. V. Plutus.
Docti. 72. V. Litterati.
Dodonæum æs. 113
Domitianus Imp. stylo muscas configit. 157
Draconis dentes sati. 81. ejus symbolum. ibid. & pag. 67. 81. 82. V. Python.
Dux belli. 82. 122. 273. 313. 540. 541. 580. 561. 594. 596. 597. V. arma

E.

EBrietas. 99. 218. 295. in muliere probrosa. 100
Edessa urbs à Saracenis quomodo capta. 457
Educatio. 115. 160. 352. 353. 430. 431. 433. additamento 2
Eleonora Sosæ conjunx pudicissima. 89
Elisæus punit petulantes pueros. 143
Eloquentia. 65. 66. 581. 603. 605. 607
Elpenor in suem versus, additam. 10
Elysii Campi. 457
Endymion dormitator. 634
Epaphus Solis filius. 59
Epicteti lychnulus, additam. 1
Epimenides dormitator. 634
Epimetheus insipiens. 28. 30
Ericus Rex Daniæ cantu in furorē actus. 323
Erigone. 36. V. Astræa.
Eriphyle, perfida uxor. 304. 309
Erisichtonis fames. 255. 257
Eros & Anteros contrarii Cupidines. 537
Eteocles & Polynices fratres mutuis vulneribus occumbunt. 304. 308
Europa puella à tauro avecta. 77
Eurus seu vulturnus ventus 619
Eurydice Orphei conjux bis ad inferos rapta 320
Eundum quò Deus vocat. 608
Eurylochus socius Vlyssis spernit poculum Circes 409
Entrapelia quid? 524
Εὐθανασία. v. mors bona parentū 210. 236
Exemplum. 573

F.

FAbri. 613. 614
Fabularum origo, utilitas, dignitas, divisio, tractatio. V. præfationem. & pag. 30. 58. 59. 72. 249. 609. 619. additam. 7
Facies speculum mentis. 24
Factionum concitatores. 87
Fama. 375. 378. 597
Fames. 256. 257
Fatum quadruplex. 502
Fauni V. Satyri. Favor Principum 52. V. Princeps
Feminarum custodia. 53. imperium. 289. 621. labor. 105. loquacitas. 133. 246. mutabilitas. 150. arrogantia. 179. 460. illecebræ. 410. Ira. 424. 621. sunt bellorum causæ. 457. &c. V. Mulier.

Vide cui fidas. 20
Figulus figulum odit. 233
Filii imitatores parentum. 300. 307 improbi. 612
Fistula. 6. 9. 12. 65. 404
Fluvii inferorum. 442. 582
Fluviorum utilitas. 274
Fœdera inconsulta. 214
Forma 92. 94. 385. 456. 528. 645. V. pulchritudo.
Formicarum natura & industria 222. 223.
Formicæ in homines. 221
Fortitudo. 201. 214. 288. 291. 578
Fortuna. 507. 509. 510. 512. ejus tragica exempla. 513. est reverenter habenda 516. ejus rota. 515. 515
Fratrum iræ. 309
Fulmen 570. 571. 611
Fungino genere nati. 227
Furiæ 301. 307. 482. 592
Furtum. 282. 293. Furum deus. 607

G.

GAlea Plutonis. 117. 602. Minervæ. addita. 13
Galerus Mercurii. 604
Gallus gallinaceus symbolicè. 204. 540. 590. 605
Ganymedes Jovis pincerna. 314. imago aulici. 315
Garrulus. 184
Gaudia mala. 479
Geryon tricorpor. 282
Gigantes, Gigantomachia. 38. 40. 41
Glaucus piscator in deum marinũ abit. 275
Gorgonides à Perseo victæ 117. seq. earum allegoria. 121
Grammaticorum nugæ. 168
Gratiæ seu Charites. 521. 563
Gratus animus. 212. 275. additam. 14
Grues. 401
Gula 147. 259. 368
Gygis annulus. 515

H.

HEcate dea infernalis. 635
Heredes prodigi. 195
Hæreticus, hæresis. 66. 168. 184. 186
Halcyonis dies. 352
Harmonia Cadmi uxor, 82. 83
Harpalice noverca. 193
Harpe Mercurii. 604
Harpyiæ 194. 195. seq.
Hasta laureata. Minervæ, 313
Haustus frigidæ. 185
Hebe pocillatrix Jovis. Juventutis dea. 305. 314
Hecuba iu canem. 422. 425
Helena funesta fax virorum 454. prodit maritum. 454. eius aspectus 454. interitus. 456. prodit Trojam. 464. est pestilens astrum. 654
Helicon. V. Parnassus.
Heliogabalus araneas captat. 106. 167
Herculis bivium. 275. 279. acta 281. in rogo. 284. furens. 291. alexicacus. 291. cum Samsone comparatio. 294
Hercules Gallicus. 605
Hermæ statua. 605
Heroum filii noxæ. 616. &c.
Herse puella Mercurio desponsata. 261
Hesperidum aurea mala additam. 7
Hippocampus, equus Neptuni. 263
Hippocrene fons Musarum. 124
Hippodamia Pirithoi uxor 212
Hippodamia Oenomai regis filia procos eludit curuli certamine. vincitur à Pelope. 345
Hippolyte Amazonum regina ab Hercule capitur. 211. 283. ejus baltheus 289
Hippolytus castissimus adolescens. 379. cur Virbius dictus? 385
Hippomenes Atalantam cursu vincit projectis pomis aureis. 341. 342
Hircus Symbolum libidinis. 129
Hispanicus genius. 174

Hominis pectus vivarium bestiarum. 231
Homo inconstans. 265. arbor ambulans. 262. lapis. 55. ejus nobilitas 26. mutatio in bestiam. 25. 44. 409. studia inania. 167
Horæ Gratiarum comites. 569
Hospitalitas. 231
Humanitas. 57
Hyacinthus in florem sui nominis. 94
Hydra septiceps. 286. 287
Hymenæus. V. Thalassio, est nuptiarum deus 192. additamento. 3

I.

I. S. Jacobus Nisibensis Episcopus punit effrontes puellas. 143
Jactantia. 13. 271
Jambus puer malus in stellionem. 141
Janus bifrons & quadrifrons. 565
Jason imago herois. 197
Icari volatus infelix. 232
Imago B. V. 420
Imprecatio parentum. 307
Impudicitia. 52. 68. 129
Incontinentia. 384
Incus. 614
Indocti. 12. 55. 72. 609
Ignaviæ stratum. 75. V. Pigritia.
Ignis Promethei. 26
Igniculi naturæ. 161
Indoles 101. 199. 523
Indulgentia vitiosa. 61. 580
Ingenium, ingeniosi. 25. 234. 405
Ingratitudo. 87
Inhospitalitas. 122. 251
Inhumanitas. 182. 254
Innocens pro nocente plectitur. 373
Indurati contra vulnera. 437
Inferorum fluvii. 482. 582. Judices. 483 regio. 481. supplicia. 486
Ino se cum filio Melicerta in mare præcipitat. 114
Invidia, invidus 232. 233. 261. 285. 318. 402. additamento. 4
Jo à Jove seducta. 64. in vaccam mutata, furiis agitata. 68
Jobates Rex Bellerophontem insidiosè periculis obiicit. 125
Jocasta infelix Oedipi uxor. 303
Iphigenia cultro victimario subducta 292. 396
Ira, iracundus. 19. 443. 444. 445. 446. 448. 595. 597. 622
Itys puer patri Tereo comedendus apponitur. 188
Judex 18. 150. 450. 483. 484. 606
Julianus apostata. 452
Junius Brutus sapienter stultus. 55
Juno. V. Mulier. Femina.
Jupiter in taurum. 77. in aureum imbrem. 68. peragrat orbem. 246. educatur in antro 567. ejus simulacrum. 569. est idea boni Principis. 569. 571. etiam mali. 572. libidinosus. 574. cur feriat innocentes. 570
Justitia 36. 37. 579
Juventus. 68. ejus cupiditates. 62. 459. 603
Ixionis rota. 491

L.

Labor. 56. 163. 169. 226. 239. 493
Labores Herculis. 286
Labyrinthus. 232
Lajus Rex à filio Oedipo interimitur. 303
Lampadaphoria festa. 612. Lampada tradere 612. 613
Laomedon perjurus punitur. 283. 346
Lapides in homines 54. 57. In lapidem homo. 20. 118. 119. 171
Laurus Symbolum castitatis. 4. litterarum. 552
Leander temerarius amasius. 112
Legatus vafer. 66
Leno, lena. 67. 78. 139
Leo Herculis, ejus pellis. 211. 282. 288. 448

Leo Alberti V. Ducis Bavariæ. 288
Leo Imperator quomodo ad regnum pervenit. 186
In leones conversi conjuges. 342
Leo Symbolum iracundi. 295
Leucothea dea marina. 115
Levitas puellarum. 78. 79. 80
Lex magis, quàm Rex, observanda. 565
Liberi 115. 175. 176. 307. 469. seq. 612
Libido. 52. 68. 77. 78. 129. 191. 231. 243 289. 367. 412. 413. 417. 437. 478
Libidinosus 77. 112. 191. 192. 573. 574
Lingua gratiosa. 523. petulans 142. contumeliosa 144. calumnians. 149. fraudulenta. 403
Linguæ vitia. 63
Litteræ. 12. 13. 80. 158. 213. 334. 548. 549
Litterarum & armorum conjunctio. 403. 544
Litterarum curæ. 27
Loquacitas 20. 133. 246. &c.
Lotophagi symbolicè. 396
Luctus inordinatus. 70. 338
Lucubrare & lucerna. 544
Ludovicus severus subitò incanescit. 191
Lumen sapientiæ à Deo petendum. 136
Luna cœlo detracta. 633. 634. ejus varia Symbola. 633. Lunus seu Luna mascula. 632
Lupus symbolicè. 45
λυκανθρωπία. 50
Lycaon in lupum. 43
Lychas ab Hercule in mare projectus. 284
Lyra Orphei astris inserta. 320. Paridis & Achillis diversa lyra. 454. Apollinis. 10. 554. Mercurii. 601

M.

Magia. 272
Magistratus sapiens. 580
Magnatum vitia. 21. 189
Maledicentia. 183. Redit in autorem. 661
Mansuetudo. 622
M. Antonius Triumvir. 344
Mare triplex, in quo jactamur. 551
Maritus uxorius. 176
Mars. 271. in judicium vocatus. 292. 589. ejus comites. 590. 592. effigies. 591. animalia ei sacra. Ibid. est symbolum iracundi. 597
Marsyas excoriatus. 9
Matres perdunt liberos. 116
Matrimoniorum difficilis delectus 355. eorum Charites. 419
Matuta dea marina. 115
Medeæ facinora. 206
Medicorum laus 386. vituperium. 387. arrogantia. 388. honores. ibid. conditiones. 389
Medusa horrida mulier. 117
Meleagri titio fatalis. 240
Meleagri sorores in aves Indicas. ibid.
Mendacium. 360. 395. 401. 608
Mercator. 603
Mercurius fallax. 65. qualis. 600. est imago Legati. 604. Ei dicatus vitulus, lingua, cancer. 606. est furum & mercatorum deus. 607. mendax, furax 608. monstrator viarum. 608. ejus testudo seu lyra. 601
Mercurius truncus. 609
Mestra Erisichtonis filia in varias formas. 259
Metamorphoses quare fictæ. 50
Midas Rex stolidus. 13. 18
Minerva bucculenta. 6. eius clypeus. 21. 541. est sapientiæ & armorũ dea 538. cur Vulcanus adfuit nascenti. 540. ejus habitus & artes. 542. ei sacer gallus gallinaceus 66. 540. noctua. 541. olea. 542. cur torviore vultu. 541. cur virgo. 545
Minimi officii remuneratio ampla. 186
Ministri Principum. 195
Minos Rex iustissimus 211. 245. 483
Minotaurus Symbolum secreti. 210

Misomus. 325
Modestia 176. 516
Mœnia Spartæ. 179
Moly herba 409. 416
Momus deorum omnium irrisor. 656
Monarchiæ quatuor. 32
Montes Musarum. 135
Monyma regina diademate se strangulat. 447
Mores pueriles. 337
Morosi. 524
Mors bona. 71. juvenum immatura. 316
Mulier. 7. 53. 194. 208. 306 309. 310. 348. 455. 496. 625 626 627. 629. 655. &c. ebria 100. & additam. 13
Mulieres illustres. 310
Munus inconveniens. 231. exitiale. 29. 30
Muris Armenii mundities. 89
Musæ secessum amant. 135. vincunt Sirenas. 159. earum nomina & officia. 546. Præsidium & oblectatio. 547. cur in montibus habitent. 549. V. cantus.
Musica, Musici. 6. 9. 13. 321. 323. 333. 435 436
Myrmicoleon Symbolum frugiperdæ. 224
Myrmidones è formicis orti. 222
Myrtili aurigæ perfidia & pœna. 347
Myrtus Veneri Sacra. 529

N.

Narcissus in florem sui nominis. 90
Navis Bacchi. 97. & Veneris. 103
Nemo. 405
Neptunus, deus maris. 574. ejus currus & equi. 577. Symbolum est sapientis Principis, aut magistratûs. 579
Nisus & Euryalus amici intimi. 652
Niobe regina in saxum vertitur. 171
Nisus Rex in avem haliætum abit. 245
Nobilitas. 201. 477
Noctua cur dicata Palladi. 549
Nugæ variæ. 168
Nuptiæ faustæ. 82 infaustæ. 192
Nuttices. 160. 568. 630. V. Amalthea.
Nympharum nomina. 575

O.

Obtrectator. 87. 657
Occasionis imago. 563
Occulta revelantur. 21. 423
Occupationes inanes. 168. 169
Oculorum curiositas. 87. 455. 456. 457
Oedipus. Oedipodæ tragici. 305
Oeneus Rex, Meleagri parens. 240
Oenomai regis crudelitas in procos filiæ. 347
Offensio magna in re parva. 329
Officiales Principum. 195
Olea Symbolum litteratorum. 543. V. additam. 3
Omphale Herculem amore dementat. 283. 289
Opes. V divitiæ.
Opificum invidentia. 233. Opifices. 615. 616
Orator. 66. 581
Orestes insanus. 297. 301
Orgia Bacchi. 97
Orpheus. 319. 324. 325. 326. 327. ejus lyra. 325. V. additam. 1
Osores & censores hominum qui? 659
Ossa terræ. 54
Otium litterarium. 135. Otium. 301. V. Ignavia.
Ova in faciem projecta. 425

P.

Pæan cantus. 554
Palamedes vir sapiens ab Vlysse fraudulenter circumventus. 401
Palamedis aves. 401
Pales dea pabuli. 643
Palladium Trojanum. 397
Pallas. V. Minerva, & additam. 3
Pan Deus pastorum 643. panicus metus. 606

Pandoræ doloſa pyxis. 28
Paraſiti. 85
Parcæ fatorum deæ. 243. 500. earum ſtamina. 501. &c.
Parentes 61. 67. 76. 115. 154. 235. 259
Paris & Helena faces belli Trojani. 449
Paridis lyra. 454. libido. 450 ſtolidum judicium. 450. mollities. 454. pernicies patriæ. 453
Parnaſſus. 53. 548. 549. 554
Paſiphaë impudica mulier. 232
Paſithea qualis dea. 522
Paſtor populi. 66. 406
Paſtor ad ſepulchrum Orphei dormiens 320
Patriæ charitas. 373. 468. 477
Pavo ſymbolicè. 627. 628. 629
Paupertas. 246. 374
Pacis imago. 599. 603. 604
Pegaſus, equus alatus. 126. 127. 117
Pelias rex. 197. à filiabus fraude Medeæ deartuatus. 207
Penelope Vlyſſis conjux caſta. 392. 417
Pentheus Rex laceratus à Mænadibus. 101
Perdix adoleſcens in cognominem avem migrat. 232
Perfidia. 247. 303. 307. 348. 403. 459
Peregrini. 141. 183. 248
Perſeus heröis imago. 116. 118
Phaëthon incendiarius 58. ejus ſorores migrant in populos arbores. 60
Phædra impura noverca. 380
Phidias ſtatuarius. 24
Philautia ſeu amor ſui. 91
Philemon & Baucis pii conjuges. 248. ſeq.
Philoctetes Herculis comes. 254
Philomela in avem ſui nominis. 187
Phineus in ſaxum converſus. 119. crudelis in filios. 193
Phineus Rex, crudelis in filios. 193. ab harpyis infeſtatur. Ibidem.
Philippi Macedonis modeſtia. 173. 516
Phyſiognomia. 46
Picæ ſymbolicè. 132
Pietas in parentes. 469. 471. 472. in Divos. 468. 469
Pingendi imperitus ab Apelle tacere juſſus 661
Pirithous fidelis amicus. 211
Plexippus & Toxeus fratres à Meleagro interfecti, ab Althæa ſorore vindicati. 241
Pluto inferorum Rex. 583. ejus regia & imago. Ibid. rapit Proſerpinam 137
Plutus divitiarum Deus. 583. 587. eſt claudus, alatus, cæcus. 581. ejus comites. ibid. eſt puer & ſenex. 588
Pœnitentia ſera matrimonii 30. Eſt comes Occaſionis. 563
Poëtæ cygnis ſimiles 71. eorum favonii. 72
Pollux. V. Caſtor.
Polycratis regis infelix felicitas. 514
Polydorus ex tumulo loquens. 421
Polymices. V. Eteocles.
Polyphemus cyclops. 404. eius donum. 406
Poma Hippomenis 342. Veneris. 527. Herculis additam. 7
Portunus Deus portuum. 115
Præceptores. 82. 75. 609. 614
Præfidentia 42
Præſagia & prognoſtica pueritiæ 393. 452
Princeps. 42. 435. 437. 438. 571. 573 578. 579. 620
Principum favor. 52. 315
Principiis obſta. 343
Probitatis tutela. 54
Procris Zelotypa ab ignorante marito occiditur. 228
Procuſtes infamis latro. 211. 221
Prodigalitas. 368
roditio. 247
Progne in hirundinem. 187
Prometheus fictor hominis. 22. 23. ſapiens. 30. alligatus Caucaſo monti. 26.
Proſerpinæ raptus. 37. eius fatale pomum. 146 147. crinem ſecat morituris. 582
Proteus in varias formas. 263
Providentia divina rerum omnium gubernatrix. 506
Prudentia in uxore deligenda. 30

Prudentia 200. 215. 465. 477. 566. 578. 580
Pseudopoliticus. 266. 403. 572
Ptolomæus Rex de musica malè disserens confunditur. 661
Pudicitiæ cura. 79. 88. amissæ dolor. 80. V. castitas.
Puellarum custodia. 67. levitas 68. deceptio 217. sunt arundini similes 169
Puer 142. 144. 146. 337. 353. 433. 608. &c. Vide præsagia.
Pueritiæ ornamenta. 95
Pugnandum aperto Marte. 275. etiam dolis. 273
Pulicis saltus. 168
Pygmæi Herculis pollicem metientes. 288. V. additamentum 8
Pylades & Orestes amicissimi. 297
Pyramus amator infelix. 108
Pythagoræ litteræ. 278
Pythæ aurea mensa. 16
Python draco. 75. 76. 77

Q.

Quadruplator. 149

R.

RAmus aureus inferorum Symbolicè. 477
Rana Symbolicè. 184
Rationis & Appetitûs lucta. 202. 287
Religionis neglectus. 97. 242. 417. cura. 399. falsus prætextus. 464. 465
Religiosus 158
Religionum derisor à canibus dilaceratur. 658
Rex puer. 62
Rhadamantus inferorum Judex. 483
Rivales feminarum. 243
Rota Fortunæ. 514. 515
Rumusculorum vanitas. 375
Rusticorum inhumanitas. 182

S.

SAcrilegium punitum. 349
Sagarum maleficia. 243
Salmacis Nympha impudica. 638
Salus ex hoste. 438
Samson cum Hercule collatus. 295
Sapientiæ comes castitas. 133. 545. ejus symbolum Pegasus. 126
Sapiens 326. 339. 399. 540. 557. 609. 620
Saturnus. 560. devorat liberos. 560. 564. eius simulacrum. 561. est Symbolum boni, malique Principis. 567
Satyri & Sileni Bacchi stipatores. 101. 641. petulci. 643
Scelerati non lugendi 70
Scholæ. 528
Sciendi curiositas. 26. 124
Scilurus Rex filios concordiam docet. 179
Scipionis bivium. 276
Sciron vel scinis latro. 211
Scylla Nisi Regis impia filia. 245. 248
Scylla monstrum marinum. 363. 365. 369
Securitas incauta. 148. 466
Seditio in magistratum. 43. 581
Semiramis regina, impotens femina 290
Sensus quinque sunt Solis filiæ. 598
Serpens in collo pueri. 76
Severitas mala. 572. bona. 579
Sileni. 642
Sinon proditor Troiæ. 462. ejus fraudes 66. 465
Sirenes blanda, sed exitiosa maris monstra. 151. 154. 155. 157. 159
Sisyphi saxum semper revolubile. 493
Smyndirides perditus juvenis. 57
Societas mala. 140
Socratis nugæ. 168. physiognomia. 46. cur similis Silenis. 645. 654
Solis regia 59. encomium. 555. est symbolum boni Principis. 555. & viri sapientis. 557
Somni & Somniorum imagines. 357. diversa somniorum genera 358. eorum vanitas. 360. significatio. ibid. porta gemina. 361. Somnolentia 634
Sophista 285
Specimen pueritiæ. 285

Speculi varius usus. 8
Spes. 28. 524
Sphinx Symbolicè. 306. 367
Spurina castus adolescens. 387
Stellio Symbolum nequam pueri. 144
Stenobœa regina insidiatur pudicitiæ Bellerophontis. 125
Strategemata. 275
Striges. V. Sagæ.
Strophades insulæ unde dictæ. 194
Superbia. 41. 141. 172. V. arrogantia.
Supplicia inferorum. 6. 486. Ajacis. 658
Studiosi 615
Stymphalides aves. 282. 289
Suspicio. 446. 621
Sutor ne ultra crepidam. 660
Sybaritæ molles & ignavi. 57
Syrinx Nympha in arundinem. 68
Σῦς seu Sus torrens fatalis. 321. 825

T.

TAlaria Mercurij. 603
Tantalus & Tantalidæ 296
Taurus. 78. 552. V. Bos.
Telegonus Vlyssis filius patrem insçius interemit. 392
Telemachus ejusdem filius. 390
Telephi vulnus & curatio. 438
Temeritas. 42. 288
Templorum reverentia. 349. 440. 444
Tempus Symbolicè. 561. 562. 563
Tentationum principiis obsistendum. 158
Tereus Rex adulter in upupam. 187
Thalassio. 105
Thaumastus servus hausto frigidæ magnos honores comparat. 186
Themenus & Axion fratres à sorore occisi. 305
Themis dea justitiæ. 53. 507
Θεόμαχοι. 43
Thesei præclara facta. 210. mala credulitas. 380
Thisbe puella lascivi amoris victima. 108
Thraso. 271
Thyestes adulter. 297. 301
Timor Dei. 416. 435
Timotheus Musicus. 322
Tiresias vates excæcatus ob oculorum curiositatem. 89. 545
Tithoni infelix longævitas. 17
Tityi gigantis impij semper rodens vultur. 490
Torris seu titio fatalis Parcarum. 241
Transformationes Poëticæ unde? 46. 56
Triptolemus mirus Cereris alumnus. 159
Triton deus marinus. 575. eius imago. 576
Tritonia. 6. Trivia. 631
Trojæ proditio & interitus. 463. Trojanorum socordia. 466
Truncus Mercurius. 609
Tydeus Adrasti regis gener. 304
Tyrannus. 45. 407. 564

V.

VEllus aureum. 197. quomodo inventum. & ejus equites. 206
Venationis damna. 85. laus. 380. 640
Veneficæ plures, quàm venefici. 636
Venti venditi. 395. Symbolicè. Ventorum nomina & officia. 618. 619. eorum Symbola. 625
Venus amorum dea 525. unde dicta & orta. 526. eius currus. ibid. cur ei sacri cygni, columbæ, passeres. 526. 527. eius comites. 527. poma, additam. 12. rosæ, corollæ, Speculum. 527. 529. cingulum, Supellex, antrum 530 familia. 531. statua. 67. navis. 103. Veneris & Libitinæ templum. 112
Verecundia 95
Veritas. 438
Vespertilio. 105. 107
Via ad cœlum & inferos. 278
Victor cupiditatum. 120. 122. 417
Victoriæ imago. 599
Victor uxorem includit dolio. 427. 420
Vigilantia. 66. 438. 578

Vini commoda. 98. 525. incommoda. 98. 99. 102
Vir constans. 154. 158. 390. 411. 630
Virbius deus. 385
Vires sine consilio. 417. cum consilio 400
Virga Mercurii. V. Caduceus virga disciplinæ. 433
Virga. 1. 2. 3. 67 139. 545. 637
Virtus gaudet asperis. 125. 290. inserit astris. 291. eius calcar. 200. præmium. 274. eius comes invidia. 318. eius imago. 275. in primis annis se prodit. 112. inter duo extrema navigat. 360. eius curriculum & remora. 343. 345. est inimica voluptati. 414. eius experimenta. 414. 415. 477. 613. virtutes Cardinales additam. 7
Vita hominis lampas. 243. 612
Vitellij patina. 21
Vitia capitalia. 286
Vitulus Mercurio sacer. 665
Ulysses Sirenes spernit, 154. 158. 411. cum Diomede Trojanis surripit palladium, 397. exoculat Polyphemum. 404. Circes incantamenta solvit. 408. eius labores & pericula. 390. naufragium. 414. astutia. 393. fraudulentia. 401. redit in patriam, & à filio ignotus interficitur. 392
Voluptatis imago. 275. lenocinium. 138 396. 397. 409. vanitas. 477. damna. 152. 367. 412. 415. stadium. 345
Vota hominum stolida & inania. 16. 17
Vrsa major & minor cœlestis. 52
Vxor bona. 418. 419. mala 29. 31. 419. 425. 427. 428. quomodo ferenda. 426. compescenda. 427
Vxorius vir. 372. 629. additam. 17

Y.

Y. Littera symbolica. 277

Z.

Zelotypia. 190. 191
Zephyrus occidit Hyacinthum. 94. qualis ventus. 619
Zeres & Calais alati Boreæ filij fugant harpyias. 195

Menda typi sic emenda.

Littera f. versus à fine paginæ numerandos, P. paginam & L. lege denotat.

IN Dedic. facie ult. v. 8. L. in fluxu. In Præfat. facie 9. v. 12 f. L. Philosophum. Ibid. fac. 10. v. 8. f. L. γνώμας. Pag. 1. v. 11. f. L. casta. p. 12. f. v. 7. L. famæ. p. 16. v. 5. L. jejunus. ibid. v. 2. f. L. supplicium. p. 18. f. v. 10. L. palla. p. 47. v. 3. f. L. contentiosus. p. 60. v. 13. L. natóque & instructo. p. 68. v. 8. L. oculeus. p. 85. v. 13. L. piscari p. 101. v. 13. L. voravit. p. 106. v. 6. L. texendo. p. 127. v. 10. L. putant. p. 137. v. 13. L. artes. p. 158. v. 3. f. L. sonorus loquacibus undis. p. 143. v. 11. f. L. quæ. p. 143. v. 16. f. L. subdito. p. 166. v. f. 8. L. insanè. p. 196. v. 1. L. noluerunt. p. 197. v. 7. f. L. Boreadas. p. 205. v. 12. L. Galieni. p. 207. v. 2. L. implicatum. p. 210. v. 8. L. aulularia. p. 273. v. 2. f. L. arctum. p. 274. v. f. 4. L. sequitur. p. 294. v. 12. L. arces. p. 300. v. 11. L. salsum. p. 320. v. 5. L. flebilibus. p. 329. v. 6. f. L. offensio. p. 340. v. 7. f. L. nauteam. p. 350. v. 15. L. vatidicum. p. 366. v. 13. L. Circe p. 367. v. ult. L. Promeij. p. 382. v. 9. f. L. Hippolytum. p. 427. v. 11. L. tudiculis. p. 440. v. 17. f. L. fulmine. p. 503. L. occidum. p. 528. v. 2. f. L. sapidum. p. 291. v. 4. f. L. terruit. p. 22. v. 7. L. ἀνθρωποπλάσης. p. 30. v. 6. f. L. προμηθεύεσθαι. p. 71. v. 13. L. εὐθανασίαν. p. 73. v. 9. L. πύθεσθαι. p. 313. v. 11. f. L. φιλανθρωπία. p. 518. v. 16. L. νεμεσάω. p. 598. L. χειρῶν. ibid. v. 7. f. L. ἡδονὴν. p. 628. v. 2 L. caudam. p. 291. v. 4. f. L. terruit. Reliquos errores, qui hic notati non sunt, eruditus Lector facilè corriget, præsertim quosdam characteres Græcos, & accentus vitiosè positos.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN